


MARQUÉS DE SAN JUAN
DE PIEDRAS ALBAS
EX LIBRIS

/2

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

VOLVMEN NONVM,

QVO

EUROPÆ

LIBER XVII,

ET

AFRICA

CONTINENTVR.



AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus

IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.

2.

A

Caxon ——— 2

Ctank ——— 3

Num ——— 5

NON VNVS SVF- FICIT ORBIS.

HISPANIA,

QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER XVII.

4°

AVGVSTISSIMO,

POTENTISSIMO

MONARCHÆ,

PHILIPPO IV.

HISPANIARVM

INDIARVMQVE

REGI;

AVSTRIÆ ARCHIDVCI;

BVRGVNDIÆ,

BRABANTIÆ,

FLANDRIÆ,

VARIARVMQVE GENTIVM,

NON VNO TITVLO,

PRINCIPI,

LATISSIMIS IMPERII FINIBVS

SOLEM VTRVMQVE,

VTRVMQVE OCEANVM

COMPLEXO;

CA-

CATHOLICO,

PACIFICO,

PIISSIMO,

CLEMENTISSIMO;

HOSCE

REGNORVM

HISPANIÆ

TYPOS,

IN PERPETVI

CVLTVS MONVMENTVM

VENERABVNDVS OFFERT,

DICAT, DEDICAT

JOANNES BLAEV,

GVILIELMI FILIVS,

AMSTELÆDAMENSIS.

HISPANIA.

Iſpaniam Iuſtinus ex Trogi Pompeji Hiſtoriarum Philippicarum lib. XLIX dictam notat ab *Hiſpano* Rege. Alii ſic nominatam volunt ab *Hiſpali* urbe nobiliſſima; quam hodie *Sevilliam* appellant. Abrahamus Ortelius, quum Iberiam Aſiæ regionem olim *Paniam* à Pane, quem Iberis Dionyſius, victoria potitus, præfecerat, inde vero *Spaniam* ab junioribus vocatam fuiſſe, legiſſet apud Auctorem de Fluminibus & Montibus, fidem ſequutum Soſthenis lib. III, rerum Ibericarum; ſcriptoreſque fere omnes animadvertiſſet primos Hiſpaniæ incolas ex Iberia uſque derivare; adductus eſt, ut ab *Spania* potius illa, quam ab *Hiſpano* vel *Hiſpali* nomen Regioni inditum, crederet. Sane σπανίαν nominat D. Paullus: Apud Iuſtinum, ubi in Vulgatis *Hiſpania* exſtat, in membranis *Spania* legitur: In optimis Q. Curtii Codicibus *Spaniam* eſſe notat Bongarſius: *Spaniam* vocat D. Hieronymus: D. Eulogius, qui ante ſeptingentos annos floruit, *Spaniam* appellat: Vetus in Iuvenalem Gloſſographus Tagum *Spaniæ* facit fluvium: in Gloſſario D. Benedicti Græco-Latino σπάνη eſt pro Hibera, σπανία pro Hiſpania: *Spaniam* ab Chaldæis dici ſcribit Arias Montanus: Galenus VI Simpl. *Spanum* vocat oleum ex Iberia (ſic Hiſpaniam nuncupat) advectum: Conſonat denique hodierna appellatio. Incolis enim *Eſpaña* nominatur. Nam *Eſpania* & *Spania* ſcriptione tantum differunt; quum Hiſpani Gallique vocibus Latinis, quibus ab S littera initium, E præponere, ſuaque facere conſueverint.

Quam *Hiſpaniam* Latini ſcriptores, Ptolemæus autem, Stephanus, Auctorque Librorum de Machabæorum geſtis Ισπανίαν vocant, rejecta adſpiratione, temporibus antiquiſſimis *Iberiam* & *Heſperiam* nominatam, memoriæ produnt Strabo, Plinius, alii.

Iberia quidem ab Iberia Aſiæ regione, unde primos Hiſpaniæ incolas non pauci deducunt: Strabo tamen, quamvis alibi propter linguæ diverſitatem hæſitet, ex Apollodoro, Socrate, aliiſque: Dionyſius item Alexandrinus & Priſcianus malunt Iberos ex Hiſpania in Aſiam migraſſe, ibique Provinciæ, quam occuparant, patrium nomen impoſuiſſe. Appianus quoque tres refert ſententias; primam Europæos Iberos ab Aſiaticis deducentium; ſecundam, Aſiaticos ab Europæis; tertiam, nihil illis præter nomen commune volentium. Alii Iberiam ab Ibero Rege trahunt: alii ab Ibero flumine: Avienus ab Ibera Bæticæ oppido.

Heſperiam vero, ab Heſpero, ut quidam memorant, Atlantis fratre velut Horatius putat, ab Heſperi Heſperia filia, vel potius ab Heſpero Stella occidentali: quia in Europæ continente nihil eſt hac regione occidentalius; unde à Seneca in Hercule Oetæo, Zephyro ſubdita tellus. Quumque & Italiæ nomen idem eſſet, Horatius lib. I Carm. hanc *Vltimam* canit.

Heſpera Iberia vocatur Dioſcoridi lib. V, tamquam Iberia Occidentalis, ad differentiam Orientalis, quæ in Aſia.

Celtiberiam quondam fuiſſe nominatam tradit Appianus Alexandrinus: quæ tamen pars Hiſpaniæ (quam Celticam olim dixerunt teſte Varrone) potius cenſenda, cujuſque incolæ nunc *Celti*, nunc *Celtiberi*, Plinio etiam *Celtici*.

Pannoniam quoque nominat Stephanus, περὶ πόλεων.

Ιγλήτας Regionis incolas olim nuncupatos, ex Aſclepiade Myrleano ſcribit Strabo.

Sepharad (ספרד) Hebræi dicebant, quod limitem ſignificare S. Hieronymus interpretatur.

Longitudo & latitudo.

Longitudo ejus ſumma à Sacro promontorio, quod vulgo eſt *Cabo de S. Vincente*, ad uſque Salſuſæ fontem, vulgo *Salſas*, in finibus Galliæ ad mare internum, milliarium Germanicorum circiter CXC. Latitudo à Celtico promontorio, quod vulgo *Cabo Finis terræ*, ad uſque promontorium Saturni, vulgo nunc *Cabo de Palos*, milliarium CL. Oceani internique maris circumfuſione pene inſula efficitur: Pyrenæis jugis tranſitum maris arcentibus.

Forma.

Formam Hiſpaniæ quadratam nonnulli, (inter quos Iuſtinus ex Trogi Pompeij lib. XLIV) ſtatuunt; niſi quod Aquilonem verſus ſenſim in Pyrenæum anguſtius coëat. Trigonam imperite facit Æthicus. Strabo, Pomponius Mela, Ptolemæus, & alii Hiſpaniam comparant corio bubulo (βύρσῃ βοείᾳ) humi protenſo: cujus partes ad collum pertinentes in adhærentem ipſi Galliam porriguntur. Collum inquam, quantum protenditur Mons Pyrenæus ab Mediterraneo Mari ad Oceanum Britannicum: inde dilatatur ad brachia, ab Nova Carthagine uſque ad Cantabros: crura à Freto Herculeo uſque in Gallæciam & Mare Britannicum: ultimum corii ad modum caudæ, Promontorium Sacrum,

OCEANVS CANTABRICVS

GALLIÆ PARS

REGNORVM HISPANIÆ nova descriptio.

OCEANVS OCCIDENTALIS

SINVS GADITANVS

IBERICVM MARE

MARE GALLICVM

BALEARICVM MARE

MARE MEDITERRANEVM

FRETVM HERCVLEVM nunc ESTRECHO DE GIBRALTAR

PARTE DE BARBARIE

Notarum explicatio.
Archiepiscop.
Episcopatus
Academiæ.

Milliaria Hispanica
Milliaria Germanica

Amsterdam Apud Guilielmum Blaeuw.

crum, hodie *S. Vincenti*, quod extenditur in Oceanum Atlanticum, longe ultra omnem Hiſpaniam.

Situs. Subeſt Hiſpania medio Quarti, totique Quinto, parti etiam Sexti Climatis; inter Gradus, Latitudinis quidem XXXV & XLV; vel ſecundum noſtram Climatum deſcriptionem, dimidiis quarti & quinti. Longitudinis autem inter ſeptimam (ut nunc, capto ab Inſula Teneriffa initio, notari ſolet:) & XXI; ubi optima ad res omnes temperies. Hinc merito Iuſtinus ex Trogo, fertiliorem facit Hiſpaniam Africa aut Gallia, quum neque, ut illa, violento ſole torreatur; neque, ut hæc, adſiduis ventis fatigetur; ſed media inter utramque, hinc temperato calore, inde felicibus imbribus in omni frugum genere ſit fœcunda. Maxima dies æſtatis in Parallelo Auſtrali, qui diſtat ab Æquinoctiali Linea XXXVI gradibus, horarum eſt XIV-30: in Boreali, qui abeſt ab Æquatore gradibus XLIV ſemi, horarum eſt XV-30. *Qualitas.* Hiſpaniæ igitur, non eadem paſſim eſt qualitas, non idem ſolo genius. Qua Arcton ſpectat, pleriſque ſcribentibus, frigidior eſt, nonnulliuſque aſperitatis; Oceano ſemper obnoxia, interiorum aquarum indiga, malignæque inde habitationis; quum etiam rupibus, ſaltibus, lociſque ſilveſtribus pleraque obſeſſa. Qua, Montibus fere perpetuum intercurrentibus, in Auſtrum declinat, tota felix, tota beata, ut multis magniſque fluminibus irrigari, ſic tempeſtivis pluviis, quantum ſufficit, recreari ſolita; & hinc omne genus, ea præcipue parte, frugum, animaliumque non benigna ſolum mater, ſed & nutrix ſolicita. Memoriæ mandat Philoſtratus, hic Cœli temperiem eſſe talem, qualis Autumni tempore ſolet eſſe in Attica. Leguntur & hæc apud Solinum: *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli poſthabenda, frugis ac ſoli copia; ſive vinearios proventus reſpicere, ſive arborarios velis. Omni materia adfluit, quæcumque aut precio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria. Argentum & Aurum ſi requiras, habet: ferrariis nunquam deficit, nec cedit vitibus, vincit olea. Nihil in ea otioſum, nihil ſterile, quidquid cujuſcunque negat meſſem, viget pabulis: etiam quæ arida ſunt ac ſterilia, rudentum materiam nauticis ſubminiſtrant.* Verba denique ſunt hæc Pomponii: *viris, equis, ferro, plumbo, argento, auro tam abundans, & adeo fertilis; ut, ſicubi ad penuriam aquarum effœta & ſui diſſimilis eſt, linum tamen aut ſpartum alat.*

Admirandam eorum, cum quæ ex terra proveniunt, tum quæ in terræ viſceribus generantur & latent, fertilitatem; Animantium item, quæ terra marique naſcuntur, præſtantiam, quis digne, utque ſingula flagitant, commemorabit?

Incredibilis per omnem Hiſpaniam frugum ubertas; & plerique agri tantæ ſunt liberalitatis, ut pro accepto uno tritici modio, triginta plurimum colonis reddant; ſæpe etiam quadraginta, in Bœtica præſertim.

Herbarum, cum ſativarum, tum voluntariarum, quæ citra ſementem erumpunt, quibuſque inſignes ſunt & peculiares vires, paſſim, cum primis in montoſis locis, eſt feraciſſima: ubi *ſui diſſimilis*, inquit Pomponius, *linum aut ſpartum* alit. Strabo lib. III, σπαρτάριον nominat Campum, circa Carthaginem Novam, ſpacioſum, frugum & aquarum indigentem, quem Alonnam ab Arabibus vocari, ſcribunt Hieronymus Surita & Ioannes Mariana. Idem *Iuncarium Campum* habet in Emporienſium agris.

Silvis, nemoribus, arboribuſque ſingulare ferentibus fructus ubique eſt plena. Longum eſſet omnia commemorare. Nemus eſt apud oppidum, cui ab *Monte Major* nomen, in quo quercus, caſtaneas, ilices, nuces, cerylos, ceraſos, prunos, pyros, ficus, labruſcas, & omne genus arborum fructiferarum ſola Natura plantavit, altitudinis ingentis & latitudinis. Haud procul oppido Bejerano nemus eſt amœniſſimum, ubi caſtaneæ arboris ambitum ſe menſum, ſcribit Lucius Marineus Siculus, pedum circiter quadraginta. Quid mala referam? Inter ea melioris notæ ſunt duo, *Canuſium* & *Regium*. Quid pyra? In iis ſupremæ claſſis quatuor, quæ odore guſtuque ſuaviſſima: *Apianum*, quod *Muſcatum* vocant, omnium pyrorum minimum, *Vinoſum*, *Pintum*, Quartumque, quod Hiſpanis *Sine Regula* nominatur. Quid olivas? In harum numero primas obtinent Hiſpalenſes, quæ magnitudine juglandes excedunt. Hinc Oleaſtrum in ea ora circa Sinum Gaditanum, Lucus ab arbore quam alit, apud Pomponium Melam lib. III. Diveſ enim oliveus tota Bætica. Silius Italicus lib. III:

Palladio Bætis umbratus cornua ramo.

Quin de Hiſpania canit univerſa lib. I:

Nullaque Palladia ſeſe magis arbore tollit.

Hinc *Oleaſtrum* Antonino, oppidum inter Tarraconem & Dertoſſam: Plene decantata ſunt non paucis mala Heſperia vel citrea; Cydona, quæ vulgo *Membrillos*; Granata, ſuis etiam coriis medicinam facientia. Nucem juglandem primus in Hiſpaniam intulit Pomponius Flaccus, Eques Romanus, quum ſub Vitellio Imperatore militaret, ut teſtatur Plinius lib. XV natural. hiſtor.

Vina, optimi ſaporis odoriſque, paſſim quidem generoſa admodum leguntur, aliis tamen & aliis locis præſtantiora, quæ Marineus Siculus indicat lib. I de Rebus Hiſpaniæ. Vinum ex Turdetania multum exportari, præter alia, ſcribit Octaviani Auguſti tempore Strabo, quod quo modo intelli ge-

mus, quum memoriæ prodat Fl. Vopiſcus Syracuſanus Probum Imperatorem Hiſpanis, ut & Gallis Britanniſque, primum vineas ut haberent, vinumque conficerent, permiſiſſe? Singulare ſcilicet jam fuerat multos annos Turdetanis Turduliſque, quos Hiſpanorum omnium cultiſſimos ſapientiſſimoſque noverant Romani, quod tandem commune factum & generatim conceſſum omnibus (hanc enim vocem addit Vopiſcus) ſub Probo. Vites Germanicæ ſuperioribus annis in Hiſpaniam à Belga quodam Petro Simonis F. tranſportatæ, Hiſpanicoque ſolo inſitæ, jamque mirum in modum multiplicatæ, experimur quotidie, quam grata producant vina; nomen ejus, qui transſevit, retinentia. Aſperitatem, quam conciliare ſoli ſolet natura, frangit, emollit, jucundoque condit ſapore adgenitus jam in aliena terra ſub alio climate genius.

Metalla. Hiſpania dives quondam univerſim, ut nunc quoque variis in locis, precioſiſſimis auri, argenti, æris, ferri, plumbi, aliorumque metallorum theſauris, de quibus videnda, quæ multis adfert cum ex Poſidonio, tum ex aliis Strabo; quæ item traduntur ab Diodoro Siculo, Solino in Polyhiſtor. Iuſtino libro ultimo ex Trogo Pompejo, Panegyriſta Theodoſii, & aliis. De auri argentique copia fidem etiam faciunt, præter alios Auctor Librorum de Geſtis Machabæorum, & Ioſephus. In Montibus circa Baſtetaniam & Oretaniam auri metalla deſcribit Strabo. Nam avidi ſterileſque, & in quibus nihil aliud gignitur, auri bono coguntur, ut Plinii verbis utar, fertiles eſſe. Ab Argenti-fodinis, *Mons Argenteus*, Αργυρᾶς Straboni; *Argentarius* Avieno; hodie incolis *Sierra Segura*, vel, ut alii cenſent, *Sierra d' Alcaraz*, non procul à Caſtulone, nunc *Caſtona la vieja*. Argentum item fodi ſcribunt circa Ilipam (*Zalamea de la Serena*) & utramque Siſaponem, Strabo; circa Babylam Polybius; in Meleſſum finibus, ubi Oringis urbs, Livius. Ad Tagum quoque in Montibus ſecturas eſſe metallicas, apud Cotinam item circa Bætim æs aurumque naſci, notat Strabo. *Gallecia Regio*, ait ex Trogo Iuſtinus, *æris ac plumbi uberrima, auro quoque ditiſſima, adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas exſcindant* agricolæ. Commemorat & hic *Saorum* in ejuſdem finibus eſſe *Montem*; eum ferro violare, nefas haberi; ſi quando fulgure terra proſciſſa eſt (hoc autem in his terris frequens eſſe) detectum aurum, velut deûm munus, colligi. Eandem Galleciam, Aſturiam & Luſitaniam æque omnium metallorum fœcundam prædicat Plinius. Inter auri ramenta ſelibras aliquando glebas fuiſſe inventas, ſcriptum reliquit Strabo. Apud Ibyllam, Tarteſiæ urbem, auri argentique fodinas collocat Stephanus. Maximam argenti fodinam quondam apud Novam Carthaginem fuiſſe, ab Vrbe ad x x ſtadia diſſitam; ibique quadraginta hominum millia in labore verſari, & ſingulis diebus Populo Romano viginti quinque millia drachmarum inde tribuere ſolitos, ex Strabone diſcimus. Vicena millia pondo argenti annis ſingulis Aſturiam, Galleciam & Luſitaniam præſtitiſſe, tradit ex aliorum fide Plinius. Apud eundem *Bebelo* eſt, Argenti puteus, ab Annibale inchoatus, Auctori ſuo c c c indies pondo ſubminiſtrare ſolitus: ſine dubio haud procul Pyrenæis montibus. Addit enim Aquitanos, Galliæ populos, Pyrenæo vicinos, hujus Putei aquas egerere. Forte circa Oſcam in Ilergetibus. Nam Oſcenſis argenti non ſemel mentionem facit Livius. Argenti ex Pyrenæorum nati incendio, quemadmodum referunt Diodorus & Strabo, tanta fuit copia, ut Phœnices, quum illud aveherent, atque argentum, onuſtis jam navibus, ſuperarat, loco plumbi anchoris illud ſubdiderint; imo, ut Ariſtoteli placet, circa Tarteſſum ipſas inde anchoras fabricarint. Turdetanos argenteis lacunaribus doliiſque uſos, notat Strabo. Non pauca etiam hujus Regionis flumina aurum ferre, docebunt ſequentia. Montem prærupte altum in Cantabriæ ora maritima totum ex ferro conſtantem habet Plinius. Probat metallorum, auri [illegible]am primis & argenti, copiam inlata in Romanum Ærarium ab Triumphantibus vis admiranda. Teſtatur infinitis locis Livius Triumphos delineans Cn. Cornelii Lentuli, M. Helvii, Blaſionis, Q. Minucii Thermi, M. Porcii Catonis, M. Fulvii Nobilioris, C. Calpurnii Piſonis, L. Quinctii Criſpini, Q. Fluvii Flacci, Ti. Sempronii Gracchi, L. Poſtumii Albini, aliorumque: ut merito dixerit & vere Antonius Auguſtinus, Hiſpaniam id temporis Romanis eo fuiſſe loco, quo nunc Hiſpanis America: inde, aliiſque ex locis hac tempeſtate potentiſſimi Hiſpaniæ Reges, ex metallis apud ſe domique naſci ſolitis contenti vilioribus, aurum & argentum petere malunt; quam penitiora Regnorum ſuorum viſcera, neceſſitate non cogente, eam ob cauſſam inquietare. Strabo lib. 111, memoriæ prodit, in Hiſpania electrum fieri ſolere. Nam Auro effoſſo, terraque aluminoſa abluto, id quod tunc purgando rejicitur. Electrum eſſe, ex Auri Argentique mixtura conflatum. Hinc Silius Italicus in libris de bello Pœnico:

Electri gemino pollent de ſemine venæ.

Gemino, Auri & Argenti. Specularem Lapidem, in quámlibet tenues cruſtas findi conſuetum, Hiſpaniam olim Citeriorem tantum dediſſe, nec totam, ſed intra centum millia paſſuum circa Segobrigam (*Segorbia*) urbem, ſcribit Plinius lib. x x x v 1 natur hiſtor.

Minium in Hiſpania gigni, celeberrimumque peti ex Siſaponenſi Bæticæ Regione: inde Romam perferri, ibique perfici, excoqui, vendi, adulterari etiam docet Plinius lib. XXXIII. De his Siſaponenſium Miniariis loquitur Vitruvius lib. VII: *Quæ autem*, inquit, *in Epheſiorum metallis fuerunt Officinæ, nunc trajectæ ſunt ideo Romam, quod id genus venæ poſtea eſt inventum in Hiſpaniæ Regionibus: quibus metallis glebæ portantur, & per Publicanos Romæ curantur. Eæ autem Officinæ ſunt inter ædem Floræ & Quirini.*

Sal. Sal in Hiſpania non modo coqui, verum etiam plurimum effodi, hoc eſt, & fieri & gigni, tradit Solinus. Fit in multis Hiſpaniæ locis ex aquis puteanis, ut apud *Seguntiam* & alibi: unde regibus magnum exigitur vectigal. Gignitur in extremis Maris littoribus, ceteris candidior. Sunt & montes Hiſpaniæ, nativi Salis, ut apud *Ribagorciam*; in quibus lapidicinarum modo Sal cæditur, & arborum modo poſtea pullulat ac renaſcitur. Apud oppidum *Antiqueram* vallis eſt amœniſſima, cujus longitudo paſſuum mille quingentorum, ex omni parte montium clauſa jugis, quæ hieme pluvialibus aquis impletur, & in formam magni lacus efficitur, cujus aquæ calore Solis, adjuvante ſoli genio, in ſalem candidum convertuntur. Alias ſilentio prætereo Salinas. Sed Miracula etiam audiamus, quæ tamen hodie evanuerunt. Memorat Strabo, ſal purpureum inveniri in Luſitania: dulcedine quadam temperatum in jugis Tarraconenſibus cædi, Solinus ad Oreſium; ex Varrone Agellius, Montem magnum circa Iberum, ex mero Sale, eique quantum demas, tantum adcreſcere.

Lapides. Iuxta *Antiqueram*, de qua dixi, Montes inexhauſtas habent fodinas, ex quibus præſtantiſſimi lapides, ad ſumtuoſiſſimorum operum & ædificiorum ornamenta idonei, eruuntur; qui late patenti & ampliſſimæ negociationi occaſionem præbent. Quin & iidem Montes alterius quoque lapidis fœcunditate præſtant, quem *Hieſſo* vulgare Hiſpanorum idioma nuncupat; ex quo Calcem, imo notæ ſingularis gluten conficiunt, quod uſitato nunc nomine Architecti *Tarram* appellitant, muris conſolidandis firmandiſque ædificiis maximam vim habens. Hoc ſiquidem lapidis genus igne concoctum, contuſum, perque incerniculum cribratum, aqua deinde maceratum, calcem & tenaciſſimum reddit cæmentum, quod in priorem ſoliditatem mox coaleſcit: quo ſtructuras tanta induſtria componunt, & tenaciſſimas muris incruſtationes ſuperinducunt, ut ædificia continuo ex lapide nata, non manu facta, aut compoſita, eſſe videantur. Eadem etiam calce, ſeu potius gypſo, glutinatores utuntur in obturandis ligneis fictilibuſque vaſis, quæ condimentis & vario fœta liquore in Indiam Belgicaſque Regiones & alio tranſmittuntur.

Pecora. Pecorum omnis generis mugitu balatuque nemora, ſilvæ, montes, prata, campi, ſaltus ubique reſonant. *Equi.* Equos alunt Hiſpaniæ optimos: Ceteris Bætica plures; Aſturia fortiores; *Aſturcones* inde nominatos. De quibus ſic Plinius lib. VIII: *In eadem Hiſpania Callaica gens & Aſturica, equini generis, quos Thieldones vocamus, minori forma, appellatos Aſturcones gignunt; quibus non vulgaris in curſu gradus; ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equus tolutim carpere incurſus traditur arte.* Martialis:

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab armiferis gentibus Aſtur Equus.

Silius Italicus lib. III de Bello Pœnico:

His parvus Sonipes, nec Marti notus; at idem
Aut inconcuſſo glomerat veſtigia dorſo,
Aut molli pacata celer trahit eſſeda collo.

Recte: commodiſſimam enim præbet ſeſſori vectationem, omnis abeſt ſuccuſſatio. Hinc Εὔδρομος, Polluce teſte, Græce vocatur. In vetere quodam Gloſſario, *Aſturco*, *Equus* exponitur *Ambulatorius*, *Gradarius* aliis dicitur. *Tolutarium* item appellant Latini, à pedibus tolutim (quam vocem ex variis Scriptoribus explicat Nonius) id eſt, volubiliter & molliter glomerandis. Negat autem Silius Aſturconem *Marti notum*: de eo igitur exaudiendum illud Gratii:

Non tamen Hiſpano Martem tentare minacem
Auſim.

Equos enim ad bellum alibi ſuppeditat Hiſpania; quos Feros vocant Varro, Oppianus, Strabo; Probos, Olympius Nemeſianus:

Quinetiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, Cornipedum late fœcunda proborum, &c.

De his etiam Silius:

Martius hic Sonipes campos hinnitibus implet,
Hinc juga Cornipedes evecti bellica captant.

Equi nonnullis Hiſpaniæ locis tantæ velocitatis agilitatiſque generantur, ut vento conceptos fabularetur, imo crederet Antiquitas. Tribuunt hanc vim locis ad Oceanum circa Oliſipponem cum Plinio plerique; Vettonibus, Silius; Tagro Monti, Varro; Sacro, Columella, Ventum autem nominant Favonium aut Zephyrum omnes. Multorum vicem obeat Virgilius Georgic. III:

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, & ſæpe ſine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)

Pullos ex his natos non plus triennio vivere per-

perhibent M. Terentius Varro lib. III de re ruſtica, Solinus in polyhiſt. Plinius VIII cap. XLII, Columella lib. VII rei ruſticæ, & alii; ſeptimam ferè æſtatem canit Silius lib. III, cujus locus operæ, qui adſcribatur:

At Vettonum alas Balarus probat æquore aperto,
Hinc adeo, quum Ver placidum flatuſque tepeſcit,
Concubitus ſervans tacitos grex proſtat Equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura:
Sed non multa dies Generi; properatque ſenectus;
Septimaque his ſtabulis longiſſima ducitur æſtas.

Septem annos dat illis Poëta, quibus alii vix tres. Tamquam notiſſima, hæc de Equis vento concipi ſolitis, ſcribit Columella, pro re incredibili; ſed vera, recitat Varro; addens equas ex vento ibi concipere, ut hic Gallinæ ſolent, quarum ova *Hypenemia* vocat, *Zephyria* Plinius. Iuſtinus ex libro Trogi ultimo natam credit fabulam ex equarum fœcunditate, equorumque pernicitate. Hæc ſane cauſſa fuit, quod ex Hiſpania equos ad Curules Ludos & ſaltationes petere conſueverint veteres Romani.

Canes. Hiſpaniæ canes laudant Oppianus & Iulius Pollux; item Nemeſianus, quorum

—— *proles de ſanguine manat Ibero.*

Venationes. Ad venationes exſtimulant cum alia, tum in montibus, vallibus, ſilviſque damæ, cervi, apri, urſi, lepores, cuniculi. His ſane abundantem docet Hiſpaniam verſiculus Catulli;

Cuniculoſæ Celtiberiæ fili;

& Nummus Hadriani Imperatoris, in cujus una facie, HADRIANVS AVG. COSS. III. P. P. cum Imperatoris capite; in altera, HISPANIA S. C. cum ipſius, olivarum ramulos aliquot dextra tenentis, effigie, adpicto ad pedes hoc animalculo.

Aucupia. Ad aucupia invitant cum aves aliæ, tum aquilæ, ardeæ, accipitres, attagines item, eo nuper ex Sicilia allati.

Piſcationes. Ad piſcationes denique incitant in Mari quidem cum piſces ipſi, ut cete, balenæ, congri, murenæ, thynni, ſavali, lampetræ, & alii, tum oſtrea conchyliaque; in fluminibus autem & Mediterraneis, ut aliis commemorandis ſuperſedeam, turtures, Iuvenali etiam decantati, aureis maculis inſigniti, *Truchas* vocat vulgus Hiſpanicum, *Troctam* Itali Siculique; ſaporis jucundiſſimi, optimi nutrimenti, ſenibus ægrotantibuſque ab Medicis concedi ſoliti. Legiſſe ſe ſcribit Lucius Marineus Siculus de rebus Hiſpaniæ lib. I, in Hiſpania polypum olim captum fuiſſe tantæ magnitudinis, ut ejus caput oſtenſum Lucullo, XV amphorarum capax fuerit, crines quidvis utroque brachio comprehenderint, caliculi inſtar pelvium urnam æquaverint, reliquiæ ejus miraculo adſervatæ ſeptingenta pondo pependerint. Memoriæ prodit idem Marineus Valentiæ ſe piſcem vidiſſe, quem piſcatores mari captum portaverant, & torculari magno locaverant aquæ pleno, craſſitudine & longitudine magnæ mulæ, cujus caput, os, nares, oculi bovis eſſe videbantur; præter cornua, quibus carebat; mammas habebat muliebres, & manus mammillis adpoſitas, vulvam quoque mulieris: addit poſtero die peperiſſe piſciculum ipſi perſimilem, longitudine trium pedum, craſſitudine colli canis gallici, matremque eum quatriduo pòſt, fame fortean coactam, devoraſſe.

Talis igitur Hiſpania & Vetus & Nova; Terris omnibus Terra felicior; cui excolendæ ditandæque impenſius, quam ceteris gentibus, ut ait Latinus Pacatus, ſupremus ille Fabricator indulſit.

Fertilitas. Tanta autem hujus regionis fertilitas, tamque læta rerum omnium copia facit hodie, ut larga manu confinalibus ſuis, aliiſque remotioribus populis infinita cum apud ſe nata, tum etiam aliunde advecta ſubminiſtret, ſericum, lanas, pannos omnis generis, ſal, ſaccharum, mel, mala medica, citrea, granata, cydonea; olivas conditas; cappares, uvas, ficus, pruna paſſa, amygdala, caſtaneas, glycyrrhizam, anyſum, cuminum, coriandrum, oryzam, crocum, oleum, ceram, alumen, ſmegma, minium, purpuram; thynnos, balenaſque ſalitas. Baccas laurinas, fructus diverſorum generum, ſaccharo adſperſos, alabaſtrum, coralium, aurum, argentum, ferrum, chalybem, ſtannum, cuprum, plumbum, rubiam tinctorum, argentum vivum, goſſypium, gemmas item precioſoſque lapides, & aromata ab aliis, tum ab Indis accepta.

Pro iis autem omnibus grata quadam commutatione certatim ab Europæis, Africanis, Aſiaticis, Americanis accipiunt alias Hiſpani merces, quas natura Cœlique & ſoli genius ipſis negare ſolet.

Diviſio Hiſpaniæ veteris. Diviſa fuit olim Romanis in tres provincias: Bæticam, Luſitanicam, & Tarraconenſem. *Bætica.* Bætica clauditur à Septentrionibus & Occaſu flumine Ana; à Meridie Oceano & mari interno, uſque ad Murgim oppidum, hodie *Almeria* dictum: ab Ortu Tarraconenſi jungitur provinciæ, à qua recta linea, ab Murgi ad oppidum quod vulgo dicitur *Ciudad Real*, & Anam amnem ducta, diſcernitur. dicta Bætica, à flumine Bæti, mediam ſecante. Cæteras provincias divite cultu & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Partem ejus, quæ Bætim Anamque amnes inter, Bæturia dicta fuit, Turduli verſus Ortum, Celtici verſus Occaſum in Luſitaniam uſque protenſi tenuere. Hodie univerſa Bætica

tica continet duo regna Hiſpaniæ, Granatam, & Andaluſiam, partemque Caſtiliæ Novæ, & Eſtremaduram. Luſitania terminatur à Septentrione flumine Duria, ab occaſu Oceano, à meridie Ana fluvio, ab Oriente linea à civitate Regali ad Samoram oppidum, apud Duriam flumen ducta, à Tarraconenſi provincia ſeparatur. Dictam voluerunt antiqui Luſitaniam à Luſo ac Lyſa, fabuloſis Bacchi comitibus. Habet Olyſſiponem oppidum ad Tagi amnis oſtium, quod ab Vlyſſe conditum eſſe fabulati ſunt. Continet hodie totum ferme Portugalliæ regnum, partem Caſtiliæ Veteris, partemque Novæ. Reliquum vero Hiſpaniæ occupat Tarraconenſis provincia, à Tarracone capite ſuo denominata. In hac populi fuere, quorum nomina olim clara: Celtiberi, dextram Iberi fluvii ripam late accolentes: quorum caput Segobriga, nunc *Segorbe* dicta: & clara Romanorum everſione Numantia, nunc *Almaſan*: regio ipſa Celtiberia: hinc Vaſcones; qui maxima pars hodie Navarræi regni; Pyrenæis montibus adfixa. Horum caput Pompelon, ſive Pompejopolis, nunc *Pompelona*. Varduli, nunc *Guipuſcoa*: quorum caput Flaviobriga, nunc *Bilbao*. Cantabri, qui nomen Oceano Cantabrico dedere, nunc *Biſcaja*: caput Iuliobriga, hodie *Val de Viece*: Aſtures, nunc *Aſturias*: quorum caput Aſturica, nunc Aſtorgo, urbs quondam magnifica. Gallæci, inter Minium & Duriam amnes; quorum Brigantia, hodie *Bragança*, pars nunc Portugalliæ. Vaccæi, quorum Pallantia, vulgo *Palençia*. Carpetani, quorum Toletum, nunc *Toledo*, & Complutum, nunc *Alcala de Henares*. Sub his verſus meridiem fuere Oretani. Complectitur tota Tarraconenſis provincia regiones hodie iſtas: Murciam, Valentiam, Cataloniam, Arragoniam, Navarram, Biſcajam, Aſturiam, Gallæciam, Legionem, Caſtilias Veterem ac Novam fere totas. At eadem Hiſpania diſtincta etiam fuit Romanis duabus tantum provinciis, Citeriore, & Vlteriore: unde ſæpiſſime Hiſpaniæ plurali numero dicuntur hæ terræ. Citerior Hiſpania eſt eadem quæ Terraconenſis provincia: Vlterior Bæticam ac Luſitaniam complectitur. Dictæ ſunt citerior, & ulterior, reſpectu urbis Romæ; ſicuti & Galliæ duæ.

Luſitania.

Tarraconenſis.

De variis Incolis Hiſpaniæ.

Tubalem Noachi nepotem in Hiſpaniam primum perveniſſe, poſt aquarum inundationem, in diſperſione gentium, adfirmant noſtri ſeculi ſcriptores ex Ioſepho. qui tamen Tubalem in Aſiæ Iberia, inter Ponticum Caſpiumque maria, ſtatuit. Haud minori errore in univerſam Hiſpaniam perveniſſe Iberos ex Aſia & Perſas tradidit M. Terentius Varro. Celtarum gentem, ab Aſchenaze propagatam, omnem poſt terrarum inundationem obſediſſe Hiſpaniam, Galliamque, Britannicas inſulas, Germaniam, atque Illyricum, tam ex ſacris, quam gentilibus diſpicio autoribus. Vnde etiam nomen eorum multis Hiſpaniæ locis affixum retulerunt Græci Romanique ſcriptores: ut Celticorum, qui partem Bæticæ ac Luſitaniæ, partemque Tarraconenſis provinciæ ad uſque promontorium Celticum, quod vulgo *Cabo Finis Terræ*, tenuere: item Celtiberorum, ad Iberum flumen incolentium. Germanos cognominat, neſcio unde, Plinius Oretanos, Tarraconenſis provinciæ populos. Primi exterorum poſt hominum memoriam in Hiſpaniam ad Celtas venere Phœnices, à Tyro mare internum huc uſque & ad Gades navigantes, partemque Bæticæ, quæ poſtea Turditania dicta fuit, occupantes, ut ex Diodoro ac Strabone diſcimus. Græci poſtmodum à Maſſilia colonias deduxerunt inter Pyrenæum & Iberum, Rhodam & Emporias: quæ oppida etiam nunc vocantur vulgo *Roſas*, & *Empullias*. Interiora etiam Græcos quoſdam incoluiſſe indicat corruptum (ut vult Silius poëta) nomen Graviorum, quaſi Grajorum, Græcorumque caſtellum Dyde, vulgo nunc *Tuy*, in ea parte Tarraconenſis, quæ hodie eſt Gallæcia. Poſtea Carthaginienſes majorem ejus partem tenuere, ad internum mare, Amilcare eam occupante. Secundo bello Punico ſuperatis ac expulſis Pœnis tota Romanorum facta eſt; ſub quorum imperio tribus provinciis diſtincta manſit, uſque ad Honorii Imperatoris tempeſtatem: quum Gothi ac Vandali, Germanica gens, circa annum Chriſti CCCC eam invadentes, dictas provincias in tria regna diſtribuerent. Deinde vero Saraceni cum Mauris circa annum IↃ CC XX invecti, tota Hiſpania direpta, complura in ea regna inſtituerunt: Chriſtianis, id eſt, Gothorum reliquiis in Aſturiam ac Legionem regiones natura locorum munitas, compulſis. Regnorum numerus tandem crevit ad XIX, quorum nomina hæc recenſentur: *Caſtilia Vetus*, *Legio*, *Caſtilia Nova*, quod *Toletanum regnum*, *Extremadura*, *Betica* ſive *Andaluſia*, quatuor conſtans regnis, *Cordubæ*, *Iaenæ*, *Sivilia* & *Granadæ*, *Arragonia*, *Portugalia*, *Algarbia*, *Navarra*, *Valentia*, *Gallæcia*, *Murcia*, *Biſcaya*, *Alava*, *Guipiſcoa*, *Catalonia*, *Baleares inſulæ*, vulgo *Majorca* & *Minorca* dictæ, quæ una cum Ebuſo Inſula, nunc *Yviça*, unum regnum conficiunt. Ex his poſtea durabili titulo, ad hoc noſtrum ſeculum clara fuere tria: Caſtilia, Arragonia, & Portugallia.

Recens diviſio.

Legionis regnum, vulgo *Leon*, conſtituere reliquiæ Gothorum, à Mauris, ut dictum, in ea loca compulſæ. At Ferdinandus primus Legioni per matrimonium juncta Caſtilia, uno nomine Caſtiliam appellavit regnum ſuum. Huic poſtea, devictis ac pulſis Mauris,

Regnum Caſtilianum.

ris, acceſſerunt Gallæcia, Andaluſia, Granata, Murcia, ac Navarra. Navarræ autem regnum initium cepit circa annum IↃ CCCC LX, cum Enecus Bigorriæ Comes (pars eſt Galliæ Aquitanicæ) tranſgreſſo Pyrenæo, Mauris ejectis, regem ſe conſtitueret. Poſt hunc Henricus IV, Caſtiliæ rex, armis occupatum Navarræ regnum, ſuo imperio adjecit. Arragoniæ primus regio titulo præfuit Ramirus Sancii Magni Navarræ regis filius ſpurius, anno CIↃ XVI. Huic deinde titulo annexæ ſunt Catalonia, & Valentia. Iacobus autem rex, anno CIↃ CC LII, inſulas Baleares ſuis armis occupatas Arragoniæ regno fideique Chriſtianæ adjecit. Tandem Ferdinandus VI, Caroli V avus maternus, Caſtellæ & Navarræ rex, per matrimonium Caſtellæ junxit regnum Arragoniæ. Hic tandem Mauros, quos Ferdinandus III in Granatenſe regnum compulerat, omnemque una Iudæorum gentem tota Hiſpania anno CIↃ CCCC XCII expulit. Portugalliæ regnum hæc principia habuit: Quum Henricus Lotharingiæ Comes res ingentes contra Mauros in Hiſpania geſſiſſet, præmium virtutis ac laborum Alfonſus VI Caſtellæ rex Tireſiam filiam notham ei dedit in matrimonium, dotemque appoſuit eam Hiſpaniæ partem, quæ nunc Portugallia dicitur. Hujus filius, cum quinque reges Maurorum uno prælio fudiſſet, Rex primus Portugalliæ appellatus eſt, circa annum CIↃ CX, habuitque ſucceſſores continua ſerie, donec ultimo rege Sebaſtiano in Africa cæſo, regnum ad regem Caſtellæ recidit.

Arragoniæ Regnum.

Portugalliæ Regnum.

Hac igitur ratione cuncta Hiſpaniæ regna ad unum corpus rediere: caputque unum tota Hiſpania agnoſcit, qui nunc eſt Philippus IV, Hiſpaniarum potius quam Caſtellæ titulo gaudens. Triplici autem titulo tenet, quicquid tenet, Caſtellæ, Arragoniæ, Portugalliæ. Sub Caſtellæ regno ſunt duæ Caſtiliæ, Legio, Aſturia, Galæcia, Extremadura, Andaluſia, Granata, Murcia, Biſcaja, Navarra, Mediolanum, Belgica, Burgundia Comitatus, Inſulæ Canariæ, America, Inſulæ Philippinæ. Sub regno Arragoniæ, ipſa Arragonia, Catalonia, Valentia, Inſulæ Baleares, quæ Majorica, & Minorica: Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia. Sub regno Portugalliæ ipſa Portugallia, Algarbia, Guinea, Æthiopia, India Orientalis, Inſulæ Moluccæ, Braſilia.

Montes.

Inter Hiſpaniæ Montes Pyrenæus principem obtinet locum, Hiſpanos ab Gallis dividens: Hiſpanis, *Los Pireneos* univerſim; nam pro ratione locorum varia ſortitur nomina. Ad Templum Veneris dicitur *Puig cerda*; inde *Montes de Iacque* & *Roncevalles*; ad Navarræ demum regnum, *Mons S. Hadriani.* Dictum volunt plerique ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab Igne: vel quod crebris fulminum ictibus feriatur; vel quod ejus ſilvæ (ſcribente Diodoro libro V I) injecto à paſtoribus igne, quondam univerſæ conflagrarint. Certe ab Græca voce nuncupatum, non eſt mirandum; quum ex antiquis monimentis, Græcos tam Occidentale, quam Orientale hujus montis latus habitaſſe quondam, ſatis ſuperque conſtet. Silius Italicus denominationis honorem tribuit Pyrene puellæ, Bebrycis, qui rerum ibi gubernacula tenebat, filiæ; in eo monte ab Hercule, violato hoſpitii jure compreſſæ; ibique, quum ab feris laniata eſſet, ſepultæ. Pomponius Mela lib. III, Dion. lib. LIII, & Oroſius lib. VI, cap. XXI, Pyrenæos appellant non tantum, qui Hiſpaniam inter & Galliam; ſed & qui ab Oriente in Oceanum uſque excurrunt Occidentalem. Quin & ad Artabrum vel Celticum Promontorium, quod hodie *Cabo de Finis terræ*, Pyrenæos hactenus ab adcolis appellari teſtatur apud Ortelium Georgius Auſtriacus, Præpoſitus Harlebecenſis. Quidquid ſit, perpetuus ille Pyrenæi ab Ortu in Occaſum procurſus Hiſpanorum alios facit Citramontanos verſus Meridiem, Vltramontanos ad Septemtrionem. Pyrenei latus, ut notat Strabo lib. III, in Hiſpaniam vergens variis conſitum eſt arboribus, iiſque ſemper virentibus; alterum autem Galliam ſpectans, omnino nudum: media loca convalles continent, ab frequente incola habitatas. Mutata nonnihil hodie loci facies.

Idubeda Montes d'Oca.

Pyrenæus, non ut Galliam ſeparat ab Hiſpania; ſed ut ab Ortu in Occaſum ad Promontorium uſque Celticum prolatatus, Hiſpanos dividit in Ciſmontanos & Vltramontanos, alium ad Iberi fontes Montem protrudit verſus Meridiem per Hiſpaniæ latitudinem. Nomen illi Ἰδύβεδα apud Strabonem & Ptolemæum: Saltus Aucenſis, vulgo *Monte d'Oca* hodie vocatur, ab Auca Vrbe vetere, cujus ad Villam-Francam, vigeſimo ſupra *Burgos* milliari, veſtigia monſtrantur. Hujus progreſſum ſic deſcribit Ioannes Mariana lib. I, de rebus Hiſpaniæ, cap. III. *Ex his Montibus* (eos deſignat, qui ab Ortu abeunt in Occaſum per Hiſpaniæ longitudinem) *Idubeda Mons verſus Auſtrum ad Iberi fontes in Pelendonibus derivatur & per Virveſtam Arevaceſque, ubi Orbionis cacumina ſurgunt, neque procul Cauno; qui hodie Moncaius eſt, Bilbilim Darocamque prætervectus, Mare Mediterraneum attingit, non procul Dertuſa Vrbe; unde extremæ ejus montis partes hodie etiam nomen habent. Iberum Amnem, contra quam reliqui inſigniores Hiſpaniæ fluvii faciunt, ad Occaſum ire Idubeda mons prohibet,* &c.

Oroſpeda.

Paullo infra Caunum (*Moncayo* hodie,) ex Idubeda emiſſus Oroſpeda, mollibus initio jugis, ut vix adſurgere videatur, ſenſim tamen

ſeſe efferens, ulteriuſque progreſſus, Molinæ primum montes (*Sierra Molina* hodie) erigit; Conchæ deinde, ubi Sucronem ad lævam, ad dextram Tragum emittit. Inde Conſaburonis ſeu Conſiegræ montibus conſtitutis, & in Campis Laminitanis Anæ fontes enixus, ad Alcaraſſum (ἄργια Ptolemæi putatur, Ilergetum urbs: hoc loco Oroſpeda, *Sierra d'Alcaraz*; ἀργυρὴς *Argenteus Mons*, dicitur Straboni) Seguramque procedens in diverſas partes mariaque diverſa Taderem (hic hodie Segura fluvius eſt) Bætimque in Saltu Tigenſi non longe à Caſorla oppido fundit; ab Anæ fontibus remotum amplius centum millibus paſſuum: unde in duo brachia ſciſſus, parte una è regione Murcia factus ad Murgim, hoc eſt Muxacram, mareque terminatur, relictis ad occaſum Baſtitanis à Baſta Vrbe, quæ hodie Baza eſt; ad ortum vero Conteſtanis, veteris Hiſpaniæ populis: parte altera verſus Malacam porrectus, & Eliberritanis jugis ſeſe adnectens ultra Calpem ultraque Tarteſſum tanta procurrit aviditate, ut penetrato mari Fretique anguſtiis tantum non obturatis, Africæ complexum non ſemel appetere videatur. Oroſpedæ adcenſeri ſolet *Calpe*. Sic Ptolemæo aliiſque Mons vocatur ad Fretum Herculeum, qui *Gibraltar* vulgo. Vere notatur pronunciaturque *Gebal Tarik*: ſic nominatus ab ſtrenuiſſimo Duce *Tarik*, filio Abdallæ, filii Wenemu Renathæi, quem Muſes filius Nutzir ex genere Mara Wanæorum, quo tempore (annus is erat ıↃ cc ıx) ex Africa in eam Hiſpaniæ partem, quæ Andaluſia nunc dicitur, irrumperet, ſecum habebat. Oroſpedæ item pars rupes præcelſa, quæ ex Hiſpalenſi urbe Granatam eunti prope Archidonam ſe conſpiciendam offert. Nomen habet famamque meretur ex memorabili, quod in omne ævum eſt duraturum, amoris exemplo. Hiſpanis dicitur, *La Peña de los Enamorados*, Amantium Rupes. Res, ut paucis dicam, ita habet: Quum Regnum Granatenſe Mauris adhuc pareret, graveque inter ipſos & Chriſtianos bellum flagraret, quodam in conflictu inter alios captus eſt Chriſtianus, quem Maurorum Rex ob formæ venuſtatem facilitatemque morum libertate donavit, eumdem apud ſe in palatio retinens. Inter hunc porro filiamque Regis tanta tamque caſta coaluit familiaritas; ut articulis hæc Chriſtianæ Fidei præcipuis imbuta, Chriſtianiſque commorari deinceps avens & commori, torum conjugalem pollicita, fugam cum captivo fuerit molita. Quum autem Rex diligenter illos perſequeretur; in Rupem, quam dixi, ut ibi deliteſcerent, fugerunt: videntes autem ſe detectos, & Rupem ab Mauris undique circumſeptam animadvertentes, cacumen conſcenderunt; ſeque, ſupplicio, quod ab Rege exſpectabant, territi, mutuo complexu præcipites inde dederunt. Ad cujus rei memoriam in ejuſdem Rupis dorſo, inque via publica Cruces erectæ videntur.

Sierra Molina. *Sierra d'Alcaraz.* *Calpe.* *La Peña de los Enamorados.*

Paullinus *Bimarem* nominat. Reſpicit enim duo Maria, Internum & Externum. Strabo libro Geographicorum tertio Calpen montem eſſe, ait, circuitu quidem non magnum admodum, altitudine autem ingentem & arrectum, ut remotioribus Inſulæ formam præferat. Vnam Herculis Columnarum ſunt qui fabulantur, alteramque ex adverſo Abylam in Africa, Laborum Herculis metas. Addunt unum fuiſſe quondam Montem, ſed ab Hercule perfoſſum; ut, mutata rerum facie, excluſa ante Maria in Mediterraneas Terras, aquarum indigas, admitterentur. Videndi, præter alios, Plinius lib. III, & Pomponius Mela lib. I, ubi de Mauritania, & lib. II, ubi de Hiſpania: *Calpe*, inquit inter alia, facta cum Abyla commiſſione, *magis & pene totus in Mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua ſpectat occaſum, medium fere latus aperit, atque inde ingreſſus totus admodum pervius prope, quantum patet Sinus & ſpecus, ultra eſt.* Diodorus etiam, agens de Perfoſſione, quam dixi, ſcribit Herculem Fretum tam anguſtum reliquiſſe, ne grandia cete intrarent. Alii de Columnis Herculis tradunt alia; quæ ad meum nihil faciunt inſtitutum.

Ex Oroſpeda prope Alcaraſſum *Mariani Montes* ſurgunt; hodie *Sierra Morena*. Radices horum montium adluit ad lævam perpetuo fere ad Oceanum uſque, nobiliſſimus fluvius Bætis. *Sierra Morena.*

Haud procul ab eo loco, quo Oroſpeda ab Idubeda prodit, prope Caunum in media Camporum vaſtitate atque planicie Montes alii videntur oriri; ceterum in Pyrenæi brachiis quibus univerſa innectitur Hiſpania, numerandos eſſe, nemini dubium eſt. Eorum apud veteres Scriptores nulla mentio: nunc multis nominibus ab vicinis Civitatibus ſunt noti. Numantia, Segobia, Abulaque luſtratis, Caſtellam in Veterem Novamque ſecernunt; præterque Caurium & Placentiam Tagi ductum, quo ad lævam adluuntur, ſequentes, Portugalliam in duas ferme æquas partes ſecant. Ad oppidum Sintram demum, Tagro Monti viginti octo millibus paſſuum ad Septemtrionem ab Olyſippone impoſitum, Occiduum attingunt Oceanum, deſinuntque Promontorio in Mari conſtituto, cui Magno vel Olyſiponenſi cognomen, ſed priuſquam Portugallias attigerint, pro varietate locorum, varia ſortiuntur nomina, *Sierra d'Atiença*; *Sumo Sierra. Puerto de la Tablada, de Palomera, d'Avila, de Guadarrama, de Colmenar, del Pico.*

Iuxta Barcinonem Mons eſt, quem *Mon-Iui* vocant adcolæ: ſunt qui interpretantur *Mon-* *Mon-Iui.*

Montem Iovis; alii melius *Montem Iudæorum*, qui quondam illic ſepeliebantur, quorumque plura adhuc ibi Sepulcreta & Signa. In vertice Turris eſt; unde ſpeculator die quidem linteo velo, noctu verò facibus navigiorum adventum Barcinonæ Civibus oſtendit. De Montibus Fluminibuſque Hiſpaniarum libellum edidit Hieronymus Paullus Barcinonenſis.

Fluvii. Hiſpania multis irrigatur paſſim Fluviis. Sunt qui centum & quinquaginta numerant, & in iis pontes ultra ſeptingentos, inter quos nobiliſſimi Segoviæ & Alcantaræ. Alii aliis ſunt nobiliores.

Iberus. *Iberus*, ab Ibera opulentiſſima quondam Vrbe, quæ *Elix* hodie putatur, circa Carthaginem Veterem: *Ebro* hodie erumpit apud Cantabros ex Idubeda Monte, duobus Fontibus, quorum dexter in Saltu Aucenſi (*Monte d'Oca*) ſiniſter ad oppidum, quod Incolis *Fuentibre*. Inde, magnis creſcens amnibus, primo Calaguritanis exceptus arvis Iuliobrigam & Tudellam petit, Navarræ oppida; Iuliamque & Celſam, Ponte quondam celebrem, inde Cæſar-Auguſtam adluit. Illinc digreſſus in Auſtrum, & mox verſus Euronotum (nam quo minus, ut reliqui celebriores Hiſpaniæ fluvii, ad Occaſum tendat, facit Mons Idubeda) labitur per Cataloniam, Dertuſam opulentam urbem præterlabitur, poſtremo auctus *Baja*, *Cadora*, *Tirone*, *Najerilla*, *Fruega*, *Letia*, *Melero*, *Ega*, *Arga* (*Aragus* Antiquis) *Aragonibus* duobus (unde *Aragoniæ* nomen) *Gallico Salone*, *Congedo*, *Cinga*, *Sicori*, (*Segre* vulgo) aliiſque, peracto quadringentorum ſexaginta millium paſſuum curſu, in Mediterraneum, cognomine ipſi, pelagus tam violenter duobus Oſtiis (facta *Alphaciæ* Inſula) ingreditur, ut quinquaginta paſſus in mare profuſus dulcis hauriatur.

Durius. Durius *Duero* maximus (concurrentibus in eum tot amnibus, quos enumerare longum eſſet) Hiſpaniæ fluvius ex Idubeda, ubi nomen illi *Sierra de Cogollo*, apud Cantabros ſcaturiens, Vectones ab Aſturibus, Luſitanos ab Gallecis Veteribus diſterminat. Turrem Sullanam (*Tordeſillas*) Sarabrim, Mirandam, & alia oppida contemplatus, decimoquinto fere infra Lamecam milliari, apud oppidum Portugalliæ, quod Portus dicitur, rapidiſſimo curſu Occidentali ſe miſcet Oceano.

Tagus. *Tagus* naſcitur in altiſſimis Oroſpedæ jugis, ſtadiis quinquaginta ab oppido parvo, cui nomen *Tragacet*, haud procul ab urbe Concia, nunc *Cuenca*, per Carpentanos lapſus Toletum, regalem urbem, petit, ponteque accepto, Talaveram, Auguſtobrigam, Alcantaram, aliaſque urbes non ignobiles adluens, mediam fere ſecans Portugalliam, ultra Olyſipponam in Occiduum ſe exonerat Oceanum; Oſtio bis millium, ut quidam notant, quinquaginta paſſuum latitudine.

Anas. *Anas*, Latinis Græciſque Scriptoribus ſatis notus, originem (ubi *Reydera* vocari tradit Garibaius) habet ex vaſtis Stagnis, in Laminitano Agro, qui hodie *Campo de Montiel*, circa oppidum, quod Hiſpanis *Cagnamares* vocatur. Oretanos præterlapſus ad Metellinam, terræ ſe penetralibus condere putatur; (nam ex vulgi opinione magis, quam ex veritate hæc eſſe, teſtis eſt apud Ortelium oculatus Georgius ab Auſtria, Præpoſitus Harlebecenſis) mox poſt aliquot leucas, quaſi ſæpius naſci gaudens, inquit Plinius, ad Argamaſillam eruptione facta, Auguſtam Emeritam, ubi longiſſimo Ponte lapideo tranſitur, Pacem Iuliam, & Auſtrum verſus alias urbes prætergreſſus, ad Caſtrum Marinum in Oceanum evolvitur. Hiſpanis hodie vocatur *Rio Guadiana*, recepta ab Arabibus voce. Iis enim *Guad* fluvius. Duo quondam habuit oſtia, quemadmodum notat Strabo lib. III. Quod verum fuiſſe arguunt ſatis cum Inſulæ adjacentes, tum loca ad ingreſſum vadoſa, & vix duorum triumve paſſuum altitudinis.

Bætis. *Bætis* oritur prope Caſtaonem ex Oroſpeda Monte, qua parte *Sierra d'Alcaraz* nominatur. Ab fonte in Occaſum vergens Cordubam, tot claris nobilem ingeniis, aliaque oppida præterlapſus, ad Hiſpalim, illius oræ caput, in Auſtrum declinans, oſtio ſatis amplo (unius enim leucæ eſt) ſed quod vadoſius haud procul Gadibus in Atlanticum Mare ſe exonerat. Tribuit & huic duo oſtia Strabo lib. III, inter utrumque locans Inſulam, in qua Meneſthei erat oraculum & Capionis Turris in Petra, quam circumcirca Pelagus alluebat. Alveus, qui Nebriſſam & Aſtam præterfluebat, oblimatus eſt; ſic tamen ut illius veſtigia hodie viſantur cum Æſtuariis atque Diorygibus manu factis, ut inquit Strabo, ad exportandas ſcaphis lintribuſque fruges ex agris in vicinas urbes.

Minius. *Minius* Hiſpaniæ Tarraconenſis fluvius, ortum habens ſexto ſupra Aras Sextianas, quibus hodie *Lugo* nomen, milliari ad oppidum quod vulgo *Caſtel-Verde*, Portum Marinum ſecans, Pontemque Belſarium & Orenſem Civitatem perlapſus, facto ad Valentiam cum Avia congreſſu, ſex milliaria procurrens in Oceanum ſe præcipitat.

Lethe. *Lethe* Bæticæ fluvius. Veterem appellationem videntur illi reliquiſſe Arabes; qui præpoſita in Fluviis nominandis uſurpari ſolita voce, *Guadalete* dixerunt. Meminit fortean Silius Italicus lib. XVI:

Et Theron potator Aquæ ſub nomine Lethes.

Mauris *Bedalac* nuncupatum fuiſſe, memoriæ prodit P. de Medina.

Turius. *Turius* Plinio; *Turias* Salluſtio, Priſciano & Vibio; *Duria* Pomponio & aliis; hodie, mu-

mutuata ab Arabibus voce, *Guadalabiar*, quaſi pura & limpida Aqua. Habet amœniſſimas ripas, roſis ſemper varioque florum genere coronatas. Veſtitur utrimque nemoribus ab fonte (qui in Arragonia haud procul oppido *Tervel*) ad Oſtia uſque, adſpectu pulcherrimo gratiſſimoque; ubi vites, platanus, pinus, aliæque numquam carentes fronde Arbores: ut non immerito Claudianus in laude Serenæ:

Floribus & roſeis formoſus Duria ripis.

Sicoris. *Sicoris* Ibero ſe commiſcet. Aureas defert arenas. Potus valde ſalubris. Hodie *Segre* nuncupatur; & Cathalonica lingua vocatur *Agua naval.*

Chalybs. *Chalybs* apud Vaſcones oritur, cujus aqua ad ferri temperamentum plurimum valet; adeo ut Hiſpani non alia arma, niſi quæ hujus liquore temperata, adprobent.

Aſtura. Apud Gallecos naſcitur *Aſtura*, amnis non obſcuri nominis: à quo *Aſtures* nominati. Reliquos minorum gentium aliis explicando relinquo.

Lacus. Prope oppidum Beiaram lacus eſt non utilis minus, quam admirabilis; qui & turtures, piſces ſubnigros & excellentes, gignit, & futuram pluviam turbinemque, ut ſcribit L. Marineus Siculus lib. 1 de reb. Hiſp. magno aëris ſonitu prænunciat; adeo ut ejus murmur quaſi tauri mugitus ſæpenumero ad duodeviginti millia paſſuum fuerit auditum. In ſummo Montis *Stellæ* cacumine Lacus quidam eſt, ſcribente Vaſæo, in quo fragmenta navium ſubinde reperiuntur, quum tamen à mari plus XII leucis abſit: quin quod exæſtuet & Tempeſtates ibi audiantur, adfirmare incolas, quoties intumeſcit Mare, idem notat. In Cantabriæ Lacum fulmen decidiſſe, & repertas duodecim ſecures, ait in Galbæ vita diligentiſſimus ſcriptor Suetonius.

Amœnum Stagnum eſt apud Plinium lib. III natur. hiſtor. cap. III, haud procul Valentia: hodie *Albufera.*

Fontes. Fontes ibi in montibus, vallibus, oppidis, pagis, privatis ædificiis innumerabiles. Ager ſolus Xericii in Territorio Pacis Auguſtæ fontes habet CIↃ IↃ. Sunt & nonnullis ſua miracula. Prope Orenſe oppidum Fons eſt nomine *Burga* in altum ſcaturiens, ita fervens ut in eo & ova coquantur, & ſues immerſi facile depilentur. In oppidulo Luſitaniæ Villa Nova Fons non ſolum oritur, ſed & occidit. Oritur Calendis Majis, & ad Calendas uſque Novembris aquas Villænovanis abunde adfundit; poſtea vero occultatur latetque hieme tota, & ad ſtatutum tempus renaſcens adcolas reviſit; quod quidem ſingulis annis fieri compertum ſcribitur. Octo leucis à Conimbrica viſitur hodieque Fons *Ferventia*, vere admirabilis, quem Plinius in Catinenſi Hiſpaniæ agro (*Cadima* hodie dicitur, haud procul à Teutagallenſi Municipio) ponit: qui quidquid admotum fuerit, abſorbet. Cujus rei factum periculum ſe præſente, adſerit apud Io. Vaſæum Henricus Cardinalis & Princeps coram Ioanne Rege Luſitaniæ & ceteris fratribus regiis, cum in arborum truncis & ramis, tum in jumento, quod Fonti admotum pede paullatim abſorberi cœptum, ægre tandem ab famulis extractum eſt. Affirmat Plinius alterum juxta fluere, qui omnia reſpuat. Is hodie ſi exſtat, ſaltem ignoratur. Supra Burgenſem Civitatem ad paſſuum millia circiter viginti verſus Orientem Pagus eſt nomine *Boetius*, ſub altiſſima rupe poſitus, ex qua Fonticulus effluens in planiciem apud Pagum, cujus memini, deſcendit, duoſque in Lacus ingreſſus, tantam iis virtutem vimque ſalubritatis infundit, ut quicumque fluxum ſanguinis patiuntur, hac aqua loti è veſtigio liberentur. In Bætica Provincia juxta oppidum Antiqueram Fons potus calculos diſſolvit; à Petra, quam per urinam extrahit, cognominatus. In Cantabrica Fontes *Tamaricos* tres deſcribit Plinius, qui ſingulis ſiccantur duodecies diebus; aliquando vicies, citra ſuſpicionem ullam aquæ, quum ſit vicinus illis Fons, ſine intermiſſione largus.

Balnea. Quod ad Balnea, celebrat cum primis Marineus, quem dixi, quod in ripa Thormis Amnis. Huic addit, quod ad oppidum Bejaram, quæque apud Callæcos prope Minii fluminis ripam & Orenſem urbem.

Hiſpanorum indoles. Hiſpani ſtatura ut plurimum ſunt mediocri, corpore duriori, & membris bene compactis, & nervoſo colore ſubobſcuro, & terreno, vultuque gravi, & ad melancholiam vergente; natura iis calida & ſicca; cæterum naturaliter animoſi, prudentes, rerum ſuarum moderatores, honoris ultra modum avidi, ſecreti & ſilentii tenaces; animi concepta dexteritate ſingulari tacendo & diſſimulando celare norunt, periculorum & difficultatum tanti contemptores, ut nec cœli tempeſtatiſve injuria, temporiſve tædio ab incœptis deterreri queant. Reconditæ illis mentes & ad lenta conſilia idoneæ, quæ non niſi mature conſulta promunt, adeo ut fortunam ſortemve malignam ſolam iis obeſſe merito exiſtimes. Graves cum iis ſint animi, non ſubito impetu effunduntur in diverſa, ſed & bellum & pacem ſapientiſſime æſtimant. Cæterum in negotiis ſuis vigilantes ſunt, in dicendo ſententioſi, & tardi, nec facile in minas ſeu verba abſona erumpunt; apud exteros alter alterum colit, veneratur, laudat, extollit, plebeis etiam nobilitatis titulum & honores conferentes. Iuſtitiam maxime colunt; juſque ſummis, mediis, imis æqualiter tribuitur. Religionis Catholicæ Romanæ cultores conſtantiſſimi, Eccleſiis, rebus ſacris & præ-

præſertim ſanctorum reliquiis ſummam reverentiam adhibent. In publicis fabricis, pontibus, monaſteriis, templis, palatiis, caſtellis ſplendidi & magnifici; in privatis ædibus minus elegantes, præcipue in mediterraneis, ubi pleræque domus ex creta aliave materie haud affabre factæ. In veſtimentis & ornamentis nitidi & concinni, in conviviis frugales, ſobrii, pauciſque contenti. Vitio eis vertitur quod cauſante humore melancholico triſtes ſint, & parum humani, raro cum peregrinis amicitiam contrahant, proprio ſenſu abundent, & philautiæ vitio laborent, & nimia etiam de minimis rebus cura laborent.

Virtus militaris. Virtus militaris eorum & exacta extra patrios fines diſciplina ab omnibus prædicari ſolet, ubi tres quatuorve convenerint cujuſcumque gradus, de Repub. graviſſimiſque rebus diſſerunt, ad enervandas hoſtium vires vias quærunt, ſtratagemata excogitant, machinas fabricant, ſuiſque Ducibus ſiquid utiliter inventum, indicant: peditatu quam equitatu valentiores æſtimantur; cujuſvis laboris, famis, ſitiſque patientiſſimi. Regibus fideles, & Ducibus obſequentes (niſi quod longo tempore non ſoluta ſtipendia per ſeditionem, poſt pugnam tamen, ſecus ac Germani, expoſcere ſoleant) in caſtris & expeditione concordes, ſine ſtrepitu litibuſque degunt, ordineſque quam optime ſervant, unde invictum iis robur. Stativa probe muniunt, excubiiſque vigilantes provident, ne hoſtium dolis circumventi aliquid detrimenti capiant: unuſquiſque in acie ac maxime in phalange, quam ſingulari certamine melior.

Fœminæ. Fœminæ maribus magis formoſæ, gracioſæ, agiles & vivaces, quia humoris abundantia melancholiam in illis minuit & aduſtionem temperat; faciei colorem ut juvent, collyrio plurimum ex ceruſſa minioque utuntur; non admodum fœcundæ, paucos pariunt, vino abſtinent, & raro ſe conſpiciendas præbent; & digniores ſeu nobiles quidem domo non egrediuntur, niſi comitante ſat grandi famulorum præcedentium, nec non ſequentium ancillarum, numero. Gravitatem quamvis præ ſe ferant, in amores nihilominus pronæ dicuntur, in familiari colloquio facetæ, quæque facile homines in amorem ſui alliciant.

Occupationes. Hiſpani univerſim parum in agricultura ſeſe exercent, nec artibus mechanicis operam dant, ſed in iis magna exterorum manus, naturalium Hiſpanorum privilegia & jura conſequuta, deſudat: ut & in diſtrahendis coëmendiſque omnis generis rebus, ita ut commercium & mercatura operâ eorum potiſſimum exerceatur.

Academiæ. Quod ad ſtudia attinet, in Hiſpania numerantur Academiæ ſeu Vniverſitates triginta duæ, quarum illuſtriores ſunt, Barcinonenſis in Catalaunia, Cæſarauguſtana in Arragonia à Carolo V, Imperatore, inſtituta, & ab Adriano VI, P. M. confirmata. Complutenſis in Caſtella Nova celebratiſſima, à Cardinali Ximenio reſtaurata anno D. N. 1515. Compoſtellana haud magni nominis. Conimbricenſis famoſa in Portugalliæ Regno, fundata à Ioanne II, Rege, accitis Lutetia Pariſiorum & Burdegala Doctoribus. Gandienſis in Valentiæ Regno, fundata à Franciſco Borgia Gandiæ Duce, poſt Societatis Ieſu Generali. Granatenſis, Hiſpalenſis, Leridenſis in Catalaunia. Majoricenſis. Murcienſis, quæ incrementum ſuum P. P. Societatis Ieſu debet. Onnatenſis in Guipiſcoa ab Epiſcopo Abulenſi inſtituta. Oſcenſis perantiqua, utpote quæ ante nativitatem Chriſti Ieſu Salvatoris noſtri, à Sertorio fuit inſtituta. Oſſunenſis, non ita pridem Ducibus ſuis originem debet. Salamantica perilluſtris, & per totam Europam celeberrima, fundata anno 1404. Siguencenſis in Caſtella. Tarraconenſis in Catalaunia. Toletana, celebratiſſima. Valentiana. Valliſoletenſis. Bäezenſis.

Studia. Felices ingenio, non adeo feliciter diſcunt. Studiis Theologiæ, Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ & Medicinæ plerique operam impendunt, vel qui ſe in iis excellentes reddant, bonam vitæ partem in Academiis & curſu ſcientiarum abſolvendo conſumunt. Litteras humaniores pauciſſimi amplectuntur, in Academiis Hiſpanice magis quam Latine loqui gaudentes. Ingenii fœtus raro ad poſteritatem producunt, niſi omnigena doctrina & prudentia refertos. adeo ut ſecundum doctorum Virorum judicia, quæcunque ab Hiſpanis publici juris ſunt facta ingeniorum ſuorum monumenta, cæterarum nationum ſcripta ut plurimum æquent, ſæpius ſuperent.

Homines Eruditi. Fuerunt antiquitus Hiſpani non vulgariter docti, qui patriam præclara eruditione, lectiſſimiſque ſcriptis illuſtrarunt, variiſque operibus apud remotiſſimos etiam clariorem fecerunt. L. Annæus Seneca ejuſque filii; Lucanus. M. Valerius Martialis, Rufus Feſtus Avienus, Portius Latro, M. Fabius Quintilianus, Pomponius Mela, L. Iunius Moderatus, Columella, C. Iulius Hyginus, Trogus Pompejus & ejus compendiator Iuſtinus, Aurelius Prudentius, Iuvencus, Arator, Poëtæ. Alphonſus Rex Caſtellæ, cujus extant tabulæ Alphonſinæ. Iudæorum: Rabbi Aben-Ezra: Rabbi Moyſes, Rabbi David Chimhi, Moyſes Cordubenſis, Rabbi Camora. Et Medici Arabes, ſi non patrii, ſaltem inſtitutii. Abincenna, Averroës, Rhaſis Almanſor & Meſatiallah. Recentiores in Philoſophia & Theologia magnam ſcriptis laudem, nec minus patriæ decus conciliarunt, Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis. Franciſcus & Iohannes Suarezii. Gabriel Vaſquez, & Franciſcus

Theologi.

ciſcus Toledo, Societatis Ieſu, ut & Ioannes Pineda, Alphonſus Salmeron, & Ludovicus de la Cerda, aliique.

Iuriſconſulti. In Iuriſprudentia jure merito palmam & ſuis & exteris præripiunt, Didacus Covarruvias à Leyva, Epiſcopus Segobienſis, inter primos ſæculi noſtri Iurisconſultos non ultimum locum ſibi vindicans, & Franciſcus Vaſquius, Franciſcus Caldas Pereyra, Arias Pinellus, Ioannes Gutierres, Ludovicus Molina, Emanuel Suarez, Ioannes Baptiſta de Villalobos, Nicolaus Garcia, Gabriel Pereira de Caſtro.

Medici. Medicorum ſcriptis & doctrina illuſtrium præcipui ſunt; Rodericus Fonſeca, Rodericus de Vega, Martinus de Cakia, Franciſcus Valleſius, Chriſtophorus de Vega, Garcias d'Orta, Chriſtophorus de Coſta, Rodericus à Caſtro.

Mathematici. Mathematici excellentiores ſunt, Petrus Nuñes, Petrus à Medina, Salina, Melchior Torres, Hieronymus Girava, Iohannes Hiſpalenſis, Ludovicus Marmol, Antonius Nebriſſenſis, aliique.

Litteratores. In litteris humanioribus excellunt, Ioannes Ludovicus Vives, Ioannes & Ludovicus de la Cerda, Ramirius del Prado, Benedictus Arias Montanus, Ioannes Baptiſta Villalpandus, Martinus de Roa, & Petrus Meſſia.

Hiſtorici. Hiſtoricorum Principes ſunt; Paulus Oroſius; Rodericus Ximenius, Archiepiſcopus Toletanus; Alphonſus Carthaginenſis, Epiſcopus Burgenſis; Franciſcus Tarapha, Ioannes Vaſæus Burgenſis, Ioannes Mariana, Stephanus de Garibay, Florianus d'Elcampo, Antonius Nebrixenſis, Laurentius Valla, Alvarus Gomeſius, Bernardinus Gomeſius, Hieronymus Blanca, aliique, quos longum enumerare foret.

Poëtæ. Poëſi patriam rudem expolierunt Garcilaſſus de la Vega, & Boſcanus; ſed omnibus mira felicitate palmam præripuit Lope de Vega. Cæteri ſunt Pintianus, Alphonſus d'Erſilla, Georgius à Monte majori, Ledeſma, Ceſpedes, Chriſtophorus de Caſtellejos, Ioannes de Mena, Gongora, Michaël Cervantes de Saavedra, aliique innumeri.

Lingua. Lingua Hiſpanorum ex multis conflata eſt. Nam qui exactam ejus habent cognitionem, non ignorant innumeras in ea eſſe Maurorum Gothorumque (utrorumque enim in Hiſpania imperium fuit) voces, quas colligere infiniti eſſet laboris: non paucas item eſſe Græcorum, una cum Latinis, vel ab ipſorum Græcorum commercio invectas. Nihil dicam de Arabicis, quibus mirum quam ſcateat. Quum autem Hiſpania vaſta ac diffuſa ſit regio, variaque habeat regna & Principatus, etiam linguæ, ut fieri ſolet, varias patitur dialectos. Omnium puriſſima fertur eſſe Caſtellana: qua quicquid æternitatem meretur, quicquid memoria dignum, hodie conſcribitur. eam enim volunt proxime ad Latinam accedere. à Caſtellanæ elegantia reliquæ, Portugallica, Andaluzica, Granatenſis, & aliæ nonnihil abeunt. Extremis Portugallis peculiare eſt idioma ex Gallico Caſtellanoque confuſum, non inelegans, neque auditu ingratum. Valentini & Catalani lingua progenitorum, cui cum Narbonenſi nonnihil affinitatis, uti dicuntur. Granatenſes barbaricæ gentis & originis, Chriſtianorum conſuetudine ac victu Caſtellanam didicerunt, vernaculæ pene obliti. qui vero montes aſperos & inacceſſibiles, quos *Alpuxarras* vocant, incolunt, & ad quos victorum arma pervenire nequierunt, ſuis adhuc moribus linguaque, (quæ vix alia, quam Syrorum, Arabum, Maurorum,) utuntur, *Arabiga* ab Arabibus vulgo nominatur. duratque ejus uſus non ſolum in Granatæ, ut dixi, montanis, verum etiam in multis Andaluziæ, Valentiæ, Arragoniæque locis. Cantabri primigeniam ſuam linguam à reliquis omnino diſcrepantem retinent, unde & matricibus linguis eam annumerat Scaliger. Ratio minus mutatæ linguæ eſt, partim quod irruptiones pleræque, cum ex Africa, tum ex orbe Romano, per mare mediterraneum factæ fuerint in eas partes, quæ hodie Catalonia, Valentia, Murcia, Granada, Andaluzia; non per montana illa aſpera, ut hodieque inacceſſa: partim, quod per faciliora & maritima loca Hiſpaniam ingreſſis, quo minus Cantabros inquietarent, obſtiterint montes illi, qui perpetuis jugis ab ipſo Pyrenæo per mediam Hiſpaniam procurrunt ad Artabrum uſque promontorium, nunc *Cabo de finis terræ*, quique populos faciebant Vltramontanos, aggreſſu ex meridionalibus locis difficiles, cum reliqui verſus Auſtrum Cismontani adventantium armis, prædæ, libidini, omnino eſſent expoſiti.

Regimen. Omnia Hiſpaniæ Regna poſſidet Rex cum ſuprema, in omnes & omnia, poteſtate & libero arbitrio, & quidem jure ſucceſſionis, in quod & filiæ, deficientibus heredibus maſculis, ſuccedunt. Major natu filius & futurus Regni ſucceſſor Principis Aſturiarum titulo decoratur, cæteri Infantes nominantur: cæterum Rex ſuprema pollet autoritate in legibus conſtituendis, remiſſionibus, & Iuſtitia adminiſtranda in regnis Caſtellæ, niſi quod reditus (qui certis finibus ſunt circumſcripti) augendi univerſali conſenſu indigeant; Barones vero & Primores Regi ſuis ipſorum ſumtibus in eo bello ſolum operam præſtare conſtringuntur, quod ad Hiſpaniæ ſolius defenſionem ſuſcipere Rex cogitur. Et licet Rex abſolutus ſit, non tamen in omnibus ſuis regnis & dominiis parem & æque abſolutam poſſidet imperandi poteſtatem; nam primum in Arragonia res ſeſe in hunc modum habet, vel potius habuit:

Ma-

Magna ſunt jura, privilegia, libertates ac immunitates Arragonenſium, quas ipſi poſt Hiſpaniam à Iuliano Comite ob ſtuprum filiæ à Roderico Rege illatum proditam, & totis IↃ CC annis à Saracenis poſſeſſam, juris ſui effecti ſibi dixerunt, condito ſupremo Magiſtratu, cui Iuſtitiæ nomen impoſuerunt, qui ſecundum eam jus diceret; de hiſce uberius in Arragonia.

Catalauniæ quoque regimen pene liberum, licet Iuſtitiæ adminiſtratio penes Regem ſit, ſed conditionatum: in publicis conventibus ſi quid à Rege petatur, niſi omnes conſentiant, haud facile quicquam obtinetur.

Cantabri quoque libertatem ſuam acriter tuentur, neque Regem fere niſi dominum agnoſcunt; adeo ut Regem fines eorum ingredi, non niſi bene armatum & comitatum neceſſe ſit, ait *Boterus*.

Porro ad Regem pertinet jus nominandi omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Priores, Commendatarios trium ordinum equeſtrium S. Iacobi, Alcantaræ & Calatravæ. Omnes præſides, Conſiliarios, Proreges, Legatos ſive Vicarios, Gubernatores, & Capitaneos, creat. Non tamen poteſt Beneficia conferre niſi in indigenas, aut quibus prius jus civitatis collatum ab ipſo fuerit: Neque principes, civitates, populi, extraordinariis impoſitionibus ſe gravari patiuntur, ſed immunitates & privilegia ſua ſibi plene conſervari volunt. Quamobrem Imper. Maximilianus I dicto uſurpare ſolebat, ſe Regem eſſe Regum, Hiſpanum Regem eſſe hominum, Gallum regem aſinorum: quia Galliæ Rex ſuos ſubditos pro arbitrio onerare poterat nemine contradicente, ipſi vero à Germanis nihil amplius exigere, quam ultro conceſſiſſent; Hiſpani denique Regi ſuo plus pendere recuſarent, quam legibus, ſtatutis & conſuetudine tenerentur. Sed & hæc rerum facies à multis jam annis multum immutata eſt.

Conſilia. Rex Hiſpaniæ plura & diverſa habet Conſilia, ad quæ remittere ſolet omnia quæ ipſi tam viva voce, quam per libellum ſupplicem fuerint expoſita.

Conſilium Status. Horum Conſiliorum præcipuum eſt quod vocant Conſilium Status. Conſtat ex primoribus & ampliſſimis totius Regni viris, Cardinalibus, Ducibus, Marchionibus, vel Comitibus, eique Rex ipſe præſidet: numerus Conſiliariorum haud ita magnus eſt, nec definitus, quando quatuor, quinque vel ſex conſtans viris, quibus nulla datur annua penſio, ſolis Secretariis duobus exceptis, quorum uni negotia Hiſpaniæ & Italiæ, alteri Galliæ, Germaniæ, Angliæ & Belgicæ incumbunt. Cæterum in hoc Concilio de omnibus, quæ ad regnorum Gubernationem politicam ſpectant, conſtituitur, eaque quæ Regis majeſtatem tangunt, eventilantur, Proreges & Gubernatores regii nominantur.

Bellicum; Conſilium Bellicum eſt in quo tractantur ea omnia, quæ ad bellum ſpectant: in hoc conſtituuntur exercituum Duces, Triremium Generales, earundemque Tribuni, munitiones arcium, pœnæ decernuntur iis qui in militia male munia ſua exercuerunt: omnes vero Concilii ſtatus Senatores in hoc conſilio locum habent ſuum, ſolo excepto Secretario, qui huic Conſilio peculiaris.

Conſilium Regium; Conſilium Regium conſtat uno Præſide, qui plerumque eſt unus ex primoribus titulatis Regni, ſedecim Conſiliariis ſive Auditoribus, qui ex Conſilio Indico ſumi ſolent, 4 Fiſci Advocatis, 5 Relatoribus, & 6 Secretariis; in eo verò tractatur de vectigalibus regni, & annona; nec non lites omnes ab aliis Tribunalibus per appellationem ad hoc devolvuntur, liteſque inter Proceres Regni ortæ ſopiuntur. Quinque horum Auditorum Rex titulum dat Conſiliariorum Cubiculi ſui, qui cognoſcunt de præmiis & donis, quæ Rex in benemeritos confert, & venia quæ condemnatis indulgetur, licentiam è Regno equos educendi, & laminas gladiorum aliaſque res commercio exemtas, aliò transferendi concedunt.

Arragoniæ; Concilium Arragoniæ, in quo tractantur quæquunque tangunt Regnum Arragoniæ, Valentiæ, Catalauniæ, nec non Majoricam, Minoricam & Sardiniam Inſulas: tum quoad juſtitiam, quam quoad gratiam, conſtat uno Præſide, qui vice-Cancellarius appellari ſolet, ſex Conſiliariis Arragoniæ è regno oriundis, qui Regentes dicuntur, & quatuor Secretariis.

Italiæ; Conſilium Italiæ, in hoc pertractantur omnia, quæ pertinent ad Regna & dominia, quæ Hiſpaniæ Rex in Italia poſſidet, conſtatque uno Præſide, ſex Regentibus, quorum tres Hiſpani, tres Itali, tribus Secretariis, Secretario præter eos regio, Advocato Fiſci, duobus Relatoribus & Theſaurario.

Indiæ; Concilium Indicum dignitate Conſilio Regio proximum eſt, & ex eo fere Conſiliarii in id aſſumuntur, quemadmodum reliquorum tribunalium Auditores ad hocce Conſilium promoveri ſolent. Conſtat uno Præſide, octo Conſiliariis, & duobus Secretariis; in hoc diſcutiuntur quæ ad Indiarum Gubernationem pertinent. conſtituuntur Vicereges Hiſpaniæ Novæ & Peruviæ, Auditores Audientiarum, ut vocant, Indiæ, Exercituum Duces, cæterique muneri alicui præfecti.

Ordinum; Conſilium Ordinum conſtat uno Præſide, quatuor ſeu quinque, prout ratio poſtulat, Auditoribus, Equitibus S. Iacobi, Alcantaræ vel Calatravæ: in hoc vero ea negotia tractantur quæ ad dictos ordines equeſtres ſpectant.

Financiarum. Conſilium Financiarum, ſeu patrimo-

nii & ærarii Regii, *d'Hazienda* vocant Hiſpani. in eo agitur de reditibus Regis, & ab hoc vectigalia locantur,& aſſignationes fiunt, & rationes accepti & expenſi per totum regnum adminiſtrantur. Intrant hoc conſilium præter Præſidem quatuor Rationales majores, totidemque minores, & Conſiliarii Cameræ regiæ tres, cum uno Secretario, & uno Relatore.

Conſilium Rationalium.

Nonum eſt *Conſilium Rationalium*, à quibus jus dicitur de rebus, quæ ærarium ſpectant; conſtatque tribus Rationalibus majoribus, totidemque minoribus; & præter illos, quatuor Auditoribus, & uno Secretario.

Contadori de Quentos.

Decimum Conſilium, quod ipſi vocant *Contadori de Cuentos*, hi rationes omnes examinant eorum, quæ in domo ſive familia regia expenduntur; iidem & recenſent reditus totius Regni, & annotant in quæ dicti reditus expendantur. Conſtant autem duobus Rationalibus majoribus, & totidem minoribus, & aliis miniſtris cum Secretariis ſuis.

Tribunal S. Inquiſitionis.

Vndecimum & maximæ dignationis in Hiſpania eſt *Conſilium & Tribunal S. Inquiſitionis generale:* in quo de hæreticis cognoſcitur, & à quo particulares Inquiſitores per totum regnum conſtituuntur, qui ordinarie ſedem ſuam habent Hiſpali, Cordubæ, Granatæ, Murtiæ, in Legionis, inque Gallæciæ regnis, Toleti, Pintiæ, in Arragonia, in Valentia, atque Catalaunia. Conſtat autem Præſide, qui fere eſt Archiepiſcopus Toletanus, & annuatim pro eo munere percipit 16000 ducatos, ſex Inquiſitoribus, uno Advocato Fiſci, uno Secretario. In omnibus regnis Hiſpaniæ ſunt viginti mille Familiares (ut vocant) Inquiſitionis, qui deferunt hæreticos, eoſque capiunt, quorum ſinguli annuatim percipiunt octingentos ducatos.

Conſilia Minora.

Sunt & alia Conſilia minoris momenti; quale illud quod vocant *dos deſcargos*, à quo debita Regum abſolvuntur. Et quod vocant *Sylvarum*, in quo cognoſcitur de damnis Sylvis & nemoribus regni illatis; atque cuſtodes publici Sylvarum conſtituuntur.

Præterea in ſingulis Provinciis Rex aut Proreges conſtituit, aut Gubernatores.

Proreges.

Proreges ſunt (Portugalliæ ante Portugalliam à Duce Bragantiæ occupatam) Navarræ, Arragoniæ, Valenciæ, Catalauniæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, & Majoricæ, Novæ Hiſpaniæ, Peruviæ, & Indiarum Orientalium. Gubernatores proprie dicuntur Mediolanenſis, Oranenſis, Tingitanus, Ceutenſis, Magazanenſis, Maderæ, Inſularum Fortunatarum, Capitis Viridis, S. Thomæ, Angolæ, &c. Caſtellanorum præcipui ſunt qui præſunt Arcibus Neapolitanis, Mediolanenſi, Pompejopolitanæ, Fontarabienſi, Burgenſi, Segovienſi, Papienſi, Cremonenſi, Alexandrienſi, Antverpienſi, Gandavenſi. Præterea majores officiales ſunt Comeſtabiles Caſtellæ & Arragoniæ, horum regnorum Ammiralii. Capitaneus generalis Equitatus Hiſpanici, Generalis Peditatus Italici; Generalis Equitatus Neopolitani, Generalis Equitatus Mediolanenſis. Præfectus tormentorum bellicorum Mediolani. Generalis maris Oceani, Triremium Hiſpanicarum, Triremium Neapolitanarum, Triremium Sicularum, Triremium Genuenſium aliique. Præterea aurei Velleris Equites magna hic,& in Provinciis,Regniſque Hiſpaniæ, Regis Imperio ſubditis, prima pollent auctoritate, quemadmodum & ii, quos vulgariter *Grandes* Hiſpaniæ vocant,qui plerique Duces, quamvis & Marchiones,Comiteſque,quandoque ex ſingulari Regis privilegio hanc dignitatem aſſequantur: his enim coram Rege capite operto eſſe, & in omnibus actionibus publicis Regi aſſidere, Regis privilegio indultum eſt; nullus vero inter eos ratione proſapiæ, ætatis, vel titulorum præeminentiæ locus, ſed quiſque locum quem invenit occupat, niſi quod Comeſtabilis, & poſt eum Ammiralius cæteros in Actibus ſolemnibus rege ipſo abſente anteeat; Ammiralius vero Arragoniæ ea gaudet prærogativa, quod Concilium quodvis gladio accinctus intret, latuſque Præſidis ſiniſtrum occupet,cum cæteris Grandibus armatis ingreſſus prohibeatur.

Officiales Majores.

Equites Aurei velleris.

Grandes.

Quamvis autem Regi ſuprema ſit in omnes & omnia poteſtas liberumque arbitrium: nihil tamen fere decernit, niſi ex XII-VIRORVM (qui totius Regni Primores *Senatum Regium* conſtituunt) conſilio. Ibi graviora, quæque magni momenti, plene ventilata terminantur. Quæ celanda, in *Secretiore Conſeſſu* diſcutiuntur, quem faciunt ipſe Rex, Dictator Legionenſis, Præſes, tertiaque Concilii Regii portio. Quæ ad Indias earumque gubernationem pertinent, tractantur in Senatu, quem Indicum vocant, ab uno Præſide, XII verò Conſiliariis. Bellica in *Senatu Militari* peraguntur; quem ſtatuunt XII-VIRI Senatus Regii, Dictatores item Legionenſis & Caſtellanus,cum aliis. Præter hos etiam tres in Hiſpania ſunt *Iuris præfecturæ*, quas *Audientias* vel *Cancellarias* appellant, una quidem in Caſtilia, altera vero in Granata, tertia in Galecia: unicuique Præſes eſt, & XII Senatores: ab his, ſi litigantes ſibi minus ſatisfactum arbitrentur, controverſiæ ad Senatum deferuntur Regium. Quum vero multa variaque ſint regna, ſingulis præficitur vir primæ Nobilitatis, quem *Viceregem* nominant. Eſt denique *Theſaurarius Caſtellanus* ſub ſe quatuor habens *Quæſtores*; quorum omnium eſt pecunias regni tractare, earumque habere reddereque rationem.

Gubernatores.

Caſtellani.

Status Eccleſiaſticus.

Hic eſt Status Politicus; Eccleſiaſticus talis. Primatus Hiſpaniæ antiquiſſimis temporibus

ribus in Hiſpalenſi fuit Eccleſia, inde vero Toletana, uſque ad excidium illud Hiſpaniæ funeſtiſſimum. Toleto enim in Barbarorum poteſtatem redacto, Bracarenſis Archiepiſcopus ea dignitate eſt functus, docentibus illud Eccleſiæ Bracarenſis archivis. Recuperato à Chriſtianis Toleto, quum Toletanus amiſſam dignitatem repeteret, Bracarenſis autem ſemel adquiſitam retineret, contentio orta eſt, quemadmodum legere eſt libro 1 Decretalium, adeo ut adhuc ſub judice lis eſſe ſcribatur.

Qui porro à temporibus Romanorum & Gothorum in Hiſpania fuerint Præſules, ſacriſque rebus præfecti, docet in Chronico ſuo Ioannes Vaſæus cap. xx. Poſt ereptas rurſum Barbarorum manibus Hiſpanias, Epiſcopatus cum antiquis ſuis civitatibus ſunt reſtituti, tum quidam in nonnullis recens inſtituti. Vndecim hodie Archiepiſcopos Hiſpaniam habere lego, iiſque ſubeſſe Epiſcopos quinquaginta quinque Suffraganeos.

Archiepiſcopi.

Toletanus. Primus eſt *Toletanus*, Caſtellæ Cancellarius & Hiſpaniæ Primas, cui poſt Reges regiamque prolem nullus, vel dignitate, vel fortunæ amplitudine, ſecundus. Parent ei *Cordubienſis*; Epiſcopatus hic antiquiſſimus, & propter Oſium Epiſcopum celebratiſſimus; *Segovienſis*, *Cuenæ* vel *Cunquenſis*; *Carthaginenſis*, *Seguntinus*, *Oſmenſis* vel *Oxomenſis*, (perperam in Conciliis *Oxovienſis*) Valliſoletanus *Giennenſis* vulgo *Iaen.*

Burgenſis. Secundus eſt *Burgenſis*, in Archiepiſcopatum erectus anno 1571. huic parent Epiſcopi *Calagurritanus*, *Palentinus* & *Pompelonenſis.*

Hiſpalenſis. Tertius *Hiſpalenſis*; hic tempore Hormiſdæ Papæ in Luſitania & Bætica, hoc eſt tota ulteriore Hiſpania, vires habebat Romani Pontificis: ſub eo quondam xi, hodie iii ſunt Epiſcopatus: *Gaditanus*, *Guaditenſis*, ſive *Accitanus*, & *Canarienſis.*

Granatenſis. Quartus *Granatenſis.* Granatam reges Catholici, Barbarorum tyrannide liberatam, Metropolitanam fecerunt; tranſlata illuc ſede Eliberitana. Ad ejus nutum ſunt Epiſcopi *Almeriæ & Malacitanus.*

Compoſtellanus. Quintus *Compoſtellanus* eſt. Epiſcopatus hujus ſedes olim fuerat *Iria Flavia*, unde *Irienſis*, oppidum Galleciæ maritimum, *Padron* vulgo. Tranſlatus autem cum omnibus, quæ Irienſis Eccleſiæ fuerant, Dalmachii Epiſcopi precibus, ab Vrbano II, anno 1094, Compoſtellam: dici deinceps cœpit *Compoſtellanus*, vel *S. Iacobi*, ab Apoſtoli corpore, quod ibi quieſcere ſcribitur. Paſchalis Pont. Max. hac Compoſtellanam Eccleſiam prærogativa donavit, ut Cardinales in ea crearentur. Alia ejus privilegia prætereo. Ejus auſpicia ſequuntur, *Salmanticenſis*, *Placentinus*, *Abulenſis*, *Lugenſis* (hic Suevorum tempore Metropolitanus erat, ut patet ex conciliis) *Aſturicenſis*, *Zamorenſis*, *Oreſenſis* (qui & *Aurienſis*, & *Auriſinus*, *Orenſis* item) *Tuienſis* (vel *Tudenſis*, à *Tude* ſive *Tyde*, oppido Galleciæ ad Minium amnem ſito, *Tuji* vulgo) *Badajocenſis* (hodie quoque *Pacenſis*) *Mindonienſis* (cujus ſedes olim Ribadeum Galleciæ civitatem tranſlata, inde in Mindonienſem, vulgo *Mondonnedo*) Caurienſis & *Mirobricenſis* vulgo *Civitatis Rodrigenſis.*

Hiſpania.

Sextus *Cæſarauguſtanus.* Epiſcopatus antiquiſſimus, cujus Præſulem Felicem ab ſanctitate & orthodoxa fide laudat D. Cyprianus lib. 1, cap. 5. Eum in ſacris agnoſcunt Epiſcopi *Oſcenſis* (quem & *Hueſcenſem* quidam vocant) *Iaccenſis*, *Turriaſſonenſis*, *Balbaſtrenſis*, *Tervelenſis*, & *Albaracinenſis.* qui ultimus à quibuſdam Archiepiſcopo Toletano ſubditur. *Cæſarauguſtanus.*

Septimus eſt *Tarraconenſis.* Hujus eccleſiæ antiquitas ex Prudentio conſpicua; qui Epiſcopum ejus martyrem cum duobus Diaconis eleganti hymno celebrat. Obtemperant illi Præſules *Barcinonenſis*, *Dertoſanus* (vel *Tortoſæ*, cujus primum Epiſcopum S. Rufum, Simonis Cyrenæi filium fuiſſe ajunt) *Vicquenſis* (vel *Vicenſis*, olim etiam *Auſonenſis*,) *Gerundenſis* (vulgo *Gironæ*) *Ilerdenſis* (vulgo *Leridæ*) *Helenenſis* (vulgo *d'Elne en Perpinian*) *Vrgellenſis* (vel *Vrgellitanus*) & *Celſonenſis.* *Tarraconenſis.*

Octavus *Valentinus*: cui ſuffragantur *Segorbienſis* (vel *Segobricenſis* à *Segobrica*, quæ nunc *Segorbia*) *Origuellæ*, & *Balearium Majoris*, ſive *Majoricæ.* *Valentinus.*

Nulli ſubſunt *Leonenſis* & *Ovetenſis.* *Leonenſis*, quæ & *Legionenſis*, jam inde à Gothorum temporibus ſedi tantum Apoſtolicæ ſubjecta fuit; nullum agnoſcens Epiſcopum Metropolitanum. *Ovetenſem* Eccleſiam Froila, quartus ab Hiſpaniæ recuperatione rex, ædificaſſe & Cathedralem conſtituiſſe dicitur. Metropolitanæ jus illi tributum ab Ioanne VIII P. M. ſub Alphonſo Magno rege, uti litteræ docent Apoſtolicæ. *Exemti.*

Habet & tres Archiepiſcopos Portugallia, *Bracarenſem*, *Vlyſiponenſem*, & *Eborenſem*: ſubque iis Epiſcopos *Portugallenſem*, *Viſeenſem*, *Lamecenſem*, *Mirandenſem*, *Guardenſem*, *Conimbricenſem*, *Lerienſem*, *Portalegrenſem*, *Silvenſem*, *Albenſem* vulgo *Elvas.* *Eborenſis* Epiſcopatus antiquiſſimus; quod B. Mancinus Chriſti diſcipulus primus Eboræ divini verbi præco, primuſque, ut nonnulli autumant, Epiſcopus fuiſſe dicatur. *Eborenſem* Eccleſiam Metropolitanam fecit Paulus III P. M. primumque ibi Archiepiſcopum nominavit Sereniſſimum Principem S. R. E. Cardinalem, Henricum Portugalliæ Infantem. *Portugalliæ Archiepiſcopi.*

tem. *Silvenſis* in regno Algarbiorum, mutata ſede, Oſſonobenſi ſucceſſit. *Lerienſis* Epiſcopatus inſtitutus auctoritate Paulli III P. M. De reliquis Epiſcopatibus conſulendus Vaſæus, loco, quem indicavi.

His omnibus, ut & Abbatibus, monaſteriiſque, quanti ſint annuatim reditus, notant curioſe Lucius Marineus Siculus, Damianus à Goes, Eques Luſitanus, & alii.

Ad ſtatum Eccleſiaſticum pertinent etiam Fidei Inquiſitores, in Sarracenos, Maranos, & Iudæos primum creati: illorum auctoritas & vires lapſu temporis extenſæ in omnes, quibus alieniores ab Eccleſia Romana mentes.

Vrbes nunc celebres.

Vrbes in Hiſpania nunc celebres ſunt, Barcino, vulgo *Barcelona*, Cataloniæ caput; parvum quondam oppidum, nunc celebre emporium: licet portus commoditate deſtituatur, eoque naves ſæpe in ſtatione tempeſtatibus pereant. Cæſarauguſta, vulgo *Saragoça*, Arragoniæ caput, magnificentiſſima totius Hiſpaniæ urbs; Pompelon, ſive Pompejopolis, vulgo *Pompelona*, caput regni Navarræi; Valentia, caput olim regni, nunc fructuum varietate Hiſpanicarum amœniſſima; Murcia, caput regni, hortus totius Hiſpaniæ appellatus; Carthago nova, vulgo *Cartagena*, optimus Hiſpaniæ ad mare Internum portus; Granata, caput regni, ſplendida atque ampla urbs; Hiſpalis, vulgo *Sevilia*, Andaluſiæ caput, urbs magnificentiſſima, opulentiſſimum totius Europæ emporium; *S. Lucas*, navium ſtatio Hiſpalenſium. Corduba, urbs admodum ampla, at minus populoſa. Marcenæ oppidi ager lectiſſimos totius Hiſpaniæ fert aſturcones. Toletum, centrum fere Hiſpaniæ obtinet: omnium maxima ac munitiſſima. Madritium, vulgo *Madrid*, & *Madril*, regia ſede nobile oppidum: quinto hinc milliario viſitur in Eſcuriali ſuperbum illud D. Laurentii monaſterium, Philippi II opus, in memoriam victoriæ adverſus Gallos ad S. Quintinum in Picardia anno 1557 obtentæ, exſtructum. Burgi, vulgo *Burgos*, Caſtellæ Veteris caput, oppidum antiquitate & magnitudine celebre. *Valladolid*, inter nitidiſſimas Europæ urbes cenſetur. Compoſtellam, Gallæciæ caput, alias vulgo *S. Iago*, D. Iacobi Apoſtoli oſſa ibi ſita, claram effecerunt. Olyſſipo, vulgo Hiſpanis *Lisbona*, incolis Portugallis *Lisboa*, Portugallici regni caput, urbs magna, populoſa, negotiationibus celeberrima. *Setubal*, *Ciudad di Puerto*, *Corunia*, *Ribadeo*, *Viverus*, *Bilbao*, portus ad Oceanum celebres.

Vrbes olim claræ.

Vrbium tota Hiſpania olim clariſſimæ fuere, in Bætica Aſtygi, nunc *Ecya*: Hiſpalis, nunc Sivillia: & Corduba, nunc *Cordoua*. In Luſitania Auguſta Emerita, nunc *Merida*: in Tarraconenſi Pallantia & Numantia, ante memoratæ: item Tarraco, vulgo *Tarragona*, Scipionum opus, maritimarum in his locis olim opulentiſſima: Cæſarauguſta, ſive Cæſarea Auguſta, vulgo *Saragoça*, hodie etiam omnium Hiſpaniarum ſplendidiſſima: Aſturica, nunc *Aſtorga* dicta. Sed & Carthago Nova, nunc *Cartagena*, clara fuit à conditoribus Pœnis: & Saguntus, nunc *Morviedro*, fide atque ærumnis inclytum nomen reliquit.

Hiſpaniæ elogium.

Nefas autem fuerit non adſcribere, coronidis quaſi loco, præclarum hominis Galli de Hiſpania teſtimonium: quo quidquid in ejus laudem & commendationem proferri poteſt, aut ab aliis prolatum eſt, ſuccincte nervoſeque repetitur. Gallus iſte, Latinus Pacatus eſt, qui Panegyricum doctiſſimum ſcripſit Theodoſio Imperatori Hiſpano; in eo ſic inter alia loquitur: Iam profecto conſtabit, eum Principem declaratum, qui & ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. Nam primum tibi mater Hiſpania eſt, terris omnibus terra felicior: cui excolendæ atque adeo ditandæ, impenſius, quam cæteris gentibus, ſupremus ille rerum fabricator indulſit; quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubjecta frigoribus, media fovetur axis utriuſque temperie: quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata, naturæ ſolertis ingenio, velut alter orbis includitur. Adde tot egregias civitates; adde culta, incultaque omnia, vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum; adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poëtarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus tribuiſſe miracula, quæ dum ſint vera, ſint ſingula, nec jam excutio veritatem. Sint (ut ſcribitur) Gargara proventu læta tritici; Menavia memoretur armento; Campania cenſeatur monte Gaurano; Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hiſpaniæ uni, quidquid laudatur, aſſurgat. Hæc duriſſimos milites, hæc expertiſſimos Duces, hæc facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos vates parit: hæc Iudicum mater, hæc Principum eſt: hæc Trajanum illum, hæc deinceps Hadrianum miſit imperio, huic te debet imperium. Cedat his terris terra Cretenſis, parvi Iovis gloriata cunabulis; & geminis Delos reputata numinibus; & alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem conſtare neſcimus auditis, deum dedit Hiſpania, quem vidimus.

Inſulæ.

Inſularum Hiſpaniis adjacentium celebriores ſunt, Baleares duæ, item Ebuſus, & Gades. Baleares contra Tarraconenſia littora ſitæ, haud longe inter ſe diſtant, & à ſpatio ſuo cognominibus acceptis, Majores, Minoreſque plurali numero, vel etiam ſingulari Major, Minorque appellantur: funda olim bel-

Minorica.

lico-

licoſæ, unde & nomen traxiſſe putantur, quaſi ἀπὸ τοῦ βάλλειν, id eſt à jaculando: Græcis Gymnaſiæ dictæ, ἀπὸ τῆς γυμνότητος, id eſt, à nuditate, quod incolæ aliquandiu nudi vitam egiſſe dicantur. nunc vulgo Malorca, & Menorca. Piratica olim incolæ maxime vivebant: Carthaginienſibus iidem contra Rom. ſtipendiarii, donec, Hiſpaniis debellatis, à Romanis ſubigerentur. Mauri poſtea ex Africa occuparunt, cum Hiſpanias diriperent, regnumque adjecta Ebuſo inſula in iis condiderunt: quos tandem Iacobus Arragoniæ rex ejecit. *Ebuſus* inter Majoricam & Hiſpaniam ſita eſt; frumentis tantum non fæcunda: ad alia largior, & omnium animalium, quæ nocent, adeo expers, ut nec ea quidem, quæ de agreſtibus mitia fiunt, aut generet, aut ſi invecta ſint ſuſtineat. Hodie *Yviça* dicitur, ſalis copia maxime celebris. In capite Bæticæ, ubi extremus antiquis mortalibus noti Orbis erat terminus, inſula Gades fretum contingit, quod inde Gaditanum perhibetur, à continenti anguſto ſpatio ac veluti flumine abſciſſa: quam Tyrii, à rubro mari profecti, Erythræam, Pœni lingua ſua *Gadir*, id eſt ſepem nominarunt. In hac Geryonem, cujus boves Hercules abduxit, habitaſſe fabulati ſunt. Tyrii condidere in ea ejuſdem nominis urbem, quæ poſtmodum evaſit opulentiſſima: nunc etiam emporium haud ignobile, vulgari vocabulo *Cadiz*, & corrupte *Calis*, dictum.

Yviça.

Gades.

SERIES REGVM HISPANIÆ.

HIſpania multis ante Chriſti Servatoris exortum annis, Romanæ paruit Reipublicæ, & poſtea longo temporis ſpatio ſub Romanis quoque Imperatoribus egit, uſque ad reſtauratæ ſalutis annum circiter quadringenteſimum; nam ea tempeſtate Wiſigotorum, Weſtgotorumque, id eſt Gothorum Occidentalium Reges ampliſſimam hanc regionem armis conquiſierunt; Hos inter primas egit partes potentiſſimus ille Alaricus, qui Romam cepit, & depopulatus eſt anno duodecimo ſupra quadringenteſimum. Anno autem circiter quadringenteſimo ſeptuageſimo, Regis Henrici temporibus, Hiſpania funeſtis ſciſſa fuit diſſidiis; nam Galicia, & quadam ex parte Luſitania Suabicæ ditioni ſubjacebant; Bætica & Catalaunia Gothicæ; regnum autem Toletanum ſeu Carpetanorum regio, Romanam agnoſcebat dominationem, ſicut & Cartagena aliæque Hiſpaniarum provinciæ; At ex illo tempore Henricus, univerſa hæc Romanis eripuit, Gothoſque totius Hiſpaniæ, una duntaxat dempta Galicia, dominos effecit; hæc quippe, Galicia, inquam, Suevis erat ſubjecta, qui & à Gothis regibus profligati, atque ex Hiſpania fugati ſunt. Succeſſerunt itaque Gothi, eorumque nomen & imperium ad annum uſque 712 perduravit, ad tempora videlicet Roderici, ultimi Gothorum regis, qui Iuliani Comitis, Hiſpaniarum ex parte Gubernatoris, filiæ pudicitiam per vim & nefas læſerat: Comes igitur in ultionem ſceleris & injuriæ proprio ſanguini abs rege illatæ, Mauros in Hiſpaniam evocavit; unde & Tarifus ex Africa tranſmiſſo mari illuc adveniens, primò quidem omnem eam regionem, quæ Calpio monti circumjacet, obſedit, Andaluziam deinde atque Luſitaniam devaſtavit, expugnatis urbibus quam plurimis, inter quas ipſa civitas Abulenſis in ejus quoque ditionem ceſſit.

Quibus peractis Tarifus & Iulianus Africam repetierunt, ac Requilæ juxta Muzam conſtituto id oneris impoſuerunt, ut plures ſeu peditum ſeu equitum turmas in Hiſpaniam quantocius transmitteret, pugnandum quippe adverſus centum bellatorum millia, partes Roderici Regis propugnantium; quod & executioni mandatum eſt, ipſeque Rodericus in bello cecidit, ut poſtmodum ex regiis illius inſignibus poſt cædem inventis, ſufficienter compertum eſt; attamen nuſquam ejus cadaver reperiri potuit; quare ſemet ipſum in confluentem præcipitaſſe ſuſpicio eſt. Hac demum ratione Gothorum nomen & imperium una cum eodem reges finem acceperunt, atque penitus extincta ſunt.

Pelagius, Roderici conſanguineus, reſiduis diffidens viribus ad Aſtures ſeceſſit, Mauriſque illico Cordubam, Granatam, Murciam, atque Toletum occuparunt, multaſque civitates ferro & flammis devaſtarunt; expugnataque Gigionenſi civitate totius fere Hiſpaniæ munitiſſima, Aſtorgam quoque funeſto cremarunt incendio. Tunc tota propemodum Hiſpania Maurorum poteſtati ſubdita eſt, qui & in Chriſti aſſeclas ſævierunt. Porro quidquid Chriſtianorum erat, montium Pyreneorum, Navarræ, Arragoniæ, Galiciæ nonnullarumque aliarum regionum coanguſtabantur finibus; nec enim illis ubique commorari licebat: qui autem ex Mauris Chriſtianorum genti permiſcebantur, *Muzarabes* fuere nominati.

Reges Ovietenſes.

Pelagius igitur in regem electus Mauros ſuperavit, hacque victoria regnum apud Aſtures ſtabiliens, omnem undiquaque planitiem depopulatus eſt, urbes plurimas à Mauris ſuſtulit, queis etiam Legionenſis civitas annumeratur; quapropter ex illo tempore regis Legionenſis nomen ſibi vindicavit, prout à nonnullis circumfertur, ſed perperam; namque

que regum Mauſolæa, quæ in Oviedenſi extant civitate, & quæ in Aſturibus, in contrarium teſtantur, Pelagium ſcilicet, regeſque alias in Oviedo ſolum regnaſſe ante Ordonium II, qui primus omnium regis Legionenſis nomen obtinuit. Ceterum Pelagio ſuppetias impenſe tulit Alphonſus Petri Biſcaiæ Ducis filius, qui poſtmodum regnavit, quique Ormiſindam Pelagii filiam, ob res præclare geſtas, uxorem habere meruit; ipſi conjunctis pariter viribus, plurima ex Mauris tam in Galicia, quàm in Aſturibus loca ſuſtulerunt. Mauri tandem profligatis pluribus eorum in Hiſpania Ducibus, Abderrahmen rerum ſuarum moderatorem elegerunt; is autem cum Gallias invaſiſſet, à Carolo Martello apud Turones trucidatus eſt cum trecentis ſeptuaginta quinque Saracenorum ſive Maurorum millibus, anno 734. quemadmodum & prius Zama Hiſpaniarum moderator, ab Eudo Aquitaniæ Duce in Tholozæ obſidione interfectus fuerat. Abderrahmeni dein ſucceſſit Abdemelicus, quo rerum habenas moderante, Pelagius annis atque honoribus cumulatus obiit anno 736.

Favila, ſive Fafila, Pelagii filius, duobus duntaxat annis regnavit; ab urſo enim inter venandum occiſus eſt anno 739, nec ullos poſt ſe liberos reliquit.

Alphonſus I, qui Ormiſindam Favilæ ſororem duxerat uxorem, illo è vivis ſublato, regnum adeptus eſt, hoc quippe ordine Pelagius eum regni ſucceſſorem teſtamento ſcripſerat. Is plane in rebus agendis ſtrenuus, in adverſis conſtans ſemperque ſibi ſimilis, erga Numen autem religioſiſſimus fuit, unde & regis Catholici nomen conſecutus eſt; quod & apud ſucceſſores ſervatum, donec Alexander hujus nominis Sextus Pontifex Hiſpana gente oriundus, Ferdinando Arragonico, Hiſpaniarum regi hunc titulum confirmavit, eodemque illius in poſterum ſucceſſores decorari voluit. Ceterum Alphonſus arridentem in omnibus pene fortunam expertus eſt; Mauros enim aggreſſus plurimas ex iis victorias reportavit, illorumque provincias, Aſtures, Luſitaniam, Caſtellam atque alias maxima ex parte ſubjugavit; civitates eorum diripuit. Tandem è vivis exemptus eſt anno ætatis 74, regni 19, relictis quinque liberis, ex Ormiſinda nimirum conjuge, Froilam, in regno ſucceſſorem, deinde Bimaranum, Aurelium, & filiam nomine Vſendam ſeu Odeſindam; ex concubina vero Mauregatum quoque filium naturalem ſuſcepit.

Froila, regis Alphonſi primogenitus & in regno ſucceſſor, exercitum Ioſephi Maurorum Ducis totam undicunque Galiciam devaſtantis, prælio fudit, in quo quinquaginta quatuor armatorum millia interfecit; Ioſephus ipſe à ſuis paulo poſt apud Toletum interfectus eſt anno 759. Tum demum Mauri omnes, qui in Hiſpania agebant, unius Abderrhaminis imperio ſubditi ſunt, atque ipſe primus regnum ſtabilivit; neque Mauri deinceps Syriæ Caliphas, aut Africæ Miramamolinos agnoverunt; quin & Valentia eidem paruit. Froila autem genuit ex Meninda Eudi Aquitaniæ Ducis filia, Alphonſum cognomine Caſtum; verum cum Froila Bimaranum fratrem trucidaſſet; ipſe quoque ab Aurelio fratre interemptus eſt; unde &

Aurelius ipſe, fratricida, regno potitus eſt, ſex annis, & menſibus ſex, nullaque rerum geſtarum clarus gloria mortuus eſt anno 774.

Silo; una cum Adoſinda uxore, Aurelii ſorore ad regnum evectus, ſocium regiminis adſcivit Alphonſum Froilæ filium, fato functus eſt anno 783, poſtquam regnaſſet annis novem, menſe 1, die 1.

Alphonſus cognomento *Caſtus*, Froilæ filius, à regni proceribus ad thronum ſublimatus, obſtrepente etiam Mauregato Alphonſi Catholici ſpurio, regnum moderatus eſt; quapropter Mauregatus ab Abderhamene ſuppetias petiit; Alphonſus autem Abderhamenis viribus imparem ſe cognoſcens, numeroſoque illius exercitu territus confugit in Celtiberiam anno ætatis 25.

Mauregatus itaque Abderrhamenis potentia fretus regnum ſubiit, annis 5, & menſibus 6, imperavit, data Mauris fide tributi 50 virginum è ſtirpe nobili genus ducentium, totidemque è plebe ſelectarum. E vivis exceſſit anno 788, eodem nimirum quo & Abderrhamenes apud Corduam defunctus.

Veremundus, cognomento *Diaconus*, Bimarani filius, Froilæ autem genitor, poſt Mauregatum; ad regnum aſſumptus, rerum habenas 3 annis tenuit. Exinde *Alphonſum* Mauregati artibus regno exturbatum è Celtiberia revocavit, qui quidem 52 annis poſtmodum regnavit, felici omnino ſucceſſu: Mugaino Maurorum Generali maximam cladem intulit, Tributum inſuper virginum à Mauregato promiſſum exſolvere recuſavit.

Alphonſus itaque ſolus à morte Veremundi apud Oviedo regnavit; *Caſti* autem cognomento fuit inſignitus, eo quod à propria etiam uxore, uſque ad mortem continuerit; verum Ximenes illius ſoror eo etiam inconſulto enupta Sancio Sardiniæ Comiti, in monaſterium ablegata eſt, poſtquam ex eodem Sancio ſtrenuum illum Bernardum de Carpio genuiſſet, qui etiam oculorum orbatus acie multa præclare geſſit, unde & ſui memoriam poſteritati commendavit; hujus autem mater dum monaſterio mancipata detineretur, ipſe regiis apud Aſtures exercitiis fuit innutritus. Alphonſus interim ſumma

cum

cum laude ſceptris potitus, vitam hanc caducam cum immortali commutavit anno 824, ſucceſſorem relinquens

Ramirum Veremundi filium, qui ut thronum aſcendit, mox omnes Hiſpaniæ veneficos cremari imperavit, furibus oculos erui, unicuique condignum ſceleri ſupplicium aſſignans. Rebus ſic in regno compoſitis, hoſtes quoque exteros profligavit; Abderrhamenem II, Mauroſque tributum virginum repoſcentes, prælio fudit, tantaque eos ſtrage affecit, ut ſexaginta millia in eorum exercitu deſiderarentur; hanc autem victoriam vocato ſuppetias S. Iacobo Apoſtolo ipſe impetravit; unde & apud Hiſpanos ſolenne eſt in quibuſcunque præliis ſub ejuſdem Divi auſpiciis decertare, & ad augendos animos D. Iacobi nomen exclamare, atque aſſumere in defluentis exercitus revocandi teſſeram; demum devictis quoque Normannis mortuus eſt circa annum 850.

Ordonius I, ex eo genitus, maximus Iuſtitiæ antiſtes, regno ſuffectus eſt; is multas à Mauris civitates ſuſtulit, inter quas Salmantica urbs famoſiſſima numeratur. E vivis deſiit anno ſalutis 862, regni 11, ſuſceptis ex Munia uxore Alphonſo, Veremundo, Odoardo ac Froila liberis.

Alphonſus III, annum ætatis quartum-decimum vix adeptus, regni diademate eſt inſignitus: Mauros ſæpiſſime debellavit, fratreſque, quod in eum conjuraſſent, oculis orbari præcepit. Ex Amelina uxore, regum Francorum è ſtirpe oriunda, genuit Garſiam, Ordonium, & Froilam liberos ſibi in regno ſucceſſores, necnon & Gonſalvum Eccleſiaſtica dignitate præcellentem. Bragam, Conimbricam & alias Luſitaniæ civitates, omnemque Legionis, ac veteris Caſtellæ regionem ſuæ ditionis fecit. Garſia filius, impellente matre, in eum arma movit; ſed Alphonſus perduellem caſtro Gauzonenſi coërcuit; cumque poſtea Nuño Fernandez Caſtellæ Comes opem filio tuliſſet, ipſe tot moleſtiarum pertæſus regni habenas in manus Garſiæ tradidit, Ordoniumque filium alterum Galiciæ præfecit anno Chriſti 910, quo etiam cum eſſet Zamoræ, fatis ceſſit, anno regni ſui 47.

Garſia, cum jam patrem regno detruſiſſet, Ayolam Maurorum Ducem, illiuſque exercitum profligavit; abſque liberis obiit Zamoræ, anno 913, poſtquam tribus regnaſſet annis.

Ordonius autem è Galicia profectus regnum fratris occupavit; Talaveram Maurorum civitatem à ſe direptam, flammis depopulatus eſt; obvios ex Africa Mauros fregit, Luſitaniam vaſtavit; demum urbem Legionenſem victor ingreſſus, ibidem regni ſolium ſtabilivit; exinde Reges Ovietenſes, Legionis Reges vocari cœperunt. Ex conjuge Munina Elvira liberos habuit Sancium, Alphonſum, Ramirum, & Garſiam, natam quoque nomine Ximenem. Ferdinandum Nuño, ac pleroſque alios Caſtellæ Comites ſpecie colloquii accitos, capite mulctavit; unde & Caſtellenſes indignati adverſus eum rebellarunt; ipſe vero conſcripto jam milite cum eorum vellet petulantiam coërcere, fatis ceſſit Zamoræ anno 923.

Reges Legionenſes.

Froila II, Ordonii germanus, armis ſibi ad thronum viam aperuit, invitis etiam regni proceribus; *Crudelis* cognominatus, nam vere trux fuit & barbarus. Hujus temporibus Caſtella ſeceſſionem à Regibus Legionenſibus molita eſt, atque rerum ſummam penes duos Comites ſeu Iudices repoſuit; manſitque deinceps à regno Legionenſi divulſa. Suſcepit autem Froila ex uxore Nuña liberos Alphonſum, Ordonium & Ramirum, ac tandem anno 924 defunctus eſt.

Alphonſus IV, cognomento *Monachus*, ſucceſſit, vecors & ignavus, nihil regia dignum Majeſtate geſſit; imo rerum onere velut territus, diadema Ramiro fratri remiſit, factus poſtmodum ipſe monachus, unde & cognomen illi impoſitum eſt.

Ramirus II, regno ſurrogatus, ex Thereſa conjuge Veremundum, Ordonium, Sancium & Elviram natos habuit; rebelles Froilæ filios domuit, iiſque oculos fodi imperavit, eodemque Alphonſum fratrem ſupplicio affecit, cum ejuſdem eſſet quoque perduellionis reus. Pleraſque civitates Maurorum poteſtati exemit; Abenayam Maurorum Cæſarauguſtanorum regem, ſibi tributarium effecit; & cum denuò rebellaſſet, prælio vicit: Vracam Ferdinandi Gonçalez Caſtellæ Comitis filiam, Ordonio, quem regni heredem deſtinaverat, uxorem dedit; jamque ſenio confectus, regnum eidem mandavit, fato fungens anno 950. Hujus ergo filius

Ordonius III, ex voto patris diademate potitus, Sancium fratrem in ſe rebellem expertus eſt, potentiâ nempe Ferdinandi Gonçales Caſtellæ Comitis, atque Garſiæ Sanchez avunculi authoritate fretum; verum ille magna omnino ſolertia rebus conſuluit, tantaque animi magnitudine pervicacibus obſtitit, ut ipſi ab inceptis illico deſiſtere fuerint coacti; quare & in Ferdinandi odium Vracam ejus filiam, quam uxorem duxerat, repudiavit, aliamque ſuperduxit, ex qua Veremundum ſuſcepit, qui interjectis tribus regibus ſucceſſit. Tandem Ordonius è vita migravit anno 955.

Sancius cognomento *Craſſus*, defuncti germanus, regnum nullo contradicente obtinuit, quamquam regimini impar atque inidoneus; nam & fugato exercitu, ipſe quoque regnum deſerens ad avunculum ignominioſe confugit.

Ordonius IV, cognomento *Malus*, Alphonſi Monachi filius, thronum à Sancio deſertore relictum inveniens, illum ſtatim occupavit, Vrracam Ferdinandi Comitis filiam ab Ordonio præceſſore repudiatam, uxorem duxit; ipſe cum eſſet peſſimus, (unde & illi agnomen inditum) à ſubditis odio habitus eſt; quapropter data occaſione, deſertum à ſe regnum Sancius recuperavit; Ordonius autem ad Mauros profugus, veneno è vivis ſublatus eſt.

Ramirus III, ad regnum aſſumptus eſt adhuc in teneris agens, ſed matre Thereſa moderante; is Ordonii nuper extincti filius; Vxorem duxit Vrracam, ſibi moleſtam, regni autem proceribus odibilem. Ceterum Veremundo Ordonii III filio, neſcio quid adverſus illum moliente, invicem convenerunt, Galiciam ſub poteſtate Veremundi deinceps extituram, ſtabilito apud Compoſtellam incipientis regni ſolio. Legione diem clauſit extremum anno 982, improles, & nulla re geſta clarus.

Veremundus II, Ordonii Tertii filius, Rex Galiciæ, legibus & regni conſuetudine fretus regnum excepit; ſicque Legionis atque Galiciæ regna in unum corpus ſub hoc Capite coaluerunt. Attamen illius temporibus, Mauri Legionem, Valentiam del Campo, Aſtorgam multaſque alias civitates diripuerunt, Compoſtellam quoque funeſto deformarunt incendio, reverſi autem, maximam partem à Veremundo obtruncati, ſuperſtites vero lue peſtifera interierunt. Porro Veremundus duas eodem tempore duxit uxores, Velaſquitam, atque Elviram ſorores; ex priore Chriſtinam, ex altera ſuſcepit Alphonſum. Obiit anno 999.

Alphonſus V, vix è cunis exceſſerat, cum regno ſuffectus eſt; attamen rerum habenas moderabatur Melenda Gonçalez Galiciæ Comes; hoc enim moriens Veremundus Alphonſi parens teſtamento mandaverat; quod & ſumma prudentia, & fide ſincera Comes præſtitit. Eam ob rem Alphonſus filiam ejus Elviram, in grati animi argumentum, uxorem duxit, quæ & Veremundum & Sanciam ei peperit. Rex ille ſapientiſſimus Gothorum leges emendavit. Porro regiis muneribus glorioſe perfunctus, in obſidione Viſeenſi Luſitaniæ occubuit anno 1028.

Veremundus III, paterni diadematis hæres, cum eſſet abſque liberis, poſt illius mortem jus regni ad ſororem nomine Sanciam devolvi debuit; nupſit autem hæc Ferdinando Sancii Magni, Navarræ regis filio, qui exinde ab Veremundo regni ſucceſſor deſignatus eſt; ipſe etiam Ferdinandus regnum Caſtellæ, ab utriuſque parentis obitu, jure hereditario poſſidere debuit. Verum exortis Veremundum inter & Ferdinandum diſſidiis, diu ancipiti Marte dimicatum eſt; ſed interim Veremundus mortuus eſt anno 1038.

Reges Caſtellæ, & Legionis.

Ferdinandus itaque ſub uno diademate utrumque copulavit imperium, Caſtellæ nimirum & Legionis; *Magnus* jure merito ob res præclare geſtas cognominatus, nam Viſeum, Conimbricam multaſque alias tum in Luſitania, tum in regno Toletano, è Maurorum poteſtate exemit civitates, totque præliis eos fatigavit, ut pacem ab eo rebus pretioſiſſimis, auro nimirum & argento emere fuerint adacti; adverſus quoque fratrem ſuum Garciam Navarræ regem bella geſſit, qui & in acie obtruncatus eſt; Ferdinandus autem eas civitates, pro quibus dimicatum fuerat, ſuæ ſubdidit poteſtati. Vtriuſque ſexus ſobolem ex Sancia uxore ſuſcepit; Sancium videlicet, in regia dignitate ſucceſſorem, Alphonſum, & Garſiam filios; filias vero Vrracam & Elviram. Porro filios hoc ordine ſuorum regnorum conſcripſit heredes; Sancio primogenito Caſtellam legavit, Piſuerga atque Ebro fluminibus circumſcriptam; Alphonſo regnum Legionis, & Aſturum portionem, quæ Devæ amni adjacet, necnon & quaſdam urbes Galiciæ, Garſiæ demum quidquid ſuperfuit Galiciæ, eamque Luſitaniæ portionem quæ à Chriſtianis incolebatur, aſſignavit; atque hac rerum diviſione, unuſquiſque filiorum regis titulo decoratus eſt; completis igitur regni 28 annis, Legione defunctus eſt anno Chriſti 1065.

Sancius Caſtellæ rex, Sancium Navarræ regem adorſus eſt; verum opem ferente Sancio rege Arragoniæ, Rex Navarrus Caſtellanum profligavit, atque ab eo quidquid terrarum prius à Ferdinando patre tam in Birvieſca, quam in Riöenſi regione fuerat conquiſitum, uterque, Navarrus nimirum & Arragonius ſuſtulerunt. Bellavit quoque Sancius Caſtellæ Rex adverſus fratres; Alphonſum Legionis regem intercepit, illique attonſa cæſarie, monaſterio mancipavit, ejuſdemque regnum ſuæ ditionis fecit; ſed Alphonſus clauſtro egreſſus ad Mauros profugit; Garſiam quoque ad mortem uſque carceri addixit; his tandem artibus cuncta patris regna obtinuit; cumque ſorores etiam relicto illis à genitore patrimonio vellet exturbare, ipſemet è vita exturbatus eſt Zamoræ anno 1073.

Alphonſus VI, cognomento *Strenuus*, ſtatim poſt fratris obitum à Mauris ſecedens, apud ſuos ſe recepit, à quibus Caſtellæ Legioniſque rex acclamatus eſt. Poſt obitum Sancii Navarræ regis à Raymundo fratre obtruncati, Burevam ſuæ ditioni ſubjecit, necnon & omnem circa regionem Birvieſcæ, Riojæ, Calahorræ, & totius omnino Celtiberiæ; Toletum quoque à Mauris abſtulit, Maurorumque regem Valentiam perduci fecit; ſubegit quoque

que urbes Maqueda, Eſcalona, Illeſcas, Talaveram, Moram, Madritum, Medina Celi, multaſque alias. Demum, Chriſtianis exteris opem illi ferentibus, Mauros terga vertere coëgit, & procul ſecedere; ex his *Henricum* ſelegit, qui Luſitaniæ regibus dedit initium, cui & filiam Thereſam uxorem tribuit; quemadmodum & Raymundo Toloſæ Comiti, Elviram, Vrracam verò Raymundo Burgundiæ Duci copulavit. In quocunque bello à ſe ſuſcepto, *Cid Ruy Dias* illius Vaſallus, ex Hiſtoriographis notiſſimus, æque ac laudatiſſimus, egregiam præſtitit operam, quod & Diego Rodriguez de Bivar ejuſdem filius ſumma cum laude executus eſt. Agnetem accepit uxorem, qua defuncta Conſtantiam ſecundis nuptiis adſcivit, ex qua Vrraca regnorum ſuorum heres progerminavit; extincta vero Conſtantia Mariam Benabet Maurorum regis filiam duxit, quæ Sancium illi peperit, in bello à Mauris occiſum; quartam inſuper, Bertam, ex Tuſcia; quintam Eliſabeth, ex Gallia; ſextam denique Beatricem, uxores habuit. Tandem tot inclytus trophæis rex magnus occubuit Toleti anno reparatæ ſalutis 1109, ætatis ſuæ 70.

Alphonſus VII, ex Vrraca Alphonſi filia progenitus, adhuc infans, Rex Caſtellæ ſalutatus eſt; verum cum adoleviſſet, Navarræ, Arragoniæque regna jure hæreditario ad ſe pertinere publicavit; quare in utramque regionem ferro ſibi viam aperiens, caſtra & urbes plurimas in Rioja, Alava necnon & aliis provinciis ſibi vindicavit; tandem in Comitiis Legionenſibus Rex Navarræ, Arragoniæ, & Catalauniæ proclamatus, à ſuis Imperatoris titulo decoratus eſt: benigne ſe geſſit in Garſiam Navarræ regem; nam ſuis eum ſtatibus reſtituit, hac nihilominus interpoſita conditione, quod Caſtellæ regem, ſupremum agnoſceret Dominum atque moderatorem. Sancium & Ferdinandum liberos ex Berenguela uxore procreavit, ac poſtmodum ægrotans in lecto placide obdormivit anno 1157.

Sancius II, in omnem Caſtellæ ditionem ſucceſſit, regni heres patris teſtamento conſcriptus; Ferdinandus autem regna Legionis & Galeciæ jure quoque hereditatis poſſedit; at dictus nuper Sancius non uno amplius anno regnavit, mortuuſque eſt anno 1158, filium relinquens Alphonſum nomine, unigenitum, cujus moderatorem Gutierrez Fernandum Ruys de Caſtro inſtituit, donec ipſe annum ætatis decimumquintum, regno aptior effectus, attigiſſet.

Alphonſus VIII, patris in regno ſucceſſor legitimus, mox ut thronum aſcendit, Ferdinandum Status ſui perturbatorem expertus eſt, qui & omnia pene loca ſibi ſubjecit; verum cum ad maturiorem perveniſſet ætatem, ex procerum conſilio, regni civitates invi-ſit, quæ honorifice illum excipientes, ei etiam ſuæ ſubjectionis fidem dederunt, oblato quoque pecuniæ aliarumque rerum ad defenſionem regni neceſſariarum ſubſidio; demum ingreſſus Toletum, inde Ferdinandum fugavit. Eleonoram Henrici Secundi Angliæ regis filiam uxorem aſſumpſit, è qua Blancam S. Ludovici Francorum regis matrem, Berenguelam, Vrracam, Leonoram, Henricumque ſibi ſucceſſorem procreavit. Obiit anno Salutis 1214, ætatis ſuæ 57.

Henricus, undecim tantum annos natus, regna Caſtellæ atque Toleti ſub matris regimine ſuſcepit; ſed puer adhuc interiit, laterculo in caput fortuito decidente enecatus anno 1217.

Ferdinandus II, ex Berenguela Alphonſi Octavi filia, Alphonſique regis Legionenſis conjuge, progenitus in regnum adſcitus eſt, Beatricem Philippi Germaniæ Imperatoris filiam duxit in matrimonium, unde ſeptem liberi progerminarunt, Alphonſus nimirum, Fridericus, Ferdinandus, Henricus, Philippus, Sancius & Emmanuel. Andaluziam invaſit, multaſque à Mauris exemit civitates. Alphonſo patre è vivis ſublato, Legionenſe regnum obtinuit, à quo tamen per ipſius teſtamentum fuerat excluſus; namque pater Sanciam & Dulciam filias Legionis heredes conſtituerat; verum ſorores jus regni ad illum remiſerunt, reſervata ſibi annua 30 mille nummorum penſione. Cordubam & multa alia, quæ longum eſſet recenſere, loca, Maurorum dominationi ſubtraxit; tandem juncta ſibi ſecundis nuptiis Ioanna de Ponthieu, ex Simone Comite genita, Ferdinandum agnominis ejuſdem, atque Eleonoram, & Ludovicum, legitimos matrimonii fructus ex ea reportavit.

Alphonſus IX, regni hæres teſtamento nuncupatus ſucceſſit: ipſe *Sapientis* agnomen & tulit & meruit; nam etſi inter arma & armatorum cohortes innutritus, in Hiſtoria tamen, Aſtrologia, & Philoſophia peritiſſimus evaſit. Nati ſunt ei ex Violanta Iaymi Arragoniæ regis filia, Ferdinandus *de la Cerda* cognominatus, ob prælongum, quem naſcens in dorſo gerebat pilum, ſed intempeſtiva morte ante patrem extinctus eſt; deinde Sancius, Petrus, Ioannes, Iacobus, Iſabella, & Eleonora. Electus quidem fuerat Germaniæ Imperator: verum profectionis dilatio, amicorum derelictionem, imperiique jacturam ei attulit. Obiit anno 1284, Alphonſo ac Ferdinando pronepotibus, Ferdinandi nimirum *de la Cerda* liberis regni heredibus conſcriptis, invicemque in hereditate ſubſtitutis; hac etiam adjecta teſtamento clauſula, quod ſi ambo ſine prole ex hac vita decederent, ſufficeretur Philippus Franciæ rex, ſtemma ducens ex parte matris à Caſtellæ regibus;

gibus; hoc autem teſtamento mandans ne fratrum quidem aut liberorum meminit, ex concepto in Sancium primogenitum odio, is enim fere patrem regno exturbarat; Abulam tamen & Badajos Ioanni, Murciam quoque Iacobo etiam cum regia dignitate in extremis poſitus legavit, jubens indeſinenter ab iis agnoſci ſupremum Caſtellæ dominium. Porro Alphonſus Ferdinanduſque *de la Cerda* ejus liberi in arce Xativa detinebantur, à rege Arragoniæ malis Sancii artibus proritato.

Sancius, cognomento *Strenuus*, nemine prorſus obſtrepente regnum iniit, diſpoſitione patris in contrarium abeunte; Iſabella quoque ejus filia, heres paterni diadematis teſtamento nuncupata, ſi abſque liberis ille moreretur; at poſtmodum genuit Ferdinandum, quem moriens regni fecit ſucceſſorem anno 1285. Præter Ferdinandum autem, alios poſtmodum ſuſcepit liberos, Alphonſum ſcilicet, Henricum, Petrum, Iſabellam, atque Beatricem.

Ferdinandus III, adhuc infans regno adſciſcitur, ſed pene in ipſius regni exitium, nam exinde civiles exarſerunt diſcordiæ, quibus vix conſopitis ipſemet extinctus eſt anno ſalutis 1312, ætatis 24. Genuit ex Conſtantia Portugalenſi Alphonſum regni ſui heredem, atque Eleonoram reginam Arragoniæ.

Alphonſus X, adhuc in cunis rex inauguratus, rerum ſumma manibus Mariæ ejus aviæ commiſſa, cum jam ex ephebis exceſſiſſet, Mariam Alphonſi Luſitaniæ regis filiam ſibi conjugavit, ex qua natus eſt Petrus, qui in ejus regna ſucceſſit; habuit quoque ex Eleonora Guzmana pellice Henricum, qui & poſtmodum Caſtellæ diadema geſtavit; alios præterea procreavit liberos, Fredericum ſcilicet, Ferdinandum, & Tello. Denique annum ætatis trigeſimum octavum adeptus fatis ceſſit, à nativitate Chriſti 1350.

Petrus agnomine *Crudelis*, Alphonſi Mariæque filius ad thronum accedens, Eleonoram Guzmanam in manus Mariæ matris tradidit, quæ eam trucidari mandavit, atque cum illa multa nobilium capita morti addixit. Primo quidem Blancam Petri Borbonii filiam uxorem duxit, quam poſtridie abjecit præoccupatus Mariæ Padillæ pellicis ſuæ amoribus; unde & ſubditi adverſus illum, ob illatam reginæ injuriam, concitati, ſeceſſionem moliri cœperunt; nihilominus illos aſpernatus, Ioannam de Caſtro ſuperduxit, Blanca adhuc ſuperſtite; imo & duobus Epiſcopis ſecum facientibus, ut contractum à ſe cum Blanca conjugium diſſolverent, impetravit; demum elapſis aliquot diebus, ſpreta quoque Ioanna, ad Mariæ Padillæ amplexus iterum convolavit, Blancamque, quam carceri addixerat, veneno ſuſtulit; ac paulo poſt Padillam pellicem fatis functam, legitimam ſibi fuiſſe uxorem declaravit; ex qua etiam filium Alphonſum nomine, & quaſdam filias ſuſceperat. Verum patratis tot & tantis criminibus, *Henricus* Traſtamara ejus frater ſpurius Hiſpanias ſubintravit, junctis ſibi Franciæ viribus à Bertrando Gueſclino deductis, rexque Caſtellæ & Legionis in regio *de las Huelgas* aſceterio, humanæ ſalutis reparatæ anno 1366, inauguratus eſt; eumque deinceps omnia fere iſtorum regnorum loca regem agnovere; quam ob rem omnes ei Status ordines ſuæ fidelitatis juramentum præſtiterunt; Petrus ergo ſibi timens in Galliam confugit; Henricus autem dimiſſis auxiliaribus Franciæ copiis, atque reſervatâ duntaxat, Gueſclino imperante, mille quingentorum equitum manu, à Petro rege debellatus eſt, opem ferente Walliæ principe & nonnullis Comitibus, qui in regna eum reſtituerunt; at quum iis, qui ſibi in auxilium venerant, ſtipendium non exſolviſſet, illico ab omnibus derelictus eſt. Henricus itaque redintegrato adverſus Crudelem prælio, devicit, eumque morte affecit anno 1369.

Henricus igitur pacatis rebus, ac profligata crudelitate ad regnum pervenit; omniaque per circuitum loca ſibi ſubjecit, cumque hoſtibus evaſiſſet terribilis, veneno, à Mahumete ſeniore Granatenſium rege, ſubminiſtrato, extinctus eſt anno Chriſti 1379, ætatis 46. Vxorem habuit Ioannam Manuelis potentiſſimi Hiſpaniarum Principis filiam, quæ Ioannem ſucceſſorem ei peperit.

Ioannes I, anno ætatis vigeſimo primo ad regimen acceſſit, atque paulo poſt ex Eleonora conjuge filium ſuſcepit Henricum nomine, regnorum heredem; mox etiam Ferdinandum: defuncta autem Eleonora Beatricem Ferdinandi Luſitaniæ regis filiam duxit in matrimonium; mortuuſque eſt anno 1390.

Henricus III, ſucceſſit, æqui amantiſſimus, junctaque ſibi Catharina Ioannis Lancaſtriæ Ducis filia, Ioannem procreavit diadematis ſucceſſorem, Mariam quoque reginam Arragoniæ, & Catharinam. Demum cum omnem fere vitam infirma conflictatus valetudine tranſegiſſet, ex hac miſerabili vita ad feliciorem migravit Toleti anno 1407, illiuſque cadaver religioſo Divi Franciſci habitu amictum, ſepulturæ mandatum eſt.

Ioannes II, infantulus adhuc regio diademate inſignitus, matre, Ferdinandoque avunculo moderantibus; Mariam Ferdinandi Arragoniæ regis filiam in matrimonium accepit, quæ Henricum peperit, qui paternorum quidem hæres fuit regnorum, ſed multis eum difficultatibus exercuit; ex eadem quoque genuit Catharinam & Eleonoram: iteratis autem nuptiis Iſabellam accepit Ioannis Luſitaniæ Infantis filiam, ex qua nata eſt

Iſa-

Iſabella Caſtellæ & Legionis poſtmodum regina, Ferdinandique Arragoniæ regis uxor; natus eſt & filius nomine Alphonſus. Funeſtæ Ognazinorum, & Gambognorum in Celtiberia & Guipuſcoa factiones non ſolum dum viveret, ſed etiam poſt ejus obitum exarſerunt. Porro vita ceſſit anno 1454.

Henricus IV, Ioannis Secundi filius & ſucceſſor, patre adhuc ſuperſtite, Blancam Ioannis Navarræ regis primogenitam uxorem duxerat; at cum ipſe occulta laboraret generandi impotentia, illa tamen ſingulari omnino prudentia per plures annos id diſſimulavit; verum Henricus prætextu ſterilitatis in uxore repertæ, ſeceſſum ab ea apud Romanum Pontificem poſtulavit, quod & obtinuit; votis ergo potitus Ioannam Eduardi Portugalliæ regis filiam matrimonio junxit, ex qua nec liberos ſuſcepit; ut autem impotentiam obtegeret, Bertrandum de la Cueva regio thalamo immiſit, qui reginam ſtuprans Ioannam procreavit, regnorum ex conſenſu regis hæredem. At regni proceres hoc facinore proritati, in regem rebellarunt, eumque in imagine effictum regia dignitate depoſuerunt, Alphonſo fratre in regem aſſumpto; Alphonſus vero cum deceſſiſſet anno 1469, Optimates, Iſabellæ Henrici ſorori rerum ſummam, interpoſito etiam ſuæ fidelitatis jurejurando commiſerunt. Porro nupſit Iſabella Ferdinando regni Arragoniæ hæredi legitimo, cui Ioannes pater nuptiarum intuitu Siciliæ regis titulum ſubrogavit; Henricus autem fatis ceſſit anno 1474.

Ferdinandus V, *Catholici* cognomento poſtmodum exornatus, ipſaque Iſabella ab omnibus pene Hiſpaniarum civitatibus Caſtellæ regni ſucceſſores agniti, miſſis quoque eam ob rem ex unaquaque civitate Legatis; cum interim Ioanna, Henrici Quarti, imo Bertrandi de la Cueva ex ſtupro filia, reginæ Caſtellæ nomen uſurparet. Acceſſit etiam Ferdinando regnum Arragoniæ, patre Ioanne è vivis exempto. Exinde Ferdinandus & Iſabella ſuis nominibus hos omnes titulos adjecerunt, Caſtellæ nimirum, Legionis, Arragonum, Siciliæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricæ, Abulæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſegiæ, Murciæ, Iaen, Algarbiorum, Algeziriæ, Gibraltar Reges, Barcinonæ autem Comites, Celtiberiæ, necnon & Molinæ Dominos, Athenienſium ac Neopatriæ Duces, Ruſcinonis & Cerdaniæ Comites, Oriſtaniæ & Gocianæ Marchiones. At Ioanna, quæ reginæ titulum uſurpaverat, religioſam Clariſſarum vitam Conimbricæ profeſſa eſt, rebus cum Luſitaniæ rege in pace compoſitis. Cæterum Ferdinandus, primo quidem ex Iſabella filiam matri cognominem genuit, quæ poſtea Alphonſo Luſitaniæ hæredi, Principis Ioannis primogenito enupta eſt; dein Ioannem Aſturum Principem, ac Caſtellæ & Legionis heredem; Ioannam, quæ in regna hereditario jure ſucceſſit; Mariam, Manuelis Luſitaniæ regis ſecundam uxorem; & Catharinam, quæ primò quidem nupſit Arturo Walliæ Principi, Magnæque Britanniæ hæredi, deinde Henrico Octavo illius fratri. Ioanna autem ſecundogenita, Philippo Auſtriaco Maximiliani Romanorum regis & Mariæ Burgundiæ heredis filio promiſſa, ad eum in Belgicam tranſmiſſa eſt. Poſtea vero navalis exercitus, qui Ioannam ad Philippum duxerat, Margaritam quoque Philippi ſororem Ioanni Principi ſponſam, in Caſtellam abduxit; quæ ipſo nuptiarum anno ſtatim ab inito matrimonio hujus etiam lucis uſuram amiſit; hac demum ratione Iſabella illius ſoror Manueli Luſitaniæ regi conjugata, Aſturum Princeps proclamata eſt, regnorumque Caſtellæ, Legionis, Granatæ, & Arragoniæ locorumque adjacentium hæres aſſerta anno 1498. Verum maxima Princeps inter dolores partus anguſtiata occubuit. Philippus Archidux, Ioannaque uxor exinde in Hiſpanias tranſmigrarunt, atque Toleti anno 1501 regnorum Caſtellæ ac Legionis coram Ferdinando & Iſabella, hæredes confirmati; tum Philippus in Flandriam reverſus eſt anno 1504, quo etiam Iſabella Ferdinandi conjux fatis functa eſt, Princeps omni prorſus laude celebranda, præſertim ob ſingularem animi magnitudinem, qua Ferdinandum maritum ad conquirendum Granatæ regnum impulit; quod anno 1492 poſt diuturnos belli labores comparavit; moxque Iudæos omnes, qui Chriſto nomen ſuum dare noluerunt, ex Hiſpaniis edicto ſolemni proſcripſit; ſicque Philippus & Ioanna Caſtellæ Legionisque regna poſſederunt, in quibus Ferdinandus uſque ad eorum in illas regiones adventum, Gubernatoris munus feliciter obivit.

Philippus I, Maximiliani Imperatoris filius, exque Maria Caroli Terribilis, ultimi Burgundionum Ducis, & Supremi Belgicæ Domini filia & hærede genitus, & Ioanna conjux anno 1506 regnorum ſibi hereditario jure acquiſitorum poſſeſſionem adierunt, eodemque tempore res Philippum inter & Ferdinandum compoſitæ ſunt, hoc pacto, Ferdinandum ſcilicet, tres Caſtellæ magiſtraturas poſſeſſurum, adjecto etiam Indiarum, & octo millionum maravediſiorum perpetuo ad vitam reditu, ab Iſabella per teſtamentum legato, quibus poſitis regno Arragoniæ contentus acquieſceret; ut & ipſe poſtmodum acquievit, ibidemque ſe recepit anno 1506. Poſtea vero Philippus una cum uxore Valiſoletum adiit, ubi Statuum proceres comitia celebraturi convenerant; ubi & fidelitatis juramentum à ſubditis denuo ſuſceperunt; Carolum quoque primogenitum, Caſtellæ, Le-

Legionis ac Granatæ hæredem aſſeri præceperunt, qui etiam Belgicæ Dominus, Burgundiæ Comes, atque Rex Arragoniæ, Siciliæ, Sardiniæ & Neapolis palam agnitus eſt. Porro Philippus hoc eodem anno defunctus eſt, Carolo Auſtriaco, quem ex Ioanna uxore ſuſceperat, relicto ſucceſſore; Ferdinando quoque, qui primus hujus nominis fuit Imperator; necnon & filiabus quatuor, Eleonora videlicet, primum Manueli Luſitaniæ regi enupta; poſtea autem Franciſo hujus nominis Primo, Galliarum regi; Iſabella Chriſtierni Daniæ regis uxore, fideliſſimaque exilii comite, quæ & apud Gandavenſes diem clauſit ſupremum anno 1525; Maria Ludovici Hungariæ ac Bohemiæ regis conjuge, quæ poſtmodum Belgicam ſumma prudentia gubernavit; & Catharina denique poſthuma Ioanni III, Luſitaniæ regi matrimonio juncta.

Ioanna itaque una ex omnibus ſuperſtes, Ferdinandum in ſocietatem regiminis advocavit, dum adoleſceret Carolus ſeptennis adhuc apud Belgas enutritus. Ferdinandus igitur Neapoli diſcedens venit in Hiſpaniam anno 1507. Porro ea tempeſtate, multæ apud Indos occidentales, conquiſitæ regiones à Ducibus illuc à Ferdinando delegatis; præter Peñon de Velez & Oran tractus à Ximene Cardinali conquiſitos. Regnum quoque Navarræ à Ioanne Albretio, Catharinaque regina ſuſtulit, atque Caſtellæ diademati adjecit anno 1512. tandemque è vivis deſiit anno 1516. Poſt ejus obitum Ioanna filia in omnes Status jure hæreditatis ſubintravit; at cum præmentis imbecillitate, regimini eſſet inidonea, adſcitus eſt Franciſcus Ximenes Cardinalis, qui rebus prædoctam manum admoveret, donec Carolus Auſtriacus adeſſet regiæ ſucceſſor Majeſtatis. Quamvis autem Ioanna regium diadema capiti ſuo impoſuiſſet, Carolus tamen ejus filius, illa etiamnum ſuperſtite regis titulum uſurpavit, reluctante Hiſpaniarum conſuetudine; cum autem eſſet matris obſervantiſſimus, id non feciſſet, niſi perſpecta matris imbecillitate, ob quam à Ferdinando apud Caſtrum Tordeſilas relegata, ibidem ſenio confecta vitam finiit anno 1555.

Carolus hujus nominis Quintus, qui & poſtmodum Imperator, Gandavi natus 24 Febr. anno 1500, matre adhuc in vivis agente, rex Caſtellæ & Granatæ inauguratus eſt mox ut Ferdinandus obiit, quamvis in Belgica, quæ ſuæ ditionis erat, tum temporis ageret, Maximilianoque Imperatore, ac Pontifice Romano ſuadentibus, regis quoque nomen & titulum aſſumpſit, ſuaque vexilla apud Matritenſes erigi, & palam oſtentari præcepit; cumque poſtea Comitiis Valliſoleti in Hiſpania celebratis ipſe præſens adeſſet, maximo omnium plauſu, Caſtellæ, Toleti & Granatæ regionumque circumadjacentium rex proclamatus eſt anno 1518, tum etiam rex Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, & Siciliæ aſſertus. Francofurti poſtmodum electus Imperator 28 Iunii, anno 1519; dein Aquisgrani coronatus 23 Octob. 1520; tandem Imperii diadema de manu Romani Pontificis accepit; novam in America Hiſpaniam ſuæ ditioni adjecit, faciente Fernando Cortezio, eaſque regiones ſubigente, anno 1520 & ſubſequentibus, ut & fecerat Franciſcus Pizarrus Peruvii conquæſtor anno 1513. Muleaſſen Tuneti regem ab Hairadino Barbaroſſa exturbatum, regno reſtituit; Proteſtantes quoque in partibus Germaniæ domuit; tandem conſummata in præclaris imperii muneribus omni gloria, ipſe & imperio & toto terrarum orbe major, cæleſtem vitam delegit, ab imperio ſecedens ad D. Iuſti monaſterium, octo à Placentia milliaribus; onus autem imperii in Electorum arbitrio remiſit, fratremque ſuffecit; ac denique Philippum filium ſtatuit regnorum ac ſtatuum ſucceſſorem. In eodem religioſo ſeceſſu vitam duntaxat Deo vacans, piiſſime clauſit, 21 Septemb. anno 1558. Ex Iſabella conjuge, Emanuelis Luſitaniæ regis filia, Ferdinandum ſuſcepit, qui puerulus adhuc mortuus eſt; deinde Philippum II, ſucceſſorem; Mariam Maximiliani II, Imperatoris uxorem; Ioannam Ioanni IV Portugaliæ regi enuptam. Habuit inſuper ex anonyma quadam Ioannem Auſtriacum, ſtrenuum illum Chriſtiani exercitus in prælio apud Naupactum commiſſo Ducem, qui & Namurci mortuus eſt anno 1578; & Mariam Auſtriacam primum Alexandro Medicæo Florentiæ Principi, poſtea vero Octavio Farneſio, Parmæ Duci enuptam.

Philippus II, 21 Maji anno 1527 natus, primo quidem Mariam Portugalenſem Ioannis Tertii regis filiam in uxorem duxit, ex qua Carolum principem ſuſcepit filium, anno ætatis vigeſimo ſecundo extinctum; Maria vero uxore fatis functa, cum Maria Angliæ regina matrimonium iniit, quæ improles mortua eſt anno 1558. Tertia vero illius uxor fuit Eliſabeth, Henrici II, Franciæ regis filia, quæ Iſabellam Claram Eugeniam, Belgicæ Principem, Albertique Auſtriaci Archiducis uxorem, ei peperit; atque Catharinam Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis conjugem. Quarto demum Annam Auſtriacam, Maximiliani II filiam, matrimonio ſibi copulavit, matrem ſcilicet Philippi Tertii ſucceſſoris, & Ferdinandi. Maximam Belgicæ partem ſuo ſubduci imperio vidit hic Princeps, quæ Corpus politicum, formamque Reipublicæ ſibi conſtituit, majuſque indies incrementum accepit. Maurorum etiam Granatenſium & Andaluzinorum exortam rebellio-

lionem cohibuit; cumque Luſitaniam ſuæ ditioni ſubjeciſſet, è vita migravit anno 1598, 13 Septemb. cum ætatis ſeptuageſimum ſecundum compleviſſet. Iacet in D. Laurentii Eſcurialenſis Baſilica, Annæ uxori ultimæ contumulatus.

Philippus III, Margaritam Auſtriacam Caroli Archiducis filiam uxorem accepit; hæc autem relicto Philippo Dominico Victore filio deceſſit anno 1611; is exinceps Philippus Quartus nuncupatus eſt, qui & ſacro Paraſceves die, felicibus auſpiciis, hujus lucis uſuram accepit anno 1605, octavo Aprilis, vigeſimo autem nono ſubſequentis Maji ſalutaribus Baptiſmi undis regeneratus. Genuit illa etiam Carolum, 14 Septemb. anno 1607, & Ferdinandum Cardinalem anno 1609, qui 9 Novemb. anno 1641 obiit; Annam quoque Mariam Mauriciam 22 Septembris anno 1601, Ludovici Iuſti, Francorum Regis uxorem, ac denique Mariam Infantem Ferdinando Tertio Imperatori enuptam anno 1630, in lucem emiſit. Princeps magnanimus irreligioſam Maurorum gentem è finibus Hiſpaniæ procul amandavit anno 1610; & de Larachio & Mahmora Barbariæ triumphavit. Tandemque ſupremum diem Matriti clauſit anno 1621, regni 23, ætatis autem 43.

Philippus IV, rex potentiſſimus, paterno glorioſus in ſolio reſidet, regia omnino prudentia conſpicuus; mox enim ac rerum ſumma potitus eſt, multos è præcipuis regni Miniſtris atque Officiariis, ſuis muneribus exturbavit, alios carceri mancipavit, indicta etiam omnium bonorum mulcta; plurima quoque emiſit edicta, quibus pomparum moderatur exceſſus, inſolenteſque ſuorum mores ad modeſtiam reduxit. Selectiſſimam dilectiſſimamque Eliſabetham, Henrici Magni Francorum regis primogenitam, conjugem accepit anno 1615, quæ quidem obiit anno 1644; ex ea autem Margaritam Mariam Infantem progenuit 14 Auguſti 1621, quæ ad quadraginta duntaxat horas vitam protelavit; dein ex eadem, ſecunda Infans Margarita Maria Catharina progerminavit 25 Novembris 1623, novem ſupra viginti à ſua nativitate dies extincta. Poſtmodum Maria tertiogenita in lucem edita 21 Novembris 1625, quæ primo etiam ſui exortus anno mortua eſt. Hanc ſubſequutus eſt Balthaſar Carolus 17 Octobris anno 1629, qui & proclamatus regni hæres 21 Februarii 1632, ſed mox ut ſplendidiſſimum illud jubar affulſit, ſtatim ex humanis inopinata morte evanuit anno 1646. Dein Mariana Antonia Infans quartogenita 17 Ianuarii 1635, quæ vix primum complevit vitæ incipientis annum. Porro regia ſoboles hucuſque enumerata, quæ liberos quinque complectitur, Madriti & lucem accepit, & amiſit, regumque Mauſolæo quod in Baſilica D. Laurentii, *de l'Eſcurial* conſepulta eſt. Tandem Sereniſſima Infans Maria Thereſa, quæ 20 Septembris anno 1638 nata, Ludovico XIV, Chriſtianiſſimo Regi, optatiſſimo auſpicatiſſimoque juncta conjugio 3 Iunii anno 1660. Porro Rex inclytus mature perpendens ſe maſcula prole deſtitutum, Mariam Annam Ferdinandi III, Imperatoris filiam, ſecundis nuptiis duxit uxorem anno 1649, ex qua ſuſcepit egregiam pulchrioris ſexus ſobolem anno 1651; & demum anno 1657, filium, qui *Philippus Proſper* nominatur, maxima plane & regiæ Majeſtatis & Statuum proſperitate atque ſolatio; quod ad exuberantis lætitiæ incrementum, nova cœlitus gratia cumulatum eſt naſcente ſecundogenito Ferdinando Thoma Ioachimo 21 Decemb. 1658; attamen præmatura morte è vivis erepto, currente etiam Decembri 1659. Rex præcelſus anno 1648, pacem cum illuſtriſſimis Belgicæ Ordinibus immortali fœdere ſociavit, bello per 80 annos producto finem imponens; anno quoque 1659, rebus alta pace compoſitis Mariam Thereſam, filiam ſibi cariſſimam, amicitiæ & pacis æternum inviolatæ pignus inæſtimabile, Ludovico XIV Adeodato in matrimonium elocavit, hacque ratione funeſta belli incendia, quæ 24 annis arſerant, penitus extinxit; unde *Magni* atque *Pacifici* cognomen meruit; hoc tandem anno 1661, vivit incolumis Princeps orbis Catholici decus, nullis interturbatus belli incendiis, ni ſcintillula Luſitaniæ quantocius extinguenda. Perennet utinam illi vita, ad ſancienda æternæ pacis fœdera in reipublicæ Chriſtianæ ſolatium, & populorum ex innumeris cladibus pæne deſperatorum levamen.

CASTELLA REGNVM.

Regni nomen & origo.

PElagius Rex Legione à Mauris recuperata Caſtellum propugnaculi inſtar contra eorum irruptiones excitavit, cui Gubernatores præpoſuit, qui deinceps Caſtellæ Comites audierunt, Regem Legionis ſuperiorem Dominumque agnoſcentes. Sed cum Ordonius II Aſturiarum & Legionis Rex Comites perfide evocatos jugulaſſet, Caſtellani atrocitate rei moti ſeſe jugo Regum Legionenſium exemerunt, Iudiceſque ſibi binos elegerunt, Nunium Raſuram, & Lainum Calvum, illum adminiſtrandæ juſtitiæ, hunc bellis gerendis præponentes: Quorum ſucceſſores Comitum Caſtellæ nomen & autoritatem uſurparunt. At Sancius cognomine Magnus, pulſis Corduba, Toleto, Navarra, Aragonia, Caſtella, Legioneque Mauris, filiaque Sancii Caſtellæ Comitis in uxorem ducta, Regis Caſtellæ nomine primus uſus eſt, quem Ferdinando Filio, iſque poſteris reliquit. A prædicto Pelagii Caſtello regni nomen & origo. Quod totius Hiſpaniæ capaciſſimum in duas partes diſtribui ſolet, Veterem ſcilicet & Novam, ambas montes totam fere Hiſpaniæ longitudinem incedentes ſeparant. Incolæ fortes, hoſpitales, veraces, bellatores, litteris ſtudiiſque dediti, Regique ſuo fideliſſimi audiunt; ipſæ fæminæ laboris admodum patientes & robuſtæ feruntur, quæ in quibuſdam Caſtellæ locis agriculturam naviter exerceant, alioſque potius virorum labores ſubeant; Viginti novem complectitur Civitates, & in iis, duas Archiepiſcopatus, quatuordecim Epiſcopatus honore conſpicuas; oppida, pagoſque ſat magno numero & Ordines militares duos.

iviſio.

ncolæ.

CASTELLA VETVS.

ermini.

VEtus *Caſtella*, Durio fluvio mediam regionem interlabente irrigatur, eam circumdant ad Boream Aſturia & Biſcaya, ad occaſum Portugallia, ad Meridiem Caſtella Nova, montibus qui fere per longitudinem Hiſpaniæ incedunt intercurrentibus, ad Ortum Aragonia & Navarra. Aëre tam ſalubri non fruitur ac Nova, verum aquis eſt irrigua, frumenti optimi, utpote è ſolo ficciore provenientis eſt fertiliſſima, & innumeros pecorum greges & boum alit armenta; oleas paucis in locis habet. Ea vero Veteris Caſtellæ pars, quam Terram de Campos vocant, merito inter fertiliſſimas & optimas Hiſpaniæ totius numeranda eſt; cætera omnia montoſa & ſteriliora. Incolæ grato vultu, ingenui, ingenioſi, laborum patientes dicuntur. Dividitur in ſeptem diſtrictus ſeu Merindadas, ut vulgo vocant. Viginti à Civitate Burgos leucis è rupe fons defluit, qui duobus lacubus aquas ſuas miſcet, quibus fluxum ſanguinis patientes cum ſe lavant, illico ſanantur. Arlanciæ in templo S. Petri oſſa Ferdinandi Gonçali Caſtellæ Comitis ſunt condita, ea ingenti fragore percrepare ferunt, quoties Hiſpani celebrem aliquam victoriam de inimicis relaturi ſunt: imo & cum res proſpere contra infideles à Chriſtianis gerenda eſt: quod obſervatum maxime cum Huniades anno 1456 grandi clade Turcas affecit; & cùm Granata expugnata eſt.

Admiranda.

Metropolis Veteris Caſtellæ eſt *Burgos*, magnis concinniſque ædificiis ornata, ut etiam cum Toleto de dignitate certet. Incolæ mercaturæ ſtudent. Templa & cœnobia habet frequentia. Epiſcopali inſuper gaudet ſede ab anno 1097. Archiepiſcopali ab anno 1571. Præſulis reditus ſunt 40000 ducati annui. Caſtellum habet à natura magis, quam ab arte munitum, monti impoſitum, unde civitati & circumjacentibus collibus ad ſeptentrionem ſitis dominatur. Multa inſuper ædificia ſplendida, inter quæ excellit ſplendore & amplitudine palatium Comitis ſtabuli. Aër territorii terræmotibus obnoxius non admodum ſanitati conducit, hyeme intenſe frigidus, ſed per æſtatem omnia amœniſſima & fertiliſſima.

Civitates. Burgos.

Præter hanc ſunt in Caſtella Veteri, Valladolid, Segovia, Avila, Oſma, Siguenza, (licet ab aliis Novæ attribuatur.)

Civitates.

Valladolid nobiliſſima Hiſpaniæ civitas, Regum Philippi II & IV, natalibus illuſtris, ad ripam Piſerguæ fluminis, ædificiis tam ſacris quam profanis, publicis ac privatis ornatiſſima: omnium ſcientiarum nobiliſſimo Lyceo honeſtatur; aëre fruitur ſaluberrimo, niſi interdum obſcuris Piſerguæ amnis nebulis fœdaretur. Reges illam, tanquam placidiſſimum domicilium quandoque frequentant; habentque hic plurimi Hiſpaniæ Principes ædes proprias; in Eccleſiam Cathedralem erecta

Valladolid.

li & li qua- tas.

VTRIVSQVE CASTILIÆ nova descriptio.

Notarum explicatio
† Archiepiscopatus
‡ Episcopatus
§ Academiæ
Veteres Vrbium et Promontiorum appellationes majusculis designavimus hac forma: COMPLVTVM, etc. Recentes vero hac: Alcala de henares

Milliaria Hispanica communia.
2 4 6 8 10 12 14

GALICIÆ PARS
PORTVG.
GALLÆCIA
LVSITANIA
PARS
BETICA
PARS.
CASTILIA VETVS
CASTILIA NOVA.
LEGIO
EXTREMADVRA
ANDALVZIA
VERA DE PLACENTIA
REGIO VASCONVM
NAVARRA
ARAGONIA
VALENTIA
MVRCIA
GRANADÆ PARS.
Biscaiæ pars
Septentrio
Occidens
Oriens
Meridies
Mare Mediterraneum

Braganca
Lamego
Miranda do Douro
Camora SENTICA
Palencia PALANTIA
SEPTIMANCA
Salamanca
Ciudad Rodrigo MIROBRICA
Avila ABVLA
Guarda
Plazencia
Coria CAVRITA
Alcantara NORBA CÆSAREA
Portalegre ol. AMÆA.
Merida EMERITA
Elvas
Badajoz PAX AVGVSTA
Evora
Olivença
Montes Obca
Avca Burgos
Leona
Osma, VXAMA
Logroño IVLIOBRIGA
Calahorra CALAGVRRIS
Tarraçona TVRIASO
Borja
Zaragoza, CÆSAR AVGVSTA
Siguenca olim SEGVNTIA
IDVBEDA MONS nunc Sierra Balbanera
Alcala de Henares COMPLVTVM
Madrid ol. MANTVCI PENTANA
Cuença
Sierra Molina
Segorbe
Valencia
Alicate
Orihuella ORCELIS
Murcia MVRGIS ol.
Cartagena, ol. CARTAGONOVA
Baeça
Jaen
Cordoba
Sevilla ol. HISPALIS
Eçija olim ASTI
Alcala real
Baza BASTI
Anduja
Sierra Morena
Ciudad real
Tajo vis ol. Tagus flu.
Duero R. Durius flu ol.
Guadiana olim Anas flu
Guadalquivir
Guadalete
Xucar olim Sucro flu
Segura flu
Ebro flu
Xucar
Cuera
Turia R.
Guadalaviar
Guadalhorce
Guadiana
Guadalcacer
Palma
Mer
die
s

anno 1595, cujus reditus annui 15000 ducati.

Segovia. Segovia urbs editiori loco ſita, turribus undique & propugnaculis munita, lanificio præcipue clara, quippe quæ per totum Orbem lanas ſuas omnibus præferendas merito, diſtrahit; nec nobilior tota Hiſpania pannus, quam hic texitur, unde incolis magnæ opes; charta hîc quoque conficitur optima. Atrium hîc conſpicitur, in quo omnium pene Hiſpaniæ regum effigies conſpiciuntur. Præcipuum vero urbis ornamentum aquæductus mirandi operis. Hic noſtra memoria Germanorum ope & aquarum, inventa ratio cudendæ monetæ, non malleis colliſo, ſed fuſo ac liquato, demumque impreſſo, ductili ære, auro, argentoque. Solum fœcundum. Epiſcopatus ſplendidus & opimus, cujus reditus annui 24000 ducati.

Avila. Avila civitas in media planitie ſita, montibus cingitur, vini præſtantioris fructuumque feracibus: Segoviæ in lanæ præſtantia, & pannorum textura æmula. Secatur à flumine Adaja: Epiſcopali fulget Cathedra, cujus reditus annui 15000 ducati. Academiam quoque habet non minimi nominis.

Oſma. Oſma ad Durium fluvium ſita civitas, trecentarum tantum caſarum: Academiam habet cujuſvis precii. Epiſcopatus eſt ſplendidus, cujus reditus annui 26000 ducati.

Siguenza. Siguenza urbs ſita in clivo, muris egregie vallata, & adjuncta arce. collis pedem flumen Henares alluit. Epiſcopali dignitate ornata eſt, Epiſcopo 40000 ducatos quotannis elargiens. Septingentas numerat caſas, & Academiam habet. Aër tempore hyemis frigidior, ſed territorium lignis probe proviſum.

Calahorra. Calaguris, Quintiliani Patria celebratiſſima, in clivo ſita civitas territorium habet undequaque admodum fœcundum: Epiſcopum habet qui ex ea 18000 ducatos annuos percipit; aliqui eam ad Navarræ regnum pertinere exiſtimant.

S. Domingo. *S. Domingo de la Calçada*, olim urbs Epiſcopalis ad fluvium *Laglera*, in amœna & fertili planitie ſita civitas.

Soria. *Soria* olim *Numantia*, quam alii paulo hinc disjunctam collocant ſummum, (ut inquit Florus) Hiſpaniæ decus; quippe quæ ſine muro & turribus, modice edito in tumulo ſituata ad flumen Duriam, quadraginta millium exercitum per annos XIV ſola ſuſtinuit.

Oppida. Præter has Civitates ſunt in Caſtella Veteri oppida complura, utpote *Lerma*, nunc famoſi Ducatus caput: *Verlanga*, Marchionatus titulo poſſidetur à Comeſtabili Caſtiliæ. *Almaçan*, Patria Sancii Petri Regis filii, ad ripas Durii ſitu paullo eminentiori & admodum amœno conſpicitur, omnium rerum pæne ferax; ob Caput divi Stephani Protomartyris, quod ibi magna cum veneratione aſſervatur, celebratum, & Marchionatus titulo clarum, quem Philippus II. Franciſco Hurtado de Mendoça conceſſit. *Monteagudo*, ad limites Arragoniæ & radices Cauni montis, ab iiſdem Marchionibus de Almaçan Comitatus titulo poſſidetur. *S. Eſtevan de Gormaz*, Comitatus, quem Ioannes II. Caſtellæ Rex Alvaro de Luna intimo ſuo, inconſtantis fortunæ ludibrio, olim conceſſit, nunc eodem titulo à Ducibus *de Eſcalona* poſſidetur. *Ledeſma* 6 leucis Salamanticâ diſſita, ob balnea ſua ſalutifera & calida celebratur. Incolæ hic corpora Paſtorum Iacobi, Iſacii & Ioſephi Nazaretanorum, qui Chriſtum Dominum noſtrum recens natum adorarunt, quieſcere referunt; Comitatus titulo poſſidetur à Ducibus *de Alburquerque*. *Madrigal* quatuor leucis à Medina Campi eſt, in planitie frumenti, at vini præcipue laudatiſſimi fertiliſſima; celebratur ob natales Alfonſi de Madrigal dicti Toſtado, Epiſcopi Avilenſis, cui ſcripta ſua doctiſſima per totum Orbem famam conciliarunt; & Ioannis de Pineda ordinis S. Franciſci, viri ob opus de Monarchia Eccleſiaſtica celebrati. *Cuellar*, decem à Segovia leucis, in loco edito, inter frequentes pinus ſeſe oſtentat, tempore Romanorum opulenta Civitas, nomine *Colenda*, quam Titus Didius Conſul poſt novem menſium obſidionem vi occupavit, & in vindictam fortiſſimæ defenſionis incolas ſub haſta vendidit. Caput eſt Marchionatus à Philippo II erecti, cujus titulo primogeniti Ducum *de Alburquerque* gaudent. *Pedraça de la Sierra*, Trajani Imperatoris Patria, in loco difficili ad fluvii Duraton ripas ſita eſt, fortalitio munitiſſimo inſtructa, in quo Franciſcus Galliæ Delphinus, & Henricus frater ejus, Franciſci Primi Francorum Regis filii, captivi ſub cuſtodia Petri Ferdinandi *de Velaſco* Caſtellæ Comeſtabilis, & Iohannis *de Tobar* Marchionis de Verlanga fratrum, per quatuor annos continuos aſſervati ſunt. *Villa Franca* ad fluvium Corneja, ob pannos egregios, & ceraſorum copiam celebrata. *San Felices de los Gallegos*, ad confinia Portugalliæ & fluvium Agueda ſitum eſt: incolæ vaſa è terra conficiunt totius Hiſpaniæ optima. *Hontiveros* inter Arebalo, Avilam, Medinam Campi, & Salamanticam ſitum, in amœna & fertili planitie, rivulis irrigua, frumenti, vini, fructuum & croci ſat fertili. *Santa Maria la Real de Nieva*, quinque leucis Segovia abeſt, in rupe ſita, celebratur ob Sanctuarium Divæ Virginis, & Cœnobium illuſtre Patrum Dominicanorum, ejuſdemque ordinis ſcholas. *Coca*, ſecundum aliquos Theodoſii Magni Imperatoris patria, Romanorum tempore civitas magni nominis, à Lucio Licinio Lucullo cum clade 20000 civium exciſa, nunc urbecula tantum, caſtro munitiſſimo, detentioni illuſtrium perſonarum deſtinato conſpicua: ager omnium rerum, præcipue

pue vini ferax, montes vicini ſylvis obſiti, quæ in uſum cædi ſolent. *Martin Muños. Miranda del Caſtañal*, in loco edito, monti, *Peña de Francia* dicto, vicina eſt; lini, vini, & caſtanearum, unde ei cognomen, admodum ferax: Comitatus caput eſt, ad Duces *de Peñaranda* pertinens. *Fuente-Guinaldo* quatuor ab urbe Ciudad Rodrigo ſitum eſt leucis. *Ribas* prope Tormes fluvium eſt; innumeri hîc paſcuntur pecorum greges. Duabus ab Arandâ Durii leucis diſtat *Cruña*, arce inclyta, Comitatus titulo ab illuſtri familia *Suarez de Mendoça* poſſeſſa. *Pampliega* ad fluvium Alarçon; *Amaya* ad radices altiſſimæ rupis ſita, olim Roderici I. Caſtellæ Comitis ſedes & aula; unde hoc vulgare emanavit proverbium: *Aarto era Caſtilla pequeña rincon, quando Amaya era Cabeça, y Ytero el mojon*; ſignificans, tum temporis Caſtellam arctis ſat limitibus incluſam fuiſſe, cum Amaya ejus Caput, & Ytero eſſet terminus; nunc haud magni nominis eſt oppidulum. *Caſtro-Geritz*, nobiliſſimæ familiæ de Caſtro domus originaria, ſeptem à Civitate Burgenſi leucis, in loco edito & fertili ſita, arcem habet admodum munitam: Comitatus eſt à Regibus Catholicis Ferdinando & Iſabella D. Alvaro *de Mendoça* conceſſus. *Vivar* duabus ab eadem Civitate leucis, invictiſſimi & celeberrimi Herois Cidi *Ruy-Dias* natalibus illuſtre; paucos admodum habet inhabitatores. *Tobar* familiæ illuſtris & cognominis locus originarius, ejuſdemque patrimonium, in diſtrictu ſeu Merindada Caſtri Gerits ſitum. Viſuntur quoque in Caſtella Veteri, *Santo Domingo de Silos, Eſpinoſa de los Monteros*, inter montes Brugenſes in valle amœniſſima, fructuumque florumque mirè fertili, ad fluvium *Trueva*, ſita: incolæ ob traditionem mortemque veneno Sancio Garciæ Caſtellæ Comiti à Matre Sancia machinatam, & à viro nobili hujus municipii detectam, privilegio & prærogativa perſonam Regiam de nocte cuſtodiendi, donati ſunt; donec in eorum locum Cuſtodia, quam *de la Cuchilla* vocant, inſtituta eſt, in quam ſæpenumero aſſumuntur: Cuſtodiæ vero Reginæ, Principumque ſemper fere adhiberi ſolent. *Aguilar del Campo*, quatuordecim à Civitate Burgenſi leucis, quinque ab Iberi fonte, totidem à Piſerguæ origine in planitie ſpatioſa ſitum, caſtro illuſtre, Perſonarum regiis natalibus illuſtrium olim dominium, poſtea à Regibus Catholicis cum Marchionatus titulo Garciæ *Ferdinando Manrique* in remunerationem ſervitiorum conceſſum. *Lara* ab eadem Civitate quatuor leucis ad fluvium Arlança, cum arce ſat munita in colle ſita, frumenti, pecoris, & ferarum ferax eſt; variorum dominorum fuit peculium, nunc vero Coronæ incorporata. In vicinia Laræ ſitum eſt *Salas*, ſimiliter colli impoſitum; & *Contreras* in loco plano. Prope Valliadolitum viſitur *Vbamba* in loco plano, frumenti, vinique feraci; ab eadem civitate duodecim leucarum itinere ſita eſt *Roa*, in campo ſpatioſo, quem Riaza & Durius fluvii aquis ſuis beant; Palatio & fortalitio Dominorum ſuorum, Comitum de Siruela, ſpectabilis; juriſdictionem in ſexdecim extendit pagos. Non longe à *Coca* eſt *Iſcar*, parvi nominis municipium. *Valdenebro* cum arce munita. *Guerta del Rey* pinuum altrix prope S. Stephani de Gormaz. *Atiença* prope Siguençam in loco edito, cum caſtro cernitur, frumenti, pecoris, ſaliſque dives. *Tardajos* in territorio Burgenſi. *Cerezo* prope S. Dominici de la Calçada, ad fluvium *Tiron*. *Grañon* in eodem tractu. Vallis de *Porras* dicta in montibus Burgenſibus, una Merindadarum Caſtellæ Veteris eſt, frumenti, pecoris, & fructuum ferax, familiæ de Porras domus originaria, & dominium, privilegiis non contemnendis, à Caſtellæ Regibus & Biſcayæ Dominis conceſſis, illuſtre. *Aranda de Duero* vaſtum municipium, ad Durium ſitum, in territorio ſat fertili. *Pagna-fiel*, id eſt, rupes fidelis, cum caſtello in vertice montis ſat munito, & belliſſimo ad radices palatio Ducum Oſſunæ, Marchionatus titulo, ab eorum primogenitis poſſidetur. Vicina regio fertiliſſima, ſed præcipue ob caſeos totius Hiſpaniæ optimos decantata. *Agreda* ad limites Arragoniæ & Navarræ, & radices Cauni montis, ob aquas præſtantiſſimas, paſcua totius Hiſpaniæ meliora, & pannorum texturam celebratur. *Olmedo*, in planitie amœniſſima & fertiliſſima jacet, olim tanti nominis oppidum, ut de eo vulgari proverbio diceretur: *Quien de Caſtilla ſeñor pretende ſer, à Olmedo, y Arevalo primero de ſa parte ha detener*. *Arebalo* incolarum natalibus illuſtrium Nobilis cognomen meruit, ad ripas fluviorum Adaja & Arebalillo ſita, ab iis ut inſula circumdatur, ſitu vere amœniſſimo. *Sepulveda*, loco à natura munito, quippe in ſublimi condita, & aſperis rupibus & flumine Duraton cincta. Pars Caſtellæ appellatur *Terra de Campos*, in qua ſunt Medina, Aguilar, Carnon, Palenza, aliaque. Ad Oceanum habet Santander & Laredum, magna & opulenta oppida, cum ſuis portubus ſatis commodis, & ſinu totius hujus plagæ piſcoſiſſimo. Fuere & *Graccuris*, & *Turiaſo*, & *Clunia*, quarum hodie vix rudera exſtant.

CASTELLA NOVA.

Caſtellam Novam à Veteri, ut ante monui, dividunt perpetui montes, qui à finibus Navarræ orti totam Hiſpaniam

Limites. ad mare uſque mediterraneum pervagantur; ab Occidente habet Portugalliam, à Meridie Extremaduram & Andaluziam, Granatam & Murciam; ab Oriente, Valentiæ & Aragoniæ regna. Bonitate cœli atque ſoli Veteri eſt longe præſtantior, frumenti, vini, olei, croci, melliſque abundans. Pecora, boveſque alit magna copia, præſertim iis in locis, in quibus paſcua ſunt, circa Calatravam, Alcaçer, & Montiel. Fluviis rigatur ſequentibus, Tago, Guadiana, Henares, Tajuna, Xarama, Guadarama, & Xucar; quibus omnibus Tagus aquæ bonitate palmam præripit, quamvis Tajunæ latices digeſtioni prodeſſe æſtimentur. Ager Toletanus aquis fere deſtituitur, ſed qua Tagus fluit, omnia læta & fertilia. Dividitur in tres partes, Sierram, Algarriam, & Manciam. Sierræ caput eſt Cuença. Algarria à Tago dividitur, frumenti, olei, vini, cannabis, croci, mellis, fructuum dives. Marchionatum habet Mondegiar, & Ducatus Paſtranæ & Infantadus, & multa ampla & ſplendida municipia. Mancia à Tago rigatur, caput ejus eſt *Ciudad Real*: Marchionatum inſuper habet Viglienæ, & Caſtellæ Prioratum, & plura alia municipia. Metropolis eſt Toletum, imperialis civitatis cognomine honorata urbs, in totius pene Hiſpaniæ umbilico ſita, loco aſpero & clivoſo, majorique ex parte amne Tago ambitur, à reliqua vero parte muris validiſſimis, & centum quinquaginta propugnaculis egregie munita eſt. Cœli ſolique laudabili felicitate fruitur, lanificii ſericique commercio opulenta. Aquæductus hic mirandi operis. Auguſtiſſimo & ſplendidiſſimo templo nobilitatur, necnon Academia literarum & ſapientiæ officina. Archiepiſcopus Toletanus totius Hiſpaniæ Primas eſt: ſecundus à Rege, maximuſque Regni Cancellarius, reditus habet ſupra modum opulentos, utpote qui 250000 ducatorum, ſummam quotannis excedunt. Agri ſolum leve & arenoſum. Raræ hic pluviæ, rari quoque fontes atque rivuli. qua Tagus fluit, vallis admodum læta & fertilis, licet anguſtior.

Soli qualitas.

Fluvii.

Diviſio.

Civitates. Toledo.

Madritum.

Primaria civitas eſt Madritum, oppidum totius Toletanæ Diœceſeos feliciſſimum, ſitum in editiori clivo, & Septentrioni majori ex parte expoſito, cujus radices alluit modicus amnis, vulgo Mançanares dictus, qui ſaxeo ponte tranſitur; ſitus amœnitate, aëris ſalubritate, ſoli fœcunditate inter primas numerandum. Regis Hiſpaniæ ſeceſſu & aula illuſtre, populo & nobilitate refertum, omnium rerum abundans, ſedes Conſiliorum regni, adeoque totius Hiſpaniæ primarium. Pyritæ lapidis toto territorio largus proventus.

Sexto hinc lapide abeſt Eſcuriacum, ubi magnificentiſſimum illud Sancti Laurentii monaſterium viſitur, *Eſcurial* vulgo; Philippi Secundi Hiſpaniarum regis opus, quod veterum profecto miraculis ſeptem annumerari poteſt; cujus delineationem & deſcriptionem particulariorem infra ſubjiciemus.

Guadalaxara, voce Arabica lapideum fluvium ſignificante, civitas eſt ad fluvium Henares, ſitu aliquantulum elevato & inæquali, caput Algarriæ regionis, territorium vicinum frumenti, vini, & olei, cannabis, linique fertile; celebratur potiſſimum ob butyri genus è lacte caprino confectum, *Mantequillas* Hiſpani vocant, & quercuum in vicinis montibus copiam, è quibus carbones in uſum vicinarum regionum conficiunt. Civitatis Guadalaxara titulum ab Henrico IV anno 1460 conſecuta eſt. *Guadalaxara.*

Alcaraz cum arce in monte ſat elevato, quatuor Guadarmenæ fluvii fonte leucis ſita Civitas, territorium habet omnium rerum abundans, ob equuleos generoſos, & Cordubenſibus haud cedentes famoſum. *Alcaraz.*

Ciudad Real in concava planitie ſita, aquarum Guadianæ, unica tantum leuca diſtantis inundationibus obnoxia eſt, quas magno cum incolarum damno anno 1508 fuit experta; cæterum ſat frequentata, panis, vini generoſi, pecoris, mellis & ferinæ carnis abundans. *Ciudad Real.*

Alcala de Henares, olim Complutum, urbs eſt in planitie ſita, figurâ ovali, concinnis ædificiis, agro frumenti, vini quod muſcatellum vocant, & melonum præcipue feraciſſimo: plateam habet, inſignem in longitudinem porrectam, porticibus utrinque ornatam, ſub quibus frequentes diteſque mercatorum tabernæ. Academia denique hic nobilis habetur, qua nobilitatum eſt Complutum à Franciſco Ximenio Cardinali, Archiepiſcopo Toletano. Non procul ab urbe fluit fons celeberrimus, *de Corpa* dictus, authoritate regia clauſus, cujus aquæ ſaluberrimæ & optimi ſaporis, Madritum in uſum Regiæ Majeſtatis tranſportari ſolent. *Alcala de Henares.*

Medina Cœli, non longe à fonte Xalon fluvii, olim ampla civitas, & nunc Ducatus ampliſſimi ad familiam de la Cerda ſpectantis caput, ad quem octoaginta circiter pagi pertinent. *Arangivez*, locus delicioſus, à Tago & Xarama fluvio rigatur. Oppida Caſtellæ Novæ ſunt ſequentia: *Medina Cœli.*

Oppida.

Molina, à confiniis Aragonenſibus tribus leucis diſſita, ob lanas pretioſiſſimas, læta paſcua, & pecorum greges decantata, olim à perſonis regii ſanguinis titulo dominii poſſeſſa, nunc Coronæ unita, à qua decernente Philippo IV alienari nequit. *Puente del Arçobisbo* ad ripas Tagi fluvii officinis vitriariis, quæ 40000 ducatos elargiuntur, nobilis. *Eſcalona* octo leucis Toleto disjungitur, in loco editiori ſita, ad ripas fluvioli *Alberche*, arce capaciſſima, & ſumptuoſiſſima, Roderici Regis opere ſpectabilis, fontibus irrigua, vini, olei,

olei, pecoris, & fructuum abundans, maximis privilegiis dotata, & Ducatus titulo ab Henrico Quarto in gratiam Domini Ioannis Ferdinandi *Pacheco*, Marchionis de Villena, ordinis S. Iacobi Magistri, ornata. *Maqueda* duabus ab Escalona est leucis, undique vineis, oleisque cincta, castro palatioque pulcherrimo conspicua; Ducatus titulo possidetur à gente nobilissima *de Nagera*. *Nombela* in planitie omnium rerum, præcipue serici, fertilissima, aëris bonitate & præstanti sita. *Cadahalso* tribus ab Escalona leucis, oppidulum amœnissimum, hortis, fontibus, sylvis venatui opportunis undique cinctum; Palatio seu Prætorio Marchionum de Villena superbum: olim Alvari de Luna, Castellæ Comestabilis patrimonium; quem nunquam oppidum hoc intrasse ferunt, postquam Astrologus quidam, eum in Cadahalso moriturum fore, prædixisset. non præsentiebat Alvarus sese in loco suppliciis destinato, quem *Cadahalso* vocant, violentam passurum mortem. *Yepes* duabus ab Ocaña leucis, vini laudatissimi & olei optimi ferax. *Ocaña* Madrito novem leucis sejungitur, vini, oleique fertilis; hic vasa terrea candidissima confici solent. *Orgaz*, novem Toleto leucis dissita, Comitatus titulo nobilis, quem Carolus V Imperator Alvaro *Peres de Gusman* in servitiorum remunerationem concessit. *Anover, Almorox, Tembreque, Romeral, la Guardia*, oppidula sunt agri Toletani. *Almagro* primarium tractus, qui dicitur *Campo de Calatrava*, in planitie admodum ubere, fonte salutifero *Nava* inclaresci, qui petras consumit maloque colico medetur; sedes olim erat Magistrorum ordinis de Calatrava, qui eam privilegiis, ædificiis, palatiisque honestarunt. Conventus ordinis Calatravæ, ejusdem religionis & militiæ caput, situs est ubi Mariani assurgunt montes in loco vini, frumenti, pecoris & ferinæ carnis sat fertili. *Las Naves del Marques*, ad montem Escuriaco tribus leucis distantem jacens, pannorum distractione nobile municipium, Marchionatus titulo ornatum à Carolo V Imperatore, quem in Petrum de Avila tertium Comitum de Risco contulit. *Villa Castin, Toros de Guisando*, locus in quo Cæsar Gneum & Sextum Pompejos maxima affecit clade; *Mançanares* ad radices montis octo leucis Madrito, non longe à portu *Fonfria* situm, pecoris & ferarum altrix, Comitatus titulo possidetur à nobilissima gente *del Infantado*, & Regionis *Real de Mançanares* dicti est caput. *Colmenar* colli impositum ad fluvium Mançanares, montibus undique cingitur: ad eosdem pertinet Dominos, secunda regionis Real de Mançanares. *Guadarrama*, tertia ejusdem regionis, ad introitum portus seu transitus sui nominis montium Toletanorum, pecorum greges & feras magna nutrit copia. *Galapagar* quarta dictæ regionis: duabus ab Escuriaco leucis, Caroli Laurentii Principis R. Philippi II. filii natalibus illustre. *Guadalix* quinta ejusdem regionis; hinc leuca unica tantum distat *Porquerizas*, sexta Regionis Regiæ. *Brihegua* quatuor à Guadalaxara leucis ad ripas fluvii Tajuña sita, olim Regum Maurorum ob sylvam vicinam delitiæ, lanarum & pannorum distractione nobilis, castrum habet admodum munitum. Non longe à Tago fluvio in vicinia Pastranæ conspicitur *Zurita*, vini suavissimi, olei & croci ferax: Equitum ordinis de Calatrava patrimonium. *Veles* municipium & Caput ordinis Sancti Iacobi in Castilia, in regione de *Huete* dicta, situm ad radices collis in loco satis fertili. *Navalcarnero*; *Illescas* medio Toletum & Madritum inter itinere, in amœna & ubere planitie situm. *Mejorada* in loco eminenti ad ripas fluvioli Xarama, etiamque tritici ac vini fœcundo visitur. *Batres*. *Ita* quinque à *Gadalajara* leucis, in loco edito, cujus in summitate fortalitium est. *Caracena* in Episcopatu Siguencæ in agro fertili, Marchionatus est caput, à Philippo III Ludovico *Carillo de Toledo* concessi. *Leçuça*. *Segura de la Sierra*, una ex opimis ordinis S. Iacobi Commendatariis, in planitie pecoris & ferinæ carnis feraci, haud longe ab Alcaraz municipio. *Villa Rubia* duabus ab Ocaña leucis, in planitie frumenti, vini, olei, fructuum & pecoris mire fertili, nundinis & privilegiis gaudet. *Navalmorquende*, ad fluvium *Tietar* prope Talaveram Reginæ. *Cogolludo* duabus ab Ita leucis in loco edito, possidetur à familia Cerda Ducum Medinæ Cæli, cum titulo Marchionatus; *Miguelturra* prope Ciudad Real in planitie frumenti, vini, olei & pecorum supra fidem fertili. *Mora* sex Toleto leucis disjungitur, castro munito instructa; incolæ laminas gladiorum conficiunt optimæ notæ: Comitatus titulo claresci, à Philippo III Francisco *de Royas & Guevarra* concesso. *Valera* non procul à Cuença civitate in colle sita est, olim Gothis dominantibus civitas opulenta, & Cathedrali sede, quæ Cuençam translata est anno 1183. ejus Dominio illustris potitur familia nobilis *Alarcon*. Ad confinia Aragoniæ, Valentiæ, & Castellæ, undecim à Cuença leucis, inter pinuum sylvas in loco edito sita est *Moya*, quæ Marchionatus titulo à Ducibus Escalonæ possidetur, castrum autem habet non contemnendum. In eodem tractu est *Toralva*, & *Alarcon*, undique aquis fluvii Xucar cinctum; hoc municipium Mauris eripuit Alfonsus IX, opera Ferdinandi *Martinez de Zevallos*, qui nomen Alarcon, familiæ nunc celeberrimæ, eodem Rege annuente tum assumsit. *Buitrago*,

trago, ad radices montis *Ardoz*, 13 leucis Madrito diſſitum ſylva decorat, damis cæteriſque feris ſcatens, tauros alens, quos venatus cauſa Duces Infantadi, qui municipii hujus ſunt Domini, aliique viri nobiles, hinc petere ſolent. *Corral de Almaguer Ocañæ* vicinum in loco ſat fertili, ſed aquis indigo, & unico tantum puteo prædito; hic tibialia è lana conficiuntur laudatiſſima: ordinis S. Iacobi eſt peculium; ut & *S. Cruz de la Zarca*, ad eundem ordinem ſpectans. *Conſuegra* 10 Toleto leucis diſſita, in loco amœno ſaluberrimi aëris, ad radices montis duobus caſtris conſpicua, uno à Romanis, altero ab Arabibus condito, omnium rerum abundans, argenti fodinis illuſtris: ordinis Equitum Melitenſium propria eſt, ut & ſequentes loci *Arenas, Camunas, Madridejos, Villar de Canas, Quero, Alcaçar, Turleque*, & *Villaverde*. *Almodovar del Campo*, ad radices Montium Marianorum in amœniſſima valle ſitum, caſtro ornatur; argenti ager circumjacens ferax eſt. *Ribas* ad ripas fluvii *Xaramæ*, prope Madritum, Marchionatus eſt à Philippo IV, D. Ioſepho *de Saavedra* datus. Vnica tantum leuca Compluto disjungitur *Meco*.

RIOIA PROVINCIA.

RIvogia Provincia, vulgo Rioia, Caſtellæ Regno accenſeri ſolet, quamvis reclament Navarræ Reges, ſibique eam vindicent, amœniſſima ad latus Dubedæ montis eſt, cœlo ſalubri & ſolo, vini, frumenti, & mellis feraci, nomen ab Oja amne mutuata eſt, qui prope S. Dominici de la Calçada ortus, prope Harum oppidulum ſeſe in Iberum præcipitat; Provinciæ caput eſt Lucronium, vulgo *Logroño*, Civitas ad Iberum fluvium in planitie delicioſa & amœniſſima, fructuum, leguminum, olerum herbarum, florumque abundanti, pecorum, ferarum, ſerici, frumenti, vini, olei, lini, cannabiſque fertiliſſima, ſitu fortis & munita, utpote quæ cum ſit in planitie, nullos prædominantes timet colles, nullas inſidiantium minas. Iberus hic pontem lapideum pulcherrimi operis patitur. Secundas obtinet *Nagera*, quæ ad radicem collis, cui fortalitium impoſitum, & ripas Nagerillæ; eſt in loco admodum fertili, caput Ducatus à Regibus Catholicis D. Petro Mandrique *de Lara* conceſſi: nunc vero poſſidetur à familia potentiſſima de *Maqueda*. *Villa Franca Montes de Oca* ad montium radices poſita, in loco ob aſperitatem ſterili. *Haro* tribus à Nagera leucis, ad Iberi & Tiron fluviorum confluentem in agro frumenti præcipue, tum & vini, olei, fructuum, olerumque feraci ſitum eſt, Comitatus titulo à Ioanne II. D. Petro *Fernandes de Velaſco* Comitum ſtabuli Caſtellæ progenitori conceſſum, à cujus deſcendentibus hodie poſſidetur. Medio inter Lucronium & Nageram itinere colli impoſitum conſpicitur *Navarrete*, in agro totius Rioiæ fertiliſſimo, vini optimi, frumenti, cæterarumque rerum neceſſariarum abundanti; caſtrum habet non contemnendum. *La Guardia* duabus diſtat Lucronio leucis, colli elevato impoſita, omnium ad victum neceſſariarum rerum abundans. *San Vincente de Sonſierra*, ad Iberum fluvium ſitum oppidulum cum arce in loco editiore. *Briones* tribus à Nagera leucis, in colle ad ripas Iberi cum arce ſat munita. *Pancorbo* medio inter Burgos & Victoriam civitates itinere, inter duos montes, arcem habet pulcherrimam; locus celeberrimus eſt ob ſtuprum toti Hiſpaniæ fatale inibi à Roderico, ultimo Gothicorum Hiſpaniæ Rege, Cabæ Iuliani Comitis filiæ illatum. *Miranda de Ebro* tribus illinc leucis ad ripas Iberi viſitur, cum arce ſat bona. *Brivieſca* tractus vulgo *Bureva* dicti caput, octo à Burgenſi civitate leucis eſt, forma quadrangulari conſtructa, frumenti, fructuumque dives. *Viguera* ad Yteguam fluviolum, pannorum commercio nobilis, duabus à Lucronio leucis eſt; totidem ab eadem diſſita eſt. *Eutrena* fructibus abundans. *Puebla de Argançon*, cum caſtro non contemnendo Iberi ripis inſidet.

ESTREMADVRA.

ESTremadura regio ab Hiſpanis ſic appellata, & antiquorum Bæturia à *Ciudad Real*, ſive civitate regali, Pacem Auguſtam, vulgo *Badajos*, uſque, & à Marianis montibus, qui hodie *Sierra Morena* ad fines Cariæ Placentiæque territoriorum ſe extendit, latitudine in quadraginta, longitudine in quinquaginta leucas extenſa. Adjacet illi ad occaſum Portugallia, ad ſeptentrionem & ortum Legio & Caſtella Nova; ad meridiem Andaluzia. Regio tota frumenti, vini, olei, fructuum, leguminum, olerum, pecoris, & ferarum feraciſſima, & totius Hiſpaniæ maxime aprica, quamvis æſtate ibi nimis omnia ferveant; hyeme armenta à partibus magis Septentrionalibus, præſertim Soria & Cuenca ad hanc regionem traducuntur, non minus ac in Italia ex Aprutio, in campeſtria Apuliæ; *Guadiana* fluvius provinciam ſecat, qui prope pagum *Argamaſilla* abſorbetur, & poſt ſeptem leucas ſub terris actas rurſus prope *Daymiel* vicum in lacu *Ojos de Guadiana* dicto emergit; pontis ſpeciem terra efficiente; & cùm toto illo ſpatio lætiſſima ſint paſcua, inter mirabilia Hiſpaniæ recenſetur, illic fluvium eſſe ſuper quem innumeri fepaer cuntur pecorum greges, quæ optimi ſapo-

ſaporis, & ſubſtantioſiores totius Hiſpaniæ judicari ſolent. Vallis amœniſſima & delitioſiſſima, quam Hiſpani *Vera de Plaſencia* vocant, totius Hiſpaniæ, ni Andaluzia forte obſtet, fertiliſſima dici jure merito contendit; duodecim latitudo ejus, tres longitudo complectitur leucas, & ſeptemdecim locos habitatos, tota arboribus fructiferis, utpote caſtaneis, nucibus, corylis, ceraſis, malis, pyris, prunis, malis Aſſyriis, medicis, cydoniis, & armeniacis, Perſicis, Ficubus, oleis, vinetis hortiſque conſita. Melones præterea frumentum, linumque feliciter producit, fontibus limpidiſſimis, rivuliſque troctarum ſaporis optimi plenis ubique irrigua. Incredibile eſt fidemque ſuperat, quomodo hic omnia rideant, quantum delitiarum ſatiandæ gulæ, paſcendis oculis, recreando animo amœniſſimus hic tractus conferat. Huic contigua eſt vallis *de Plaſencia* ſimpliciter dicta, à duobus lateribus montibus altiſſimis, ſemperque nive tectis cincta, Veræ in fœcunditate ſoli, cœli benignitate, fructuum abundantia conſimilis. Complectitur Eſtremadura Civitates ſeptem, quarum tres Epiſcopali decoræ ſunt Cathedra, oppidula & pagos magno ſatis numero. Inter Civitates quidem prima ſeſe nobis offert Emerita, vulgo *Merida*, antiquæ Luſitaniæ olim Metropolis, ad fluvium Guadianam pulcherrimo & à Trajano Cæſare conſtructo ponte ſtratum, ſita loco editiore, cœli clementiâ & aëris ſalubritate commendabili, frumenti præcipuè, vini, pecorum, fructuum, olerum, admodum feraci, olim urbs ampliſſima, ſed nunc nihil habens præter ruinas & monumenta antiquitatum, à mille ſolummodo inhabitatur civibus; Epiſcopatus donata eſt dignitate anno 1620, à Paulo V. P. M. reditus habet Epiſcopus non contemnendos, olim Archiepiſcopatus, qui poſt Compoſtellam tranſlatus eſt.

Civitates.

A Merida leucis novem abeſt *Badajos* Civitas à confiniis Portugalliæ media tantum leuca in campo amœniſſimo, hortiſque conſito, vini, olei, pecoriſque, unde lanas magni pretii colligunt fertili, præterea caſeos profert laudatiſſimos, nec aves nec feræ fructuſque cujuſvis generis deſunt; Auguſtum Cæſarem conditorem jactat, qui eam Coloniam juris Italici effecit, Paciſque Auguſtæ nomen impoſuit; Mauri eam poſſidentes *Beled Ayx*, quod terram ſanitatis denotat, nominarunt, unde hodiernum nomen. Epiſcopum habet cujus reditus annui ad 18000 ducatos pervenire æſtimantur. Caſtro munitiſſimo & capaciſſimo contra Portugalenſes extructo, mœnibuſque anno 1641 & ſequenti recens reparatis defenditur. Olim Ducatus gaviſa titulo, à Regibus Catholicis Coronæ unita eſt. *Plaſencia* populetis, ſylviſque cincta Civitas ad fluviolum *Xerte* ſita eſt, à Rege Caſtellæ Alfonſo condita anno 1178, ſolo quam cælo meliori, Epiſcopatus quoque dignitate conſpicua eſt; cujus Præſul quotannis 40000 ducatos è diœceſi ſua percipit; olim Ducatus titulo à D. Alvaro de Zuñiga poſſeſſa, à Regibus Catholicis anno 1488, permutatione cum *Bejar* eodem titulo ornato facta, Coronæ unita eſt.

Coria Civitas Epiſcopatu illuſtris, cujus reditus annui Prælato 26000 ducatos adferunt, in planitie fertili ſita eſt, poſſidetur titulo Marchionatus à familia Alvares de Toledo Alvæ ducibus.

Truxillo in colle ſita Civitas, cujus ſummitatem ſaxoſam arx munita occupat, à Iulio Cæſare ædificata dicitur, qui ei nomen Turris Iulii impoſuit, Civitatis nomen à Ioanne II, anno 1431 adepta eſt; per totum Orbem celeberrima ob natum ibi Franciſcum Pizarrum Marchionem *de las Charcas* & *Atabillos*, Peruviani Imperii detectorem & occupatorem celebratiſſimum.

Xeres de los Cavalleros in planitie fertili, ſita, præcipue pecorum, quorum ad Villenæ & Eſcalonæ nundinas forenſes, quinquaginta millia capita hinc adduci ſolent; olim Templariorum Equitum peculium, ab Alfonſo XII Caſtellæ Rege, Coronæ junctum, Civitatis honorem in præmium fidelitatis à Carolo V, Cæſare adepta fertur.

Llerena Civitatis dignitate à Philippo IV. Rege Pacifico anno 1640 donata, à Magiſtris Equitum S. Iacobi 1241 condita, ab iiſdem poſſidetur; Civitati præeſt titulo Gubernatoris unus ex ejuſdem ordinis equitibus, ſita vero eſt in planitie admodum feraci præcipue pecoris.

Oppida.

Sequuntur oppida muris cincta, & primum quidem eſt, *Medellin* ad ripas fluvii Guadianæ in agro omnium rerum admodum feraci, conditorem veneratur Quintum Cæcilium Metellum Conſulem Romanum, qui Mtellinenſem eam nominaſſe ferunt: Patria eſt celeberrimi Herois D. Ferdinandi Corteſii de Monroy, vallis *de Guaxaca* Marchionis, cujus res geſtas in detegendo & debellando novo orbe celebrant hiſtorici; cæterum *Medellin* Comitatus à Portocarreriis poſſeſſi caput eſt. *Feria* Ducatus titulo in gratiam D. Gomeſii *Suarez de Figueroa*, Comitis Feriæ à Philippo II rege donata, quatuor à confiniis Portugalliæ diſtat leucis, arce valida & optime conſtructa conſpicua. *Alburquerque*, olim Alba Quercus, tribus à limitibus Portugalliæ leucis in colle edito ſita eſt, arcem habet fere inexpugnabilem in loco editiſſimo poſitam, lanis & pannificio oppidum celebre, poſſidetur Ducatus titulo à gentilibus *de la Cueva*, Comitibus Ledeſmæ. *Guadalupe*, ſanctuarium, ubi maxima devotione imago Deiparæ virginis colitur à S. Luca depicta. Oppidulum ipſum

ſitum eſt undecim à Truxillo leucis, ad ripas fluvioli cognominis, in valle admodum feraci, & arboribus in modum ſylvæ conſita, fontibuſque & rivulis *Guadalupe*, *Ruezas*, *Almonte*, *Vieja*, & *Ibor* irrigua; in medio oppidi ſitum eſt Cœnobium, Monachorum ordinis S. Hieronymi, *Nueſtra ſeñora de Guadalupa*, inſigni ſtructura in formam fortalitii conſpicuum, continet Hoſpitium ſumtuoſum peregrinis recipiendis, alterum ægris curandis, infirmeriam vulgo dicunt, pharmacopæam inſtructiſſimam, in quam quotannis 9000 ducatorum impendi ſolent; collegia duo; cæterum ornatur clauſtris amœnis, fontibus pulcherrimis, hortis artificioſis, malis citriis floribuſque conſitis; reditus ejus ſunt 28000 ducati; Templum Cœnobii undequaque votivis tabellis ornatum eſt: imago Deiparæ, miraculis clara, ipſa altari maximo impoſita, magna cum veneratione à peregrinis, remotiſſimis quoque è regionibus huc confluentibus, colitur; Aram centum argenteæ lampades à viris Principibus, magnatibuſve donatæ illuſtrant. *Miravel* quatuor à Plaſencia leucis colli impoſitum, cum arce munita, vini generoſi ferax, Marchionatus titulo donatum à Carolo V. Cæſare, in gratiam D. Ludovici *de Zuñiga y Davila*. Decem à Placenſia leucis eſt *Bejara* in valle amœna, quam montes de Bejar altiſſimi, & nullo non tempore nive tecti efficiunt, Palatio pulcherrimo conſpicua, ſylvis ferarum plenis cincta, fontibus limpidiſſimis & frigidiſſimis irrigua; è dictis montibus aquæ erumpit vena in duos diſtincta fontes, quorum unus potui gratiſſimus, alter calens balneum ſalutiferum conficit; Ducatus Caput eſt, cujus titulum reges Catholici permutatione, ut ſuperius dixi, cum Placenſia facta, D. Alvaro *de Zuñiga* dederunt. Prope oppidum lacus eſt non utilis minus, quam admirabilis; qui Truttas excellentiſſimi ſaporis gignit; & futuram pluviam, turbinemque magno aëris ſonitu prænuntiat; adeo ut ejus murmur Taurorum mugitui conſimile, ad tres leucas audiri ſoleat. *Caceres*, antiquis Caſtra Cæcilia, aliis Caſtra Cereris, ob lanas precioſiſſimas celebratur. *Segura de Leon*, inter duos altiſſimos montes ſita, & arce ſat pulchra ornata, à Romanis creditur condita. *Montijo* quatuor à Merida leucis ad Guadianam ſitum, à Portocarreriis poſſidetur titulo Comitatus, à Philippo III conceſſo. *Villanueva de Barcarota*, Marchionatus caſtro famoſa, iiſdem paret dominis. *Alcantara* Nobiliſſimæ Militiæ nomen dans, ad ripas Tagi ſeptem à Coria leucis, in agro omnium rerum fertili conſpicitur, oppidum antiquitate ſua ſpectabile, olim *Norba Cæſarea* dicta; pontem habet admirandi operis, ſex concamerati operis pilis ſubnixum, qui longitudine ſua 670 pedes, latitudine circiter 28 complectitur, altitudo vero aquatenus 200 pedum eſt: opus Trajani Cæſaris eſſe, inſcriptio antiqua indicat:

IMP. NERVÆ. TRAIANO. CÆSARI. AVGVSTO
GERMANICO. DACICO. SACRVM
TEMPLVM. IN. RVPE. TAGI. SVPERIS.
ET. CÆSARE. PLENVM
ARS. VBI. MATERIA. VINCITVR.
IPSA. SVA.
QVIS. QVALI. DEDERIT. VOTO. FORTASSE. REQVIRET
CVRA. VIATORVM. QVOS. NOVA.
FAMA. IVVAT.
INGENTEM. VASTA. PONTEM. QVOD.
MOLE. PEREGIT
SACRA. LITATVRO. FECIT. HONORE. LACER
QVI. PONTEM. FECIT. LACER. ET. NOVA. TEMPLA
DICAVIT. ILLIC. SE. SOLV.....
VOTA. LITANT
PONTEM. PERPETVI. MANSVRVM. IN.
SECVLA. MVNDI
FECIT. DIVINA. NOBILIS. ARTE.
LACER.
IDEM. ROMVLEIS. TEMPLVM. CVM.
CÆS. DIVIS
CONSTITVIT. FELIX. VTRAQVE.
CAVSA. SACRI
C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET. DEDICAVIT
AMICO. CVRIO. LACONE. ICÆDITANO.

In arcu ejuſdem pontis quatuor Tabulæ marmoreæ quondam fuerunt, quarum una hæc ſupereſt, verba, quæ ſequuntur, præferens:

MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIÆ. STIPE
CONLATA. QVÆ. OPVS
PONTIS. PERFECERVNT
ICAEDITANI
LANCIENSES OPIDANI
TALORI
INTERANNIENSES
LANCIENSES. TRASCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES.

Oppidum à Mauris recuperatum Alfonſus X, Legionis Rex anno 1214, Ordini Militari S. Iuliani *del Pereyro* donavit, qui poſtea

poſtea nomen de Alcantara aſſumſit. In Hiſpania vero univerſa inclytus ille ordo poſſidet Commendas, ut vocant, triginta octo, quarum reditus annui ſunt 248114 ducati. *Talavervela* ad Anam fluvium. *Zalamea de la Serena* commenda Ordinis de Alcantara, novem à Llerena leucis, monti alto impoſita, arce munitiſſima & fortalitio ſpectabilis, boum armentis, & pecorum gregibus paſcua vicina ſcatent. Antiquorum eſt Ilipa, quod marmora, cenotaphia, ſepulcra, nummique hic paſſim inveniri ſoliti demonſtrant. *Belvis* in regione montoſa ſed paſcuis læta jacet, arce pulcherrima & ſat munita conſpicuum. *Almaraz* haud longe à Tago in planitie, octo à Placenſia leucis disjuncta eſt. *Monroy* Marchionatus titulo, beneficio Philippi IV, Regis, poſſidetur à D. Ferdinando *de Monroy*, ejuſdem familiæ Principe. *Orellana la Vieja* in loco humili ad Guadianam ſita, caſtello conſpicua, paſcuis cincta, & ſylva cuniculis referta, ornata. Marchionatus titulum Philippus III Rex, D. Petro *de Fonſeca & Figueroa* conceſſit. *Fuente de Cantos* pratis lætum, *Villa nueva de la Serena* ſeptem à Merida leucis, Equitum de Alcantara peculium. *Belalcaçar* in collimitio Andaluſiæ, cui à quibuſdam aſſcribitur, & Eſtremaduræ, ſitum ad fluvium Cuyar, Comitatus titulo inſigne, ſpectat ad Duces *de Bejar*. *Azuaga* Ordinis militaris Sancti Iacobi propria, caſtro munito ſpectabilis, in planitie jacet à Llerena quinque leucarum ſpatio diſſita. *Villa de Reyna*, Ordinis Sancti Iacobi commenda, cum arce ſat ſpectabili. *Zafra*, caſtello munito pulcroque ſpectabilis, olim Reſtituta Iulia. *Montanches*, oppidum ob arcem pulcherrimam & munitiſſimam, illuſtriumque perſonarum carcerem celebratum, 6 leucis Merida diſtat, ſitum in loco inexpugnabili, cæli ſolique fælicis; optima hic caro ſale condita: ordinis S. Iacobi itidem peculium. *Garrovilla*, prope Meridam. *Almendralejo* totius Eſtremaduræ fertiliſſimos occupat campos, quatuor à Merida leucis. *Arroyo de San Servan*, in eodem tractu ſitum eſt, ut & *Villa de Don Alvaro*, ab Alvaro de Luna è pago ad oppiduli formam & privilegia evecta, ad ripas Guadianæ eſt, unicæ à Merida leucæ ſpatio. *Valverde*, è pago anno 1630 in oppidulum mutatum eſt, ſitum duabus à Merida leucis, in valle fontium, herbarum, florumque mirum in modum feraci, & amœna. *Alhange*, Ordinis S. Iacobi Commenda ſpectabilis, in loco edito tribus à Merida leucis ſita eſt; ſummitatem rupis arx & opere & natura munitiſſima, & fere inexpugnabilis occupat; Romanos conditores ædificiorum & ruinæ & inſcriptiones demonſtrant. *Gonçalo*, hic campana contra tempeſtates, & mulieribus parturientibus favorabilis. *Almorahin*; *Alcueſca*, *Salvaleon*; *Salvateria Labor*, *Granadilla*: *Villa Franca*, *Hornachos*.

Eſt autem regni Caſtellæ origo iſta: Pelagius regis Roderici patruus, quum in Cantabriam profugiſſet, eo tempore quo Theoberto fratri à Vitiſa oculi eruti fuerant, ibi tamdiu latuit, dum recrudeſceret bellum Saracenicum, victoreſque Chriſtianis rerum poteſtatem eriperent, eoſque per univerſam Hiſpaniam occiderent. Pelagius igitur ad Aſtures profectus cum reliquiis Chriſtianorum, Rex illius omnis tractus factus eſt, ut & Gallæciæ & Legionis: ubi etiam annos totos viginti regnavit. Has ſedes poſteri Caſtellam Novam vocavere. Ab hoc ergo frequentes Reges orti ſunt. Faſilla primum filius ipſi fuit & ſucceſſor. Eum ſequutus eſt Alphonſus, Petri Cantabrûm Ducis filius, Faſillæ gener. Hic, ob extirpatam hæreſim Arianorum, primus Catholici nomen habuit. Alphonſo ſucceſſit Froila, qui à fratre Aurelio immani occiſus parricidio, ipſum hæredem regni & ſucceſſorem reliquit. Hunc ſequutus eſt in regno Silo Alphonſi gener; Silonem Muregatus Alphonſi filius nothus, qui Saracenorum ope ad regnum pervenit. Succeſſit Veremundus Alphonſi nepos, qui ex Diacono Rex, ex Rege monachus factus eſt, & locum Alphonſo Secundo prioris filio reliquit. Hunc ferunt ab uxore abſtinuiſſe, Saracenos magna internecione trucidaſſe, duas ſedes Epiſcopales erexiſſe, Aſturicenſem, & Ovitenſem. Is fuit σύγχρονος Caroli Magni. Alphonſo Secundo ſucceſſit Ramirus; huic Ordonius, Ordonio Alphonſus Tertius, qui fratres tres excœcavit. Hunc ſequuti ſunt Garſias, Froila, & Alphonſus Quartus, quem regio cultu depoſito, ferunt in monaſterium conceſſiſſe: inde quum regnum iterum peteret, à fratre Ramiro excœcatum. Ramiro ſucceſſit frater Sanctius, homo obeſus, qui, ad ſaginam illam corporis minuendam, adhibuit hoſtis ſui Regis Saraceni Medicos: hi non ſanarunt ipſum, ſed intoxicarunt: obiit anno Domini D CCCC XXVIII. Hunc ſequuti ſunt Ramirus, Alphonſus Quintus, Veremundus, Ferdinandus Primus Sanctii Caſtellæ Comitis filius, qui anno M XVII Caſtellam Novam ex Comitatu Regnum fecit, quum antea per Comites fuiſſet adminiſtrata. Poſt hunc fuere Sanctius & frater Alphonſus VI; poſt hos Alphonſus VII, Sanctius, Alphonſus VIII, Alphonſus IX, Henricus, Ferdinandus, Alphonſus Decimus. Hic ille Regum decus, Principum exemplar, virtutis, nobilitatis, eruditionis oraculum,

Regni Origo.

Reges Caſtellæ.

Hic genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus uti æthereus Sol.

Vxorem duxerat Violantam Iacobi Arragonum regis filiam, quam impensè amabat, ſed quum nullos ex ea liberos ſuſciperet, pertæſus ſolitudinis iſtius, decrevit eam repudiare,

re, inque ejus locum admittere Christianam Danorum Regis filiam, virginem formosissimam, futuram, ut est illius cœli & corporum temperatura, ex conjugio fœcundam. Iamque illa accersita haud procul aberat, quum repente Deus Violantæ preces exaudiit, eamque regio seminio gravidam effecit. Hic Alphonsus sacrum inter & saxum hærens, incertusque rerum suarum, quum neque Christianam speratam suam posset honeste remittere, neque Violantam conjugem ex se prægnantem dimittere, dubitat quid agat. Erat autem Regi frater Philippus, Abbas Vallis Oletanæ, jamque electus Ecclesiæ Hispalensis Præsul. Hic ultro fratrem adiit suspensum, ostenditque, se abjecto sacerdotio futurum Christianæ maritum. Placuit Regi fidum fratris consilium. Ita Philippus Christianam duxit, Alphonsus Violantam servavit, exque illa postea sustulit Berenguelam, Ferdinandum, Sanctium, Ioannem, Leonoram & Beatricem. Fuit autem Alphonsus iste non tantum regiis virtutibus instructus, verum etiam aliis civilibus. Nullus eo diligentius libros sacros lectitabat: nemo historias norat expeditius: nemo Mathematicæ doctrinæ, atque imprimis Astronomiæ peritior. Tabulas Astronomicas vulgavit ipse, quæ ab auctore vocantur Alphonsinæ. Scripsit quoque historiam mundi, & alia quædam nunquam interitura ingenii monumenta. Ob has virtutes, quum electo Richardo Angliæ Rege dissiderent inter se proceres Imperii, placuit aliis Alphonsum istum designare. Alphonsus tamen pacis amans, haud invitus Richardo cessit: post cujus obitum quum frequentibus suffragiis ipse iterum electus esset, resignato regno in potestatem filii Sanctii, abiit in Germaniam. Sed quum videret multos novis Rudolphi Habspurgensis conatibus favere, rediit in Hispaniam, excluseusque à filio non multo post ultimum diem clausit. Sanctio successit Ferdinandus, huic Alphonsus undecimus: post quem fuere Petrus, Henricus, Ioannes Primus, Henricus Tertius, Ioannes Secundus, Henricus Quartus, Ferdinandus Sextus, Philippus Primus, Carolus Quintus, Philippus Secundus, Philippus Tertius; ac tandem Philippus Quartus, qui nunc rerum potitur. Ita longa Regum serie res Castellanæ administratæ sunt. Est autem Toletum præcipua hujus regni civitas, ad flumen Tagum: exstructa magna ex parte ornataque à Bamba Rege, anno DCLXXIV. Hic eam turribus, muro, portis exornavit: posuitque in ejus rei memoriam versus hos:

Toletum.

Erexit fautore DEO *Rex inclytus urbem*
Bamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In porta quæ ponti imminet, cui nomen d'Alcantara, hæc marmori insculpta sunt:
Vos Domini sancti, quorum hic præsentia fulget,
Hanc urbem & plebem solito servate favore.

De Arce Toletana sic refert Rodericus Toletanus Archiepiscopus, *Anno Christi* DCC, *regnante Roderico ultimo Gothorum Rege, erat Toleti palatium à multorum Regum temporibus clausum, & pluribus ferreis seris obseratum. Hoc contra procerum voluntatem aperiri jussit rex Rodericus. Sed præter unam arcam nihil in ea offendit, qua aperta reperit pannum, cui Latinis litteris sive inscriptum, sive intextum erat quod sequitur:*

QVVM CLAVSTRA HÆC FRANGENTVR, APERIETVRQVE ARCA ET PALATIVM, ERVNTQVE CONSPICVA QVÆ HACTENVS LATVERVNT, TVNC QVALES HIC VIDES IN HOC PANNO EXPRESSAS GENTES, HISPANIAS INVADENT, ET SIBI SVBIVGABVNT.

Hoc viso lectoque doluit vehementer Rex, jussitque omnia pristino suo loco reponi, & claudi, prout antea clausa fuerant. Erant autem in panno illo depicti vultus Arabum. Sed hoc ego commentum simile illis existimo quæ apud Poëtas leguntur. Nam si fatale fuit utrumque, non potuit alterum alterius vel caussa esse vel signum. Quid vero si non attigisset ista Rex, decretum illud Dei irritum fuisset? Et tamen decimo septimo post anno, vel ut alii volunt, decimo tertio tota Hispania in Saracenorum potestatem venit, solis Cantabris & Asturis exceptis. Sequente anno Toletum fraude Iudæorum Mauris proditum est. Ita prædictioni illi fides fuit. Porro inter alia permulta Toletanæ urbis memorabilia eminet palatium illud celeberrimum restauratum à Carolo V, multisque novis structuris auctum exornatumque. In hoc machina est cochleata ex Tago flumine aquam in summam arcem attollens, quæ inde tubis & fistulis per universam non modo arcem, verum etiam urbem diffunditur in hortos, balnea, culinas, officinas fullonias, aliaque loca aquis destituta. Proximus urbi pons est supra Tagum: inde reliqua ad Orientem & Occasum utraque in amnis ripa hortis arboribusque plena sunt, jucundo admodum spectaculo.

MO-

ESCVRIACVM,
SIVE
PALATIVM REGIVM,
ET
MONASTERIVM D. LAVRENTII.

ETsi propoſitum non fuerit in hoc noſtro Atlante urbes celebriores, Regum Palatia, Magnatum Prætoria, Baſilicaſque aut Monaſteria ſigillatim delineare; magnifici quidem Idea operis; ſed in noſtro urbium Theatro, ut accuratius, feliciuſque poſſit exequi, ſeorſim exprimenda; attamen ſi tantulum à præfixo nobis tramite diverterimus, non idcirco conceptam mente ſeriem aut perturbamus, aut relinquimus; vocamur enim ad opus inſigne, inſolitum, non vulgare, ad totius orbis miraculum, quod ſummus Monarcha Philippus Secundus, cognomento Prudens, Hiſpaniarum Indiarumque Rex potentiſſimus, poſuit, in æternum glorioſiſſimæ illius victoriæ monimentum, quam anno reſtauratæ Salutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, in ipſis D. Laurentii Solenniis apud Auguſtam Veromanduorum, ſive D. Quintini, reportavit; opus exultantis triumphantiſque animi, Eſcuriale, inquam, illud auguſtiſſimum D. Laurentii monaſterium, quod felicibus auſpiciis ab ipſo tantæ victoriæ Patrono nomen poſteritati memorandum accepit, ſuperaddito quoque Eſcurialis cognomento, ob pagi cognominis vicinitatem; quod & à Monachis ordinis S. Hieronymi quinque milliaribus Madrito diſſitum, habitatur: ex ſequenti deſcriptione manifeſtum fiet, quam in partes quinque diſtribuemus. Ab anteriori itaque parte incipientes, conſpicitis ante hanc fabricam hypæthrum, ſeu ſubdialem deambulationem, quæ ab occidentali monaſterii parte incipiens, totum ſeptemtrionale latus ambit: lata inter ſepta & monaſterium in occidente pedes 200, in ſeptentrione 140; pavimentum habens ex parvis lapidibus hic quadratis, iſtic rotundis. Primarium hujus monaſterii faſtigium & frontiſpicium eſt in occidente, in quo tres portæ ſunt: quarum media principalis, per quam in templum, monaſterium & Collegium eſt aditus. Per eam quæ à dextris eſt, in officinas artium mechanicarum, ad uſum monaſterii factas, itur; quæ à ſiniſtris eſt, ad cubicula ſcholæ & ſtudioſæ juventutis perducit. In quatuor angulis hujus machinæ quatuor turres affabre factæ conſpiciuntur: in medio autem inter interiorem introitum, & templi oſtia pars hypæthri videtur, quod interjacet: & duæ turres quæ à templi ſtereobata in altum aſſurgunt. Cernuntur & gradus tam lati, quam ipſum Hypæthrum patet, quibus in templum aſcenditur. Supra templi introitum ſuis ſtylobatis ſtant imagines ſex Regum Iſraël, ex albo marmore, & nigro lapide fario exciſæ, habentes ſingulæ octodecim pedes in altitudine; in introitu vero templi hæc legitur inſcriptio lapidi Lydio inſculpta:

PHILIPPVS II,
OMNIVM HISPANIÆ REGNORVM,
VTRIVSQVE SICILIÆ ET HIEROSOLYMÆ REX,
HVIVS TEMPLI PRIMVM DEDICAVIT
LAPIDEM D. BERNHARDI SACRO DIE,
ANNO M D LXIII.
RES DIVINA FIERI IN EO COEPTA
PRID. FEST. D. LAVRENTII
ANNO M D LXXXVI.

SCENOGRAPHIA FABRICÆ S. LAVRENTII IN ESCVRIALI.



Ex altera parte:

PHILIPPVS II.
OMNIVM HISPANIÆ REGNORVM,
VTRIVSQVE SICILIÆ ET HIEROSOLYMÆ REX,
CAMILLIACI ET ALEXANDRIÆ PATRIARCHÆ,
NVNTII APOSTOLICI MINISTERIO,
HANC BASILICAM S. CHRISMATE CONSECRANDAM,
PIE AC DEVOTE CVRAVIT
XXX AVGVSTI ANNO MDXCIII.

In omnibus tectis videntur fumaria, ſpiracula & feneſtræ, rotundi canales, & templi laternæ, interius omnia ex lapide nigro confecta. Similiter & magna porticus monaſterii Ionico & Dorico opere ex nigro lapide Thracio ſtructa, rectum primariæ cochleæ, periſtylium in monaſterio, tectum ſeu turriculæ propylæi, quod ante refectorium eſt, ab auſtro templum reſpiciunt. In aquilone area eſt, qua in palatium Regis, quatuor porticus Collegii & Gymnaſium itur, quæ omnia in hac aquilonari plaga ædificata ſunt, uti & turris veſtibuli ante cœnaculum Collegii. Conſpicitur hic & pars quædam officinarum & alia quædam, tam ad hoc ædificium, quam ad monaſterium ſpectantia. In auſtro quoque viſitantur horti, pomarium, ambulacrum noſocomii, & ædiculæ ad diſtillationes deſtinatæ, cum Pharmacopolio, & porticu, qua è monaſterio ad cœnaculum hoſpitum tranſitur. Veniamus nunc ad interiora hujus fabricæ ornamenta. Initio cum ſcala qua ad primarium templi introitum aſcenditur, offert ſe xyſtus qui ducit ad late patens ſubdiale, monaſterium à Collegio diſterminans. In hoc xyſto latis gradibus ad templi introitum aſcenditur, atque inde ad aliam planiciem pervenitur, quæ ducit ad angiportum, qui eſt ante templum, unde ab una parte qui in monaſterio, ab alia qui in Collegio ſunt, in templum, atque adeo in inferiorem chori ſtationem itur. Locus chori hujus quadratus eſt. tria habens in quadratura periſtylia, quæ & pro navi (ut vocant) templi habentur. Secundum hunc inferioris chori locum ab utraque parte area eſt ſubdialis, ex qua inferior chorus & duo ſacella, quæ ad has areas ſita ſunt, lumen ſuum excipiunt. In hoc choro duo magnifica ſtant altaria. Huic choro, qui concameratus eſt, integrum templum cum choro ſuo imminet, quod templum præter ſacellum, ſuperiorem, anterioremque chori ſtationem, quadratum eſt, quatuor nitens columnis, aliiſque fulcris neceſſariis, tria etiam habens collateralia periſtylia, ad modum eorum, qui in navi, ſeu alvo Eccleſiæ ſunt. In hoc templo duo ſonant Organa, quorum utrumque 32 regiſtris (ut vocant) diverſis pulſatur. Habet & templum hoc 36 altaria, portamque magnificam; per quam itur ad cryptoporticum magnam, tempore quo fiunt ſupplicationes. Templum hoc 30 pedibus altius eſt inferiori choro, totidem pedibus chorus ſummus ipſum quoque templum ſupereminet. Pavimentum templi hujus ex albo marmore & nigro lapide vermiculatum eſt, uti & pavimenta anterioris & poſterioris chori ſunt, in quo multi libri rituales, & ad divina officia decantanda ſcripti & impreſſi, cum aliis, ad ſacra myſteria pertinentibus conſpiciuntur.


In hujus chori teſtudine Sol, Luna, ſtellæ, omniſque militia cœleſtis artificioſiſſimè picta exhibetur. uti in parietibus variarum virtutum effigies, vitam ipſam pene exprimentes. Quædam etiam hiſtoriæ ſancti Laurentii, cui templum hoc dicatum eſt, in memoriam inclytæ illius victoriæ; quam die Sancto Laurentio ſacro de Gallis Philippus reportavit, & ſancti Hieronymi, cujus regulam monachi hujus cœnobii profitentur. Subſellia ex pretioſiſſimo ligno, opere Corinthiaco facta ſunt.

In auſtrali templi latere janua eſt veſtibuli, quod ante adytum ſitum eſt, quod concameratum, & variis picturis exornatur. In hoc veſtibulo fons è vario genere Iaſpidis & marmoris ædificatus, ſeptem aquæductibus ſeu ſcatebris fluit. In hoc fonte monachi celebraturi manus lavant. Pavimentum nigro & candido marmore variatum eſt.

Adytum locus eſt auguſtus, jucundus, teſtudineatus, cujus fornices varias artificioſaſque picturas oſtentant, atro, candidoque marmore pavimentatus, capſæ quibus altarium ornamenta & ſacræ veſtes includuntur, è vario ligno, ebeno ſcilicet, cedrino, buxeo, terebinthino, nuceo, &c. confectæ ſunt. parietes maxima induſtria, ingenioque à di-

Ortographia exterior meridional del templo i convento de s. Lorencio el real del Escvrial i aposentos reales.





à diverſis iiſque celeberrimis pictoribus delineatis, optimoque ordine junctis hiſtoriis veſtiuntur.

Ex hoc adyto per gradus aſcenditur ad ſummum altare, multo quam adytum eminentius. Locus hujus altaris varii coloris nobili Iaſpide quadrata forma pavimentatus eſt. è regione Aræ maximæ ſepulchrum artificioſe extructum ſpectatur Caroli V. Imperatoris, ejuſque uxoris, ſequenti ornatum inſcriptione:

CAROLO V.
ROM. IMPERATORI AVGVSTO,
HORVM REGNORVM, VTRIVSQVE
SICILIÆ ET HIEROSOLYMÆ REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
OPTIMO PARENTI PHILIPPVS FILIVS POSVIT.
IACENT SIMVL ELISABETHA VXOR,
ET MARIA FILIA IMPERATORIS,
ELEONORA ET MARIA SORORES,
ILLA FRANCIÆ, HÆC VNGARIÆ REGINA.

Siniſtrum latus Philippi II. filii ſepulchrum occupat, medio loco alii relicto, ut docet Epigraphe:

HIC LOCVS DIGNIORI INTER POSTEROS ILLI,
QVI VLTRO ABSTINVIT VIRTVTIS CAVSA. &c.

Philippi ſepulcro inſcripta leguntur ſequentia:

D. O. M.
PHILIPPVS II.
OMNIVM HISPANIÆ REGNORVM,
VTRIVSQVE SICILIÆ ET HIEROSOLYMÆ REX
CATHOLICVS, ARCHIDVX AVSTRIÆ &c.
IN HAC SACRA ÆDE
QVAM A FVNDAMENTO EXTRVXIT
SIBI VIVENS POSVIT,
QVIESCVNT SIMVL ANNA, ELISABETHA,
ET MARIA VXORES, CVM CAROLO PRINCIPE,
FILIO PRIMOGENITO.

In eodem loco quædam etiam oratoria conſtructa ſunt, in quibus Principes ſacrum Miſſæ officium audiunt. Hæc oratoria in quatuor ſacella, eadem Iaſpide vermiculata, & ornata (ut & pavimenta ex ſimili Iaſpide conſtant) diſtinguuntur. Locus hic decem pedibus altior eſt templi pavimento, atque ex illo in templum gradibus, qui ante magnum ſacellum ſunt, deſcenditur, qui gradus pulcherrimo Iaſpide conſtrati ſunt.

Itur & per hunc locum in ſacellum, ſeu ſacrarium, quod in plaga eſt ſeptentrionali, in quo multæ & variæ ſanctorum cuſtodiuntur reliquiæ, optimo ordine ſuis arcis incluſæ. Simile ſacrarium ab auſtro eſt, ſimilibus plenum reliquiis & monimentis.

Ab uno ſummi altaris latere ædicula eſt, in qua ſacra Synaxis diſtribuitur, duas habens valvas. Locus profecto magnæ pietatis ac devotionis. In parietibus hujus ædiculæ quatuor hiſtoriæ ex vetere teſtamento, Euchariſtiæ ſacramentum adumbrantes, mira induſtria depictæ ſunt. In teſtudine arcus cæleſtis inter nubes variis Cherubinis & Seraphinis aſperſus conſpicitur. Inter hanc ædiculam & ſummum altare ſacrarium eſt, in quo Sacro-

ORTOGRAPHIA DELA ENTRADA DEL TEMPLO DE S. LORENCIO EL REAL DEL ESCVRIAL I SECCION INTERIOR DEL CONVENTO I COLEGIO.



Scala menſoria hujus Fabricæ

100 200 300

Pitipie deſta fabrica

Palmo 1 2 3 4

Dedo 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

Minutos

Pés Caſtellanus in partes diviſus.

Pie Caſtellano dividido em partes.

ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum conſervatur, rotundum, octo columnis è Iaſpide ravidi coloris, venis ſeu ſtriis candidis vermiculata ſubſtructum. Iaſpis hæc tam dura eſt & nobilis, ut ſine Adamante poliri neutiquam potuerit. Epiſtylia & baſes è metallo facta ſunt deaurato, ſicut & coronices atque encarpa. Alia omnia quæ in hac fabrica concurrunt, è generoſa Iaſpide variorum colorum elaborata, & deaurato metallo impoſita ſeu immiſſa ſunt. In baſi quæ tæniis imminet, octo Apoſtolorum ſtatuæ conſpiciuntur, cæterorum quatuor aliis locis ſtant excavatis. Duodecim iſtæ ſtatuæ admirando artificio ſculptæ, & per ignem inauratæ ſunt. Pavimentum hujus ſacrarii ſtratum eſt vario genere Iaſpidis, deaurato metallo, opere muſivo diſtinctum. Valvæ autem ſacrarii ſunt ex generoſa cryſtallo, quem montanum vocant, quæ compagibus è metallo conflatis & deauratis includuntur, adeoque pellucidæ ſunt, ut per eas hierotheca interior, in qua Euchariſtia repoſita eſt, manifeſte videatur. Hoc opus à ſpectatoribus omnium operum, quæ hoc ſeculo in orbe terrarum oſtentantur, celeberrimum, artificioſiſſimumque eſſe cenſetur. Hujus operis architectus celebris ille *M. Iacobus de Trezzo*, totum ſeptennium in ſculpenda poliendaque Iaſpide, quæ in hoc opere cernitur, inſumpſit.

Summum quoque altare opus eſt non minus illo pretioſum, nobile & artificioſum, ex Iaſpide & marmore conditum. In hoc altari ſcabellum ponitur, & in eo cruces, candelabra, aliaque altarium ornamenta. Altare hoc diverſis, iiſque artificioſis picturis, quatuor ſtegis, quarum aliæ aliis eminentiores ſunt, exornatur. In inferiori ſtega inter duas pictas tabulas locus eſt, ubi conditur hierotheca euchariſtica; ab utroque vero latere duæ ſunt ſtatuæ quæ quatuor Doctores Eccleſiæ, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium & Gregorium referunt. Stega hæc ex pura & generoſa conſtat Iaſpide, ornata encarpis è diverſi coloris Iaſpide. Huic ſtegæ tanquam baſi nituntur omnes picturæ & columnæ, quæ ex viridi & rava Iaſpide confectæ ſunt. Baſes autem & moduli è metallo deaurato. Volutæ, tori, & zophori è nobili, verſicolorique Iaſpide, uti & pilæ affabre factæ ſunt. Quid multis? totum opus è pura & nobili diverſorum colorum Iaſpide, metalloque fuſo & deaurato compoſitum eſt. Iuxta ſecundæ ſtegæ picturas duæ ſtant ſtatuæ ab utroque latere, quæ quatuor Euangeliſtas repræſentant. Eodem modo & ſecundum tabulas ſtegæ tertiæ collocantur duæ ſtatuæ, una S. Iacobi, Hiſpaniæ Apoſtoli; altera S. Andreæ, Divi tutelaris domus Burgundicæ. In ſumma ſtega S. Petri & Pauli imagines ſpectantur.

Arca interior, in qua venerabilis Euchariſtia cuſtoditur, artificioſiſſime, magnaque induſtria condita eſt, quatuor habens columnas è pura Iaſpide, quarum baſes & capitula è puriſſimo auro ſtant vermiculato: quales ſunt & zophorum, volutæ, & encarpa, ipſam arcam ambientia. In his multi lucent ſmaragdi. Stylobatæ harum columnarum è ſimili Iaſpide ſculptæ, & auro variis locis diſtinctæ ſunt. Tres pilæ quadratæ, quæ ſtylobatis ſubſternuntur, argenteæ ſunt inauratæ. Fundamentum vero cui hæc arca ſubſtructa eſt, è nobili Iaſpide & metallo inaurato conflatum; abaci, & ſtereobata ſcaporum ſeu pyramidum ex eadem Iaſpide, qua columnæ, conſtant auro vermiculato ſtriata. Pyramides è generoſiſſima Iaſpide impluviata. Sphæræ ſeu globi in apicibus poſiti aurei ſunt, vermiculati. Valvularum crepidines argenteæ ſunt & inauratæ. Globulus qui in faſtigio operis micat preciociſſimus Smaragdus eſt, floſculo deaurato incumbens. Valvulæ ipſæ Cryſtallinæ ſunt, ex eo genere, quod *de Roche*, ſeu montanum vocant. Latus quod templum ſpectat, feneſtram habet quadratam & magnam: ex eadem cryſtallo alia duo latera varia Iaſpide, puriſſimo auro diſtincta, ornantur. Simili materia & arte ipſa arca interius exornata eſt. In medio teſtudinis hujus operis magni pretii topazius hæret. In meditullio arcæ Sacroſancta Euchariſtia in vaſe ex achate facto cuſtoditur. His paucis deſcriptio præcipuorum & excellentiorum operum templi monaſterii in Eſcuriali comprehenditur.


Monaſterii deſcriptio.

Sequitur deſcriptio ipſius monaſterii. In xyſto qui ante introitum templi eſt, occurrit janua magni veſtibuli hujus monaſterii. Per hoc veſtibulum itur ad turrim in qua campanæ pendent, & horologium naturales & planetarias horas præter campanam ipſam demonſtrat. Turris hæc quaſi in ipſa ſtereobata templi verſus cœnobium aſſurgit, uti & oppoſita parte turris eſt, in qua præludium horologii, ſeu campanulæ quibus pulſatis luditur, ſonant.

Propylæum monaſterii ducit ad locum colloquii (Parlatorium vocant) ubi conveniunt, qui aliquid habent quod cum monachis conferre voluerint: juxta locum hunc ſcala eſt præcipua & auguſta, multis & latis gradibus inſigni teſtudine, tectoque magnifico. His gradibus adjacet ſacellum, in quo divina miniſteria peragebantur, quamdiu templum ædificabatur, & aliud conclave, in quo archivum, fundationes, dotationes, inſtrumenta & diplomata monaſterii aſſervantur.

Per idem propylæum, ſeu veſtibulum, tranſitur ad aream monaſterii: inde ad cryptoporticum, aliumque locum, in quo ciſterna eſt, aquæque pluviæ colliguntur. Inter hæc

ORTOGRAPHIA I SECCION INTERIOR DEL TEMPLO DE S. LORENCIO EL REAL DEL ESCVRIAL I PARTE DEL CONVENTO I APOSENTOS REALES.



hæc duo loca arca erecta ſtat, admirabili opere confecta, in qua multa, eaque maxime neceſſaria cuſtodiuntur.

Ex hoc veſtibulo etiam tranſitus eſt ad veſtibulum refectorii, cui junctum eſt conclave, in quo veſtimenta reponuntur: quod conclave & veſtibulum magno ingenio & arte concamerata ſunt. Veſtibulum hoc octangulare eſt, octo habens feneſtras, per quas omnes porticus adjacentes lumen hauriunt: in medio veſtibuli fons eſt, cujus aquæductus è Iaſpide ſunt elaborati.

Refectorium, ſeu triclinium monachorum, magnificum opus eſt. Cubiculo veſtiarii adjacet tranſitus ad cœnaculum hoſpitum, huic culina monaſterii & hujus veſtibulum, in quo multæ ſunt commoditates, fonteſque calidarum, frigidarumque aquarum. Refectorio junctum eſt cavædium noſocomii, in quo duo ſunt magna aquaria, ſeu ciſternæ, noſocomium autem ipſum huic cavædio jungitur, cujus cœnaculum uſque ad veſtibulum culinæ protenditur. Præter dicta loca ad murum porticus noſocomii tria ſunt ædificia, in quibus ea conſervantur & aguntur, quæ ad aquas diſtillandas pertinent. Xyſtus quoque è conventu ad hoſpitium ducens, in quo etiam ambulacrum eſt, in uſum eorum, qui è morbis convaleſcunt.

Sed & è veſtibulo magno monaſterii aditus eſt ad cryptoporticum, in qua ſupplicationes publicæ peraguntur. Hiſtoriæ hic 46 è Novo teſtamento, ab annunciatione B. Virginis, uſque ad adventum Chriſti ad extremum judicium ſpectantur. In hujus cryptoporticus quadratæ meditullio hortus eſt amœniſſimus, in varios pulvinos artificioſe diſtinctus: in medio fabrica angulorum octo, formam templi referens, à lapide vivo nigro conſtructa: interiores autem parietes Iaſpide verſicolori veſtiuntur. In quatuor angulis telamones, ſeu atlantes ſtant, aquam evomentes, quam quatuor marmoreæ ciſternæ, ad quas gradibus aſcenditur, excipiunt. In medio autem hujus fabricæ ſemita eſt horti iſtius primaria.

Ex eadem cryptoporticu itur ad exedram, ſeu domum capitularem, aliudque conclave huic per omnia ſimile. Duo hæc loca una cum veſtibulo teſtudines habent variis, iiſque pretioſiſſimis picturis ornatas, pavimenta quoque ex atro & candido marmore concinnata, ſubſellia monachorum in circuitu ſunt, & uterque locus magnificum habet altare.

Introitus ad monachorum cellas tam ſuperiores, quam inferiores eſt in magna porticu; in ea ſcalis cochlidibus ad cellas ſuperiores Prioris, & alia tabulata ad tectum uſque aliaque culmina porticus magnæ plana, plumboque ſtrata aſcenditur. Inferius habitaculum Prioris opus eſt inclytum, totum teſtudineatum; varias ſacræ ſcripturæ hiſtorias exhibens, quæ diverſis, iiſque artificioſis coronis & encarpis includuntur. Pavimentum nigro, alboque marmore diſtinctum eſt. Superior Prioris cella ad caurum ædificata eſt, à cujus utroque latere aliorum monachorum cellæ ſunt ædificatæ. Cubiculum in quo novitii dormiunt, monachorum cellis adhæret. Monachorum vero lectuli ſupra veſtiarium & refectorium longo ordine junguntur.

Bibliotheca in ſuperiore parte præcipui introitus monaſterii eſt, in longitudine 185 pedes, in latitudine habens triginta duos. Tota concamerata eſt, in cujus fornicibus diverſarum artium imagines, aliæque hiſtoriæ conſpiciuntur. Cui loco aliud imminet tablinum, uſui bibliothecæ deſtinatum. Atque hæc in monaſterio.

COLLEGIVM nunc, Regiſque PALATIVM deſcribamus, hæc duo ſeptemtrionalem templi partem occupant. *Collegium.* Veſtibulum, ſeu introitus eorum eſt in pergula, quæ templo præjacet, è regione magni propylæi cœnobii. Huic veſtibulo junctum eſt aliud, per quod adoleſcentes, qui litteris dant operam, in ædiculam tranſeunt, mane ad audiendum primum Sacrum, & veſperi ad laudes Deo decantandas. Locus hic tribus æneis clathris clauditur.

Ad aream magnam, collegium à monaſterio diſpeſcentem, ſcholarum atria ſunt, in quibus tres facultates, Ius, Medicina & Theologia traduntur: artes etiam docentur. Ad has ſcholas per publicum ambulacrum & porticum hi, qui in collegio ſunt, perveniunt. Habet locus hic ſuas peculiares quoque areas & pergulas, quarum uni adjacet refectorium collegii, cum ſuo veſtibulo, juxta veſtibulum eſt culina collegii inter aream ipſi propriam, areamque ſcholæ trivialis cui & ipſa ſchola puerorum præjacet, ejuſque refectorium.

In ſeptemtrionali plaga per anguſtam portam & propylæum aditus eſt ad Palatium Regis. In veſtibulo tria ſunt habitacula, cum ſuis areis, in uſum partim eorum, qui annonæ & cibariis præſunt ædificata: partim in uſum culinæ. Habitacula hæc conjuncta ſunt in variarum menſarum miniſteria. Per idem veſtibulum itur ad andronitidem, ubi nobiles cubiculi regii, præfectus prætorii auguſtalis, aliique generoſi & nobiles prandent, cœnantque. Hae etiam tranſitus eſt ad pergulas & loca ædificiorum eorum, qui commeatus & alimoniarum curam habent, aliorumque opificum. Pergulæ iſtæ in quadro ſua continent habitacula, tam inferiora quam ſuperiora. *Palatium.*

In eodem latere alia porta eſt, qua à palatio Regis ad ſacrarium, ſeu chorum inferiorem,


ORTOGRAPHIA I SECCION INTERIOR DEL TEMPLO DE S. LORENCIO EL REAL DEL ESCVRIAL CON SV RETABLO I ALTAR MAIOR I CLAVSTROS DEL CONVENTO I CASA REAL.



Scala mensoria hujus Fabricæ


100 200 300

Pitipie desta fabrica




Pes Castellanus in partes divisus

Pie Castellano dividido em partes



rem, ad templum, collegium & monaſterium commeatur: Secus portam hanc xyſtus eſt ubi proceres & excubiæ regiæ conveniunt: Orientem verſus hoſpitia Legatorum, ad magnam porticum & aream extenduntur; & ad palatium Regis procurrunt. Ad eandem aream habitacula ſtant in uſum aulæ regiæ. Per pergulam hinc porta magnifica pervenitur ad ipſam Regis habitationem, poſt ſacellum conſtructam; quo loco area eſt ſubdialis, cum ſua porticu. Ad auſtrum juxta altare ſummum alia porta eſt, per quam Rex monaſterium, omniaque loca inferiora ad illud ſpectantia ingreditur; in collegium quoque, & omnia Palatii regii ædificia. Porticus regia ſeptemtrionale templi latus reſpicit. Hic in pariete templi depictum eſt prælium ad Higuervelam, in quo Rex Ioannes Secundus Mauros, ſeu Saracenos Granatenſes devicit, quæ pictura rem geſtam plus quam ad vivum exprimit: oſtenditque quo ordine acierumque tam equitum, quam peditum, lanceariorum, ſcutiferorum, ſagittariorumque, quorum eo tempore uſus erat, conſtitutione. Pictura hæc ex prototypo in lineo panno, centum triginta pedum longitudine delineato, & in antiqua turri Segovienſi invento, ipſoque prælii tempore facto efformata eſt. Quam hiſtoriam Majeſtas regia in iſto pariete ad perpetuam iſtius victoriæ cælitus Hiſſpaniarum Regi conceſſæ memoriam depingi mandavit. Opus hoc ſpectatu digniſſimum eſt.

Poſtremo loco hortus amœniſſimus ad Orientem & Meridiem viſitur; latitudinem habens pedum centum, variis pulvinis & areolis diſtinctus, in quo omnia florum & herbarum creſcunt genera: variique fontes amœniſſime ſcaturiunt. Hortus hic multo eminentior eſt pomario, quod adjacet, altoque muro à pomario diſiungitur, & multis gradibus ex horto iſto aſcenditur ad pomarium, diverſis arboribus conſitum. *Hortus.*



PLANTA PRIMERA Y GENERAL DE TODO EL EDIFICIO DE S. LORENÇO EL REAL.

SECCION DEL SAGRARIO DEL ALTAR MAIOR DE SAN LORENCIO EL REAL DEL ESCVRIAL.



Escala menoria dosse sagrario.

Scala menoria hujus Sacrarii.

ORTOGRAPHIA DEL SAGRARIO DEL ALTAR MAIOR DE SAN LORENCIO EL REAL DEL ESCVRIAL.



Pie Castellano dividido em partes.

Pes Castellanus in partes divisus.

LEGIO REGNVM, ET ASTVRIARVM PRINCIPATVS.

ITVLO Caſtellæ tenentur ab Hiſpaniarum Rege Legio & Aſturiarum Principatus. Legio Septima Germanica, Nervæ, ut videtur, Imperatoris principatu ſtativa ſua habuit ea in Hiſpaniæ regione, quæ nunc Legio dicitur, vulgo *Leon*; habetque ad Ortum & Meridiem Caſtellam; ad Occidentem Galleciam & Portugalliam; ad Boream, Aſturias. Coluere hæc loca initio Vettones, quos Ptolemæus Οὐέττωνας vocat, à quibus *Emerita* Prudentia vocatur *Clara Vettoniæ Coloniæ*. Porro Vettones poſtquam primum in Romanorum veniſſent poteſtatem, prout refert Ælianus lib. VII variar. cap. V, conſpicati quoſdam centuriones, qui exercendi ſui cauſa deambulabant, confectoque uno ſpatio, redibant eadem quaſi linea, idque faciebant identidem; primum rem novam in admirationem traxerunt; poſtea re expenſa judicarunt eos inſanire, neque enim eſſe eorum qui ſaperent, eandem viam toties ire & redire; itaque ſe ipſis obtulere, qui eos in tabernacula deducerent, rati militis eſſe vel pugnare, vel iter facere, vel à labore quieſcere. Fluvii Regnum Legionenſe aquis ſuis beantes ſunt, Durius, Piſergua, Carrion, Tormes, Torto, Tera, Eſla, & Orbego. Octo à Salamanticâ leucis è montibus aquæ rivulus adeo fervens, ut manus vix calorem ferre poſſit, effluit, qui per venas ſulphuris tranſiens, admirabilem morbis curandis, præcipue ſcabiei, virtutem contrahit. Cæterum ager inter montes ſterilior, valles feraciſſimæ. Territorium circa Vierſo & Ledeſmam omnibus abundat rebus, Torenſe vina generoſiſſima utriuſque coloris profert.

igo nonis. *ermini.* *eteres puli.* *Fluvii.* *Soli qualit. es.*

Civit ates. *Legio.*

Oppida habet Legionem, Aſtorgam, Palentiam, Zamorram, Salamancam & Ciudad Rodrigo. Metropolis regni eſt Legio, quæ Ptolemæo dicitur Λεγίον ζ γερμανικὴ; Antonino *Legio Gemina*. Legionenſis *Hiſpaniæ*. urbs, inquit *Nonius*, hoc ævo nobiliſſima, & templo pulcherrimo conſpicua; auguſtum ſacrarium habet, in quo XXXVII Reges & unus Hiſpaniæ Imperator ſepulti ſunt. Sic enim de eo ſcribit Marinæus Siculus: *Etſi templum quod ætate noſtra civitas Hiſpalenſis ædificat, aliis omnibus magnitudine præſtat: etſi Toletanum cunctis aliis divitiis, ornamentis & ſpecularibus feneſtris eſt illuſtrius: etſi denique Compoſtellanum fortioribus ædificiis, & S. Iacobi miraculis & rebus aliis memorabilius eſt: Legionenſe tamen artificio mirabili, meo quidem judicio, omnibus eſt anteponendum: in cujus clauſtro ſacellum eſt, in quo jacent Reges ſeptem & triginta, & unus Hiſpaniæ Imperator.* Et vulgare proverbium, *Sevilla en grandeza, Toledo en riqueza, Compoſtela en fortaleza, eſta en Sotileza.* In hac Eccleſia Reges Caſtellæ & Aſtorgæ Marchiones ſunt Canonici, gaudentes ſeſſione in Choro, & ſi præſentes fuerint Canonicorum cæteris privilegiis. Vrbs nullius pene rei indiga eſt. Dignitate Epiſcopali ornata, & ſingulari privilegio, jam à Gothorum temporibus ſedi tantum Apoſtolicæ obnoxia eſt, nec Metropolitanum agnoſcit. Epiſcopi reditus ſunt 13000 ducati annui. Auctor eſt Iſidorus in hac urbe natos eſſe S. Marcellum Centurionem & Nonam uxorem ejus, qui duodecim filios Chriſti martyres habuerunt.

Aſtorga civitas parva, ſed munitiſſima naturæ beneficio. Agrum illius perlabitur fluvius Torto, optimas trutas nutriens. Epiſcopatus eſt, ex quo Prælatus 10000 ducatos annuos percipere dicitur. Caput Marchionatus quoque eſt, quem Henricus IV Rex Alvaro Pereſio Oſſorio Comiti *de Traſtamara & Villalobos* conceſſit. Aſtorgæ vicinus eſt Sanabriæ lacus, unam leucam longus, vix dimidiam latus, quem permeat fluvius Tera. Vndas volvit inſtar maris exigui, piſcoſus admodum. Comes Beneventanus in medio lacus magnificas ædes habet ſuper rupem conditas, quamvis lacus ipſe ad Monachos S. Mariæ de Caſtañeda pertineat.

Aſtorga. *Lacus Sanabriæ.*

Palentia civitas ad ripam fluminis Car- *Palentia.*

Notarum explicatio

† Archiepiscopatus
† Episcopatus
Academiæ

Veteres Urbium et Promontoriorum Appellationes majusculis designavimus hac forma. ASTVRICA etc. Recentes vero hac: Astorga

C de las penas de guzan

OCEANVS CANTABRICVS.

ASTVRIAS DE SANTILLANA. PARS.

ASTVRIAS DE OVIEDO.

BISSCAIÆ

GALLIÆ PARS.

LEGIONIS REGNVM et ASTVRIARVM PRINCIPATVS.

Milliaria Hispanica communia

rionis, antiqua & nobilis, Episcopatu illustris, qui Episcopo 24000 ducatos quotannis tribuit.

Zamora. Zamora urbs ad ripam fluminis Durii, pontem habet magnificum, & agrum supra modum fertilem. Vrbs egregie munita est, totusque tractus Zamorensis scatet divite vena lapidis Cyanei, vulgo *Turquesa*. Episcopatus sedes est, quæ Præsuli suo 20000 ducatos annuos contribuit. In ditione illius est *Sagiago*, regio multis exiguis pagis habitata à gente rustica & invenusta, tam in sermone, quam in corporis cultu atque vestitu.

Salamantica Academia toto orbe celebris Castellæ veteri nunc accensetur, fluvio Tormis appositа, qui se in Durium amnem exonerat, non solum læto agrorum proventu felix, sed & Episcopali dignitate ornata 24000 ducatos Præsuli reddens, & Equitum frequentia conspicua. *Marinæus* hic suo tempore septem millia studiosorum recensita scribit.

Ciudad Rodrigo à Ferdinando II, rege Legionis condita, eo loco, ubi quondam fuit Mirobriga, ut munimentum esset adversus Portugallos. Episcopum habet cujus reditus annui 10000 ducati; quatuor leucis à limitibus Portugalliæ dissita, ad ripas fluvii *Agueda* in campis omnium rerum ad victum humanum necessariarum abundantibus. *Medina de Rio secco*, montibus cincta, urbs admodum dives, pascua habet lætissima pecori alendo idonea, quæ quotannis 500000 Maravedisios largiri solent; aëre gaudet temperatissimo. Civitatis titulum & honorem anno 1638, à Philippo IV Rege consecuta, Ducatus quoque gaudet honore; quem Carolus V, Imperator in Ferdinandum Enriques Castiliæ Almirantem contulit, à cujus familia ad hunc usque diem possidetur. Sunt

Municipia. præterea hîc multa municipia, inter quæ maximi momenti, Villa Franca, Cacabelos, Ponferrada, Vierzi agri copiosissimi caput, Ponte della Reina, Orzanaga, Ledesma natura loci admodum munita, & annonæ copia dives. Sub se trecentos octuaginta habet vicos, qui circiter sedecim millia focorum continent: Betanzos, Mansilla, Beneventum campis editioribus situm oppidum, castro probe munito, & omni apparatu bellico instructo, nec non palatio, hortis, sylvis, deliciisque domini conspicuum est, olim Ducatus titulo à personis regio sanguine oriundis possideri solitum, post vero ab Henrico IV. Comitatus titulo in personam Iohannis Alphonsi Pimentel Equitis Lusitani, in remunerationem servitiorum collatum est, à cujus familia in hodiernum diem possidetur. Saldagna, *Simancas* ad confluentes Piserguam & Durium fluvios, duabus Valliadolito leucis in loco editiore situm municipium. Castrum habet in quo Philippus II anno 1566. Archivium regium constituit, in quo antiquæ Regni asservari solent scripturæ. *Dueñas* patria Isabellæ Regum Catholicorum filiæ, & Portugalliæ Reginæ, in colle ad Piserguam fluvium sese ostentat.

Mayorga quinque leucis Legione dissita, in planitie amœna posita conspicitur, est Comitatus caput, illustrem familiam Pimentel dominam agnoscens. *Villalpando* in planitie amœna, frumenti, vini, ferinæ carnis & pecoris fertili, ei Castiliæ Comestabilis titulo Domini præest, qui palatium sumtuosum, nec non armamentarium apparatu bellico instructum possident, *Valencia de Don Iuan*, Comitatus Ducum de Nagera, sic dictus, quod Iohannes Portugalliæ Regis Petri filius, ei titulo Ducis præfuerit.

Paredes de Nava, inter Carrion & Palenciam medio fere spatio, situs vicus in loco vini, frumenti, & pecoris admodum fertili, Comitatus honore à Iohanne II Castellæ Rege donatus, in gratiam Roderici Manriques, penultimi ordinis S. Iacobi Magistri. *Mansilla* tribus Legione leucis ad Ezlam fluvium sita est, trutas optimi saporis hinc Madritum, Medinam, Valliadolitum venales portant incolæ. *Castro Torafe* Ordinis militaris S. Iacobi peculium est. *Sahagun* ad ripas Seæ fluvii in fertili planitie sita est, arcem habet famosam, hîc Sanctus Facundus martyrium passus est. *Cea* non longe à Sahagun in rupibus asperis ad fluvium cognominem sita conspicitur. Marchionatus est ad familiam *de Sandoval* spectans. *Carrion* cognomento *de los Condes* ad fluvium Carrion sita, magnis gaudet tum privilegiis, tum exemptionibus à Regibus concessis, territorium habet tritici, vini, fructuum, leguminum, lini, piscium, ferinæ carnis, avium, & pecoris fertilissimum. *Grajal* tribus à præcedenti distat leucis, Comitatus titulum Philippus III, Ioanni de Vega concessit. *Saldaña* ad radices montis, vulgo *Peña de San Roman* dicti, in gratissima sita est valle, ad Duces de Infantado spectans. *Melgar de Ramental. Melgar de Yuso*, Comitatus titulo possidetur à primogenitis familiæ potentissimæ *Enriques*. *Torquemada* dominium familiæ *de Sandoval*, Ducum *de Lerma*. *Magaz*. *Fromista* Marchionatus, à Philippo II, Hieronymo *de Benavides* concessus. *Cabeçon* ad ripas Piserguæ, latusque montis, cujus summitatem arx occupat. *Ponferrada* aditus in Galliciam. *Peña Osende* Commendataria Ordinis S. Iacobi, arcem habet rupi altissimæ impositam. *Vreña* in loco editissimo sita septem à Medina del rio secco leucis, fortalitio munitissimo famosa, Comitatus titulo possidetur à Ducibus Ossunæ. *Tordesillas*, sex leucis Valliadolito distat, ad ripas Durii sita, Palatium hic est regium, in quo Ioanna Caroli V. Cæsaris mater supremum clau-

clauſit diem. *Toro* vino & fructibus abundans Ioannis II, Caſtellæ Regis patria, ad ripas Durii in fertiliſſimis campis ſita civitas.

Methymna cognomento Campus, etſi ſæpius incendium paſſa, ſoli tamen ubertate, nundinis & mercatorum commerciis ditiſſima, honorificis privilegiis à tributis & vectigalibus immunis. In qua neque Rex habet officium, nec Pontifex ſacerdotium, quæ res potius mali, quam boni cauſſa eſt: propterea quod in ſacerdotiis & magiſtratibus conferendis incolæ plerumque crudeliſſime digladiantur.

Alva cognomento de Tormes ad fluvium Tormes ſita in campis fertiliſſimis, palatio Ducum ſuorum ſumtuoſo conſpicua, Ducatus nobiliſſimi caput pertinens ad gentem *Alvares de Toledo.*

ASTVRIÆ.

Aſtures unde dicti.

QVA Pyrenæi jugum, haud procul ſecundo Oceano, ſub ſeptentrionem deducitur, habitant ASTVRES, Gallæciæ portio, ut autor eſt Paulus Oroſius lib. VI. cap. XXI, ita dicti ab Aſtura fluvio, qui regionem illam alluit, teſte Iſidoro, lib. IX, cap. II. Silius vero Italicus ab Aſtyre Memnonis auriga dictos credit, lib. III:

Venit & Auroræ lacrymis perfuſus in orbem
Diverſum, patrias fugeret cum devius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Aſtyr.

Diviſio ut olim.

Diviſi erant olim in *Tranſmontanos* & *Auguſtanos:* teſte Plinio lib. 3, cap. 3, in duodecim populos diſtincti. caput gentis erat *Aſturica*, urbs magnifica, quam Ptolemæus *Aſturicam Auguſtam* vocat. hodie vero Aſtorga dicta.

Vrbs.

Incolarum & Regionis Indoles.

Regio univerſa aſpera, montibus ſilviſque horrida, incolæ bellaces, & libertatis apprime tenaces, qua de cauſa non ſemel à Romanis defecere, & Auguſti Cæſaris præſentia neceſſaria viſa, ut arma ponerent. Vnde L. Florus ſub calcem operis, periculum illius belli his verbis exaggerat: *Aſtures per idem tempus, ingenti agmine, à montibus ſuis deſcenderant, nec timuere ſubtus, ut barbaris impares: & poſitis caſtris apud Aſturam flumen trifario diviſo agmine, tria ſimul Romanorum caſtra aggredi pararunt: fuiſſet & anceps & cruentum, & utinam mutua clade certamen, tum cum fortibus etiam ſubito, tum cum conſilio venientibus.* In plana ab Auguſto deducti, quo fera illa ingenia, non ſecus ac ſilveſtres plantæ mutatione ſoli, miteſcerent. Regio ipſa minii, chryſocollæ, & auri præcipue fœcunda. Plinius auctor eſt lib. 33, cap. 4, *Aſturiam, Luſitaniam, & Galleciam, ſingulis annis vicena millia pondo auri præſtare, ita ut plurimum Aſturia gignat.* Vnde & Silius lib. I.

Aurum &c.

Aſtur avarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix, effoſſo concolor auro.

Aſturcones equos laudatos etiam admodum gignit Aſturia, quibus non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, de quibus Silius lib. 3.

His parvus ſonipes, nec Marti notus, at idem
Aut inconcuſſo glomerat veſtigia dorſo,
Aut molli pacata celer trahit eſſeda collo.

Martialis vero epigr. lib. XIV:

Aſturum equum:
Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

Diviſio hodierna.

Hoc ævo diviſa eſt *Aſturia* in duas partes, in *Aſturiam de Oviedo*, & *de Santillana* dictas: nomen illis urbes hæ duæ præcipue dederunt, titulo Principatus hujus primogeniti Caſtellæ Regum inſigniuntur, ut in Gallia Delphini, in Anglia Walliæ Principes. Oviedo Aſturiæ metropolis ad fluvios Ove & Deva in planitie eminentiori ſita eſt; territorium vicinum montuoſum eſt, ſed pecoris, caſtanearum & ferinæ carnis abundans, à Concilio ibidem celebrato anno 877 Civitas Epiſcoporum dici meruit, Epiſcopali fulget cathedra, quæ Præſuli 12000 ducatos confert annuos. *Santillana* Aſturiæ Santillanæ metropolis quinque leucis Sant Andero diſtat, Marchionatus titulo clara ad Mendoças Duces de Infantado pertinet. *Laredo* Gothorum opus in loco edito rupibus undique cincto, portus Oceani Cantabrici eſt ſat celebratus, hinc piſces ſale conditos in varia Hiſpaniæ loca non ſine magno quæſtu deferunt incolæ. *Sant Ander* ad littus dicti maris, cum portu capaciſſimo ſitum oppidum. Mole mari objecta, arce ſat munita, & piſcatione celebrari ſolet: incolæ Noë Patriarcham conditorem jactant, tanta ejus fertur antiquitas. *Caſtro de Vrdiales* ad idem mare quatuor *Laredo* leucis diſjungitur, arcem habet munitam, & apparatu bellico inſtructam; herbas varii generis ſanitati conducentes legunt, & lignorum copiam cœdunt incolæ. *San Vincente de la barquera*, portus maris Caſtro munitiſſimo famoſus eſt. *Navia* portus ſat celeber in planitie ad Oceanum ſita, Noë Patriarcham agnoſcit conditorem, nomen à Chami uxore impoſitum. *Gyon* quondam Aſturiarum Metropolis ad littus Oceani in peninſula ſitum, Pelagii primi Imperii Hiſpanici reſtauratoris ſedes, cujus

Oviedo Civitas.

Santillana.

Vrbes & municipia.

Hiſpania.

ſucceſſores Regum de Gijon titulum aſſumſere, donec Alphonſus Caſtus titulum hunc in Regis Ovietenſis mutaret. Provincia *de Liebana* dicta novem in latitudine, quatuor in longitudine comprehendens leucas totius Hiſpaniæ regio aſperrima, cujus montes altiſſimi cælum ipſum verticibus ſuis inacceſſis amplecti videntur, dividitur in valles quinque hiſce nominibus diſtinctas, *Cillorigo*; *Valdeprado*; *Vahebaro*; *Cereceda*, & *Polanos*, frumenti, vini, fructuum, pecoris, ferarumque admodum fertiles: Caput totius Regionis *Potes*, municipium eſt ad ripas fluvii Devæ, novem à Santillana leucis ſita. Regionem vero ipſam Mauris totius Hiſpaniæ invaſoribus inexpugnabilem ſubjugare ſemper fuit impoſſibile, loci ipſius à natura muniti ſitu, & incolarum fortitudine reſiſtentibus; hinc Pelagius religionis Chriſtianæ & imperii Hiſpanici reſtaurator provenit. Iam ante aliquot ſæcula Comitatus titulo à Gironum anteceſſoribus poſſeſſa fuit; nunc vero Ducum de Infantado eſt in patrimonio.

Provincia de Liebana.

Metropolis Oviedo refugium quondam fuit Hiſpanorum & Gothorum, cum Arabes Hiſpaniam invaderent. Illud autem memoria digniſſimum eſt, quod à Legione urbe recuperatio Hiſpaniæ initium ſumſerit, circa annum Chriſti IↃ CCXVI, poſtquam totam fere Maurorum & Saracenorum gens occupaſſet. Pelagius enim ex regio Gothorum ſanguine, Faſilæ Cantabriæ Ducis filius, à Chriſtianorum, qui in montoſa loca Aſturiæ confugerant, reliquiis Rex ſalutatus, magna ſtrage Maurorum edita, vix regnum orſus, hoſti Legionem eripuit; ac ibidem ſedem ſui Principatus figens, novum Caſtellum, quaſi propugnaculum, adverſus barbarorum vim & incurſiones exſtruxit. unde Comites deinde Caſtellæ dicti. Rejectis autem & ſpretis Gothorum regum inſignibus, Leonem ſumſit rubrum in albo campo ſævientem, quo inſigni hodieque Legionenſes reges utuntur. Pelagio in regno ſucceſſit Faſila filius, huic improli Alphonſus Catholicus, Petri Cantabriæ Ducis filius, ex ſtirpe Ricaredi Catholici Gothorum Regis oriundus, qui uxorem duxerat Ormiſendam Faſilæ ſororem unicam & hæredem. In Alphonſi familia poſteriſque Legionis Principatus manſit uſque ad Veremundum, regem Legionis XXIV; quo anno CIↃ XX ſine ſucceſſore defuncto, Sanctia ſoror, Ferdinando Navarræo, Caſtellæ Regi nupta, Legionenſe regnum ad Caſtellanum tranſtulit. Huic cum tres eſſent filii, Sanctium quidem teſtamento Caſtellæ Regem; Alphonſum Legionis & Aſturum; Garciam denique Gallæciæ (quæ à conjugis majoribus acquiſita, Comitatus ad illud uſque tempus fuerat) & Portugalliæ nominavit. Sanctius, diviſionis paternæ impatiens, fratres, Alphonſum regno exuit; Garciam necavit. Cum jam ſexennium circiter regnaſſet Sanctius, & à Vellido fraude eſſet interemtus; Alphonſus, qui Toleti apud Maurorum Regem exul vixerat, non ſolum Legionis, quod ex patris voluntate obtinebat, recuperavit; ſed & Caſtellæ, Galæciæ, Portugalliæque regna eſt conſequutus. Hunc ſequutus. eſt Alphonſus VII, Hiſpaniæ Imperator vocari meritus.

Imperium majorum.

GALLÆCIA.

Origo nominis. Termini.

GALLÆCIA à Callaicis nomen habet. Ad Septentrionem & Occidentem, eſt Oceanus, ad Meridiem Portugallia, à qua Durio flumine ſejungitur: ad ortum ſunt Aſturia & Legio. Ab his devictis nomen Callaici emeruit D. Iunius Brutus Coſ. anno ab urbe condita DCXVII. Sed Gallaicos, ſive Gallæcos latius habitaviſſe, vel ex eo conſtat, quod Numantiam, quæ nunc Caſtellæ Veteri adcenſetur, Paulus Oroſius dicat fuiſſe in capite Gallæciæ. Sed & ortum verſus ſe extendebat uſque ad Pyrenæos. Nunc inter mare & Aviam concluditur & regna Portugalliæ & Legionis. Hæc loca inſedere præter *Callaicos* veteres, *Ampheilochi*, *Cilii*, *Celtici*, *Tamarici*, ad fluvium Tamarin; *Capori*, *Arotrebæ*, *Lucentes* & *Zeelæ*. Silius Italicus de Gallæcia & Callaicis, lib. III:

Veteres populi.

Fibrarum & pennæ, divinarumque ſagacem
Flammarum, miſit dives Gallæcia pubem:
Barbara nunc patriis ululantem carmina lin-
Nunc pedis alterno percuſſa verbere terra (guis,
Ad numerum reſonas gaudentem plaudere ce-
tras:
Hæc requies luduſque viris, ea ſacra voluptas:
Cetera femineus peragit labor: addere ſulco
Semina, & impreſſo tellurem vertere aratro,
Segne viris: quicquid duro ſine Marte gerendum eſt;
Callaici conjux obit irrequieta mariti.

Fluvius. Fluvius præcipuus, ac fere unicus eſt Minius, *Mino* vulgo, qui ab intimis Gallæciæ partibus, ortus totam fere ſecat, à Septentrione Auſtrum verſus pergens, & Oronſam aliaque loca prætervectus, in mare ſe Occidentale exonerat. Littus multis ſinubus laceratur, in quibus ſunt quadraginta octo portus, quorum maximi & capaciſſimi ſunt, Corunna & Ferrol.

Aër & Solum. Aër Gallæciæ temperatus ad oram maris, in mediterraneis frigidiuſculus: ſolum inæquale & magna ſui parte montoſum, ideoque rare habitatum: inter oppida Orenſe & Monterei planities ſpacioſa, cetera montes & anguſtæ valles occupant, in quibus plurimi fontes ſcaturiunt, & infiniti diſcurrunt rivuli, & circiter ſeptuaginta amniculi, inter quos primi, Sil, Migno, Vlla & Tambra. Hæc provincia nullius rei indiga, magnam copiam piſcium tam recentium, quam muria conditorum evehit. Salmonibus præcipue, congris, ejuſque generis piſcibus quos vulgo *Peſcadas* appellant, ſupra modum abundat: Novembri, Decembrique menſibus infinita piſcium, quos vulgus *Beſugos* nominat, vis capitur, duarum aut circiter librarum, hi recentes per totam Caſtellam venum exportantur; facit enim aſtringens frigus ut facile ſerventur, cæterum ſaporis ſunt gratiſſimi. Plinius locat in Gallæcia mineras auri ditiſſimas; Niger ſcribit in Artabris amnes terram auro, argento, ſtanno mixtam ferre, ſolumque auri, æris ac plumbi uberrimum eſſe, adeo ut auri glebæ ſæpe aratro exſcindantur: Montes magnam lignorum copiam navibus ædificandis ſuppeditant. Gallæci aut ob aëris humiditatem (nam Compoſtellæ fere novem anni menſibus pluit) aut quia omnibus rebus neceſſariis domi abundant, aut denique quia paucis ſunt contenti, non multum commerciis delectantur, aut artibus mechanicis.

Civitates. Septem habet oppida & quinquaginta ſeptem municipia muris cincta. Prima civitas hodie eſt Compoſtella, non fluxæ antiquitatis veſtigiis, aut rerum geſtarum titulis tumens, ſed reliquiis D. Iacobi tutelaris Hiſpaniæ ornata. Ob quam cauſam Hiſpani *Sant Iago* vocant. Veteres Brigantium vocavere. Archiepiſcopatu gaudet. Focos numerat bis mille.

Compoſtella.

Templum Compoſtellanum. Inter templa toto regno celeberrimum eſt Compoſtellanum. Condidit hoc Alphonſus Caſtus, & dicavit honori Apoſtoli Iacobi, eo in loco, ubi ejuſdem reliquiæ cura & ſtudio Epiſcopi Theodomiri repertæ fuerunt. Accidit hoc circa annum IↃ CCC XXXV, regnante Roderico. Poſtquam ædificatum eſſet, variis ajunt miraculis inclaruiſſe D. Iacobi nomen, ut qui ſæpius viſus ſit Hiſpanis contra Mauros pugnantibus opitulari, maxime Raimero regi. Hinc Hiſpani in præliis & acie inclamare ſolent nomen D. Iacobi, *Sant Iago*. Habent etiam ſub hujus nominis auſpiciis Hiſpani Ordines militares, in quos nemo recipitur, niſi claris parentibus prognatus. Alphonſus Tertius magnificentius hoc templum ædificari curavit, & quotquot ſecuti ſunt reges, illud donis muneribuſque exornarunt. Ad hanc quoque rem ſymbolum ſacrum contulerunt Pontifices Romani. Vrbanus II Epiſcopalem ſedem ex Iri Flavia huc traduxit, eamque à Metropolitano Bracarenſi exemit. Confirmavit Paſchalis, & inſuper hac Compoſtellanam Eccleſiam prærogativa donavit, ut Cardinales in ea XII crearentur, qui ex ejuſdem Eccleſiæ Canonicis eliguntur. Tandem Calixtus II Pontifex Eccleſiam Compoſtellanam ad Archiepiſcopalem digni-

GALLÆCIA, REGNVM,

descripta a F. Fer. Ojea Ord. Præd. et postmodum multis in locis emendata et aucta.

Hoc mysterium firmiter profitemur

C. Finisterre, ARTABRVM et CELTICVM prom. Plinio, NERIVM Ptolemeo.

Milliaria Hispanica communia.

CANTABRICVS OCEANVS.

OCEANVS OCCIDENTALIS.

Notarum explicatio
† Archiepiscopatus
† Episcopatus
Academiæ

GALLÆCIA

LVSITANIÆ PARS.

ASTVRIAS de Oviedo

LEGIONIS PARS.

C. de Ortegal
Ysla S. Cibrian
C de las pennas de guian
C. de Peior
C. de Bellem
C. Coriano
Sisarga ysla
Orosa ysla
Blydones
Minius fl. v. Minho R.
Ferrol
Coruña
Batanços
Mondoñedo
Rivadeo
Aviles
Lugo
Sant-iago di Compostella
Padron
Pontevedra
Bayona
Tuy
Comarca de Lemos.
Orensis
Riberas de Bivoy.
Bragança
Apud Guilj Blaeu.

tatem evexit, Emeritanamque ei attribuit metropolim. Archiepiſcopus ex ea 50000 ducatos annuos percipit. Solet Eccleſia hæc à peregrinis ex toto Chriſtiano orbe quam maxime frequentari.

Lugo. Lugo olim Lucus Auguſti, ad Minium amnem magnum fuiſſe oppidum, murorum ambitus oſtendit, fontes habet aquæ calidæ, imo bullientis. Epiſcopatus gaudet dignitate, & Præſuli ſingulis annis 8000 ducatos elargitur.

Tuy. Tuy Civitas ad Minium fluvium in agro hortis amœniſſimo, vini abundantiſſimo & cœlo temperatiſſimo ſita, omnibus referta commoditatibus ad vitam humanam requiſitis, Epiſcopum urbis dominum habet, cujus reditus annui ſunt 10000 ducati.

Orenſe. Orenſis Civitas ſita ad amnis Minii ripas, agro non amœno ſolum, ſed & felici, qui ſapidiſſimis undique fructibus egregie ornatur, præter generoſiſſimi & nobiliſſimi vini copiam. Templum habet cathedrale; ſed præcipue ad urbis decus commodumque faciunt, non uno loco erumpentes fontes calidi & ſalubres, quorum nonnulli ita ſunt moderati caloris, ut corpus innoxie illum queat perferre: alii vero tam intenſe fervent, ut tactus calorem aſpernetur, & ova in illis coqui poſſint. Epiſcopum habet, cujus reditus ſunt 10000 ducati.

Mondoñedo. Mondoñedo, cœlo ſalubri ſoloque perfœcundo gaudet. Epiſcopum habet urbis dominum, cujus reditus annui ſunt 4000 ducati.

Coruña. Coronæ, Hiſpanis Coruña, duplex oppidum eſt. Alterum ſuperius in declivi montis poſitum, arce & mœnibus firmatum, cui inferius, (Peſcariam vulgo vocant) ab ima parte mœnibus conjungitur, à ceteris partibus mari peninſulæ ſpecie alluitur. Portum habet maximæ claſſis capacem, arceſque duas S. Martini & S. Crucis. Non longe ab hoc oppido præſtantiſſimæ jaſpidis ſunt fodinæ. Marineus ad Durii ripam commemorat Taurum civitatem in alto planoque loco ſitam, & rubeo vino, frugibus & arborum fructibus abundantem. *Betanços* Civitas ſine Epiſcopo, in planitie ad ripas Mandei fluvii, non procul à mari ſita eſt, portum habet non incommodum.

Municipia. Municipia ſunt, *Padron* quatuor à Compoſtella diſtans leucis, Archiepiſcopo Compoſtellano paret. *Noya* ad fluvium Tamar ſita in plano fertiliſſimo, navium ſtructura nobilis. *Pontevedra* ad ſinum maris jacet, piſciculorum, quos *Sardines* vocant, captura famoſum oppidum, quos in remotas regiones avehunt mercatores, mille quingentos numerat focos. *Ribadavia* ad Minium ſita, Comitatus titulo gaudet, vino totius Hiſpaniæ optimo celebratiſſimum oppidum. *Vigo* ad ſinum Oceani in agro admodum fertili ſitum eſt. *Bajona* ad littus maris & ſinum Oceani jacet, non admodum longe à Minii oſtio, portum habet ſat commodum, & piſcatum, porro fructus & fontes quam plurimos; ei objacent *Yſlas de Bayona*, olim Inſulæ deorum. *Bivero* ad oram maris portu admodum capaci nobile, ad ſcopuloſum montem ſitum, ubi *Landrove* fluvius aquas ſuas in Oceanum exonerat. Ad confinia Aſturiæ ultimus Gallæciæ portus eſt, *Ribadeo* ad fluvii Eu cum mari conjunctionem, Comitatus eſt pertinens ad Duces *de Hijaz*, Marchiones *de Alcaquer*, Comites *de Salinas*.

Comarca de Lemos. Diſtrictus dictus *Comarca de Lemos*, in diœceſi Lucenſi ſitus eſt, planities fere totus, in ejus umbilico mons aſper ſeſe oſtentat, cui oppidum *Montforte* impoſitum viſitur, Caput Comitatus, & ſedes Comitum *de Lemos*, Palatio magnifico ſpectandum, è quo undequaque amœniſſimus oculis objicitur proſpectus, cingitur limpidiſſimis fluvii *Cabe* aquis. ager tritici, frumenti, vini optimi, caſtanearum, fructuum, ſerici, pecoris, & marmoris candidiſſimi feraciſſimus eſt: à Græcis oppidum eſt conditum, quorum & fortitudinem, & feſtivitatem ad diem hodiernum incolæ conſervant, quemadmodum feſtiviſſimum hocce Epitaphium inibi repertum demonſtrat: A QVI IAZ VASCO FERNANDES DE TEMEZ PEQVENO DE CORPO E GRANDE DE ESFORZO, BON DE ROGAR, E MAO DE FORZAR. Comitatus hic ſpectat ad Excellentiſſimum D. D. Franciſcum Ferdinandum *de Caſtro*. *Redondela* ad ſinum Oceani. *Monterrey*, caſtro alto monti impoſito clarum, ad confinia Portugalliæ ſitum eſt, ager ejus vinum optimum & famoſum magna producit copia, ut & linum & ſtannum optimæ notæ: Comitatus eſt celeberrimus ab Henrico IV rege, Sanchio *Sanchez d'Vlloa*, & Tereſiæ *de Zuniga & Viedma* conjugibus conceſſus. *Ferrol*, è celebratiſſimis & fidiſſimis Europæ portu clarum eſt, piſcatu gaudet non infructuoſo, & agro vinum aliquod proferente. *Aravio* ad confinia Portugalliæ, arcem habet munitiſſimam eidem regno oppoſitam. *Celanova* ad fluvium *Lima* ſita, caſtaneas, pecora feraſque habet. *Viana* ad terminos Legionis ſita Comitatus eſt familiæ *de Pimentel*, à Philippo II eo titulo ornatus in gratiam Petri de Pimentel, filii Ducis de *Benavente*. *Gondomar* haud procul à civitate Tuy, Comitatus eſt, quem Philippus III, Didaco *Sarmiento de Acuña* conceſſit.

Cetera municipia aut ad oram maris ſita ſunt, Muros, Cea, Finis terræ, Mongia, Pontedeaume, hortus Gallæciæ, S. Maria, aut ad ripas fluminum, ut Sarria.

Oppida vero Gallæciæ maritima hoc ordine jacent: Avila, à quo oppidulo ad Luarcam

cam ſex numerantur milliaria; à Luarca ad Ribadeo decem: à Ribadeo ad Vivero 9: à Vivero ad oppidum S. Marci unum: ab oppidulo S. Marci ad promontorium Ortegal ſex; pone quod Caſtellum viſitur: ab hoc promontorio ad Sedeiram quatuor; à Sedeira ad Ferrol ſex: à Ferrol ad Coronnam tria: à Coronna ad inſulam Cyſargam ſex: à Cyſarga ad Queres duo: à Cyſarga itidem ad promontorium Bellem novem aut decem; à promontorio Bellem ad promontorium Corianæ itidem duo: inter utrumque autem promontorium ſinus eſt, ad cujus dextrum latus oppidum Mongia ſitum eſt. Denique à promontorio Coronnæ ad promontorium Finis-terræ duo ſunt milliaria: à promontorio hoc ad Sechen ſive Corconiam unum: ab eodem ad Pontevedra ſeptem. Oppidum hoc longius abeſt à mari in interiori ſinu, cujus ori inſula objacet, à qua ad Bajonam quatuor ſunt milliaria. Intermedio autem ſpatio jacent Cannas & Vigo. A Bajona ad Caminam ſunt tria: à Camina denique ad Vianam quinque, ubi ora Galæciæ terminatur.

Origo regni. Gallæcia regni titulo donata eſt circa annum CIↃ LX. Eo enim Ferdinandus Sanctii Majoris regis Navarræ filius, rex Caſtellæ, quum uxorem duxiſſet Sanctiam Alphonſi V F. Veremundi III Legionis regis ſororem & hæredem: & ſic regna duo ſociaſſet, Caſtellanum & Legionenſe, tres habens filios, *Sanctium* quidem teſtamento Caſtellæ regem; *Alphonſum* Legionis & Aſturiarum; *Garciam* Gallæciæ & Portugalliæ nominavit. At Sanctius diviſionis paternæ impatiens, Alphonſum regno deturbavit, Garciam autem occidit. Cumque per ſexennium regnaſſet, & à Velledo per fraudem eſſet obtruncatus, Alphonſus, qui Toleti apud Maurorum regem exul vixerat, non ſolum Legionis, quod ex patris voluntate obtinebat, recuperavit; ſed & Caſtellæ, Gallæciæ, Portugalliæque regna eſt conſecutus. Alphonſo huic tres liberi fuere legitimi ex tribus uxoribus, Sanctia, Sanctius, & Alphonſus, quem hæredem regnorum ſuorum reliquit, quique ob Imperii amplitudinem Hiſpaniæ Imperator vocari meruit. Ex illo tempore, Gallæcia unum ſemper habuit cum Caſtella, & Legione Regem ac Principem.

BISCAIA, GVIPVSCOA, ET ALAVA.

REgio omnis quæ Biſcaiam, Guipuſcoam & Alavam provincias complectitur, conterminas habet ab Oriente Navarram, ab Occidente Aſturias Santillanas, & Caſtellam, quam & à Meridie habet conterminam, à Septentrione Mare Cantabricum.

Incolæ Veteres. Quam *Biſcaiam* hodie dicimus, habitarunt olim *Cantabri*; latius tamen, quam ipſa Biſcaia patet, occupatis etiam locis iis, ubi nunc *Guipuſcoa* & *Navarra*. Populi celeberrimi multorumque ſcriptis decantati. De moribus illorum nonnulla tradit Strabo. Hi vitam nullam ſine armis eſſe exiſtimabant. Eleganter Silius Italicus:

Cantaber ante omnes hiemiſque, æſtuſque, famiſque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.
Mirus amor Populo, quum pigra incanuit ætas,
Inbelles jamdudum annos prævertere ſaxo:
Nec vitam ſine Marte pati; quippe omnis in armis
Lucis cauſſa ſita, & damnatum vivere paci.

Omnibus Hiſpaniæ Populis ſubactis, & in Populi Romani poteſtatem adductis, ſoli cum Aſturibus aliiſque conregionalibus vinci non potuerunt; unde Horatius:

Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.

Vltra Montes enim, qui à Pyreneis perpetuo procurrunt ad Nerium uſque Promontorium, habitabant, neque, niſi cum maxima difficultate ſummoque periculo adiri poterant. Debellavit tandem ferociſſimam gentem, bello fere quinquennali fractam & defatigatam, C. Cæſar Octavianus Auguſtus; ipſe contra eos, reliquoſque Romanis nondum parentes profectus. Horatius:

Servit Hiſpanus vetus hoſtis oræ
Cantaber ſera domitus catena.
Hiſpania.

Et lib. IV, Ode XIV, Auguſtum ipſum adloquens:

Te Cantaber non ante domabilis,
Meduſque & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô Tutela præſens
Italiæ, Dominæque Romæ.

Subjugavit autem Cantabros Auguſtus Vipſanii Agrippæ, ceterorumque Legatorum quos ſecum duxerat, induſtria & fortitudine. Horatius lib. I. Epiſtol. ad Iccium:

Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

BISCAIA.

Termini. BIſcaia ad Orientem Guipuſcoæ, ad Meridiem Alavæ, ad Occidentem Aſturiis & Orientem Mari adjacet, undecim in longitudinem leucas, & totidem in latitudinem patens. Solum ſterile & ſilvis ingentibus obſitum, ferri minis undique ſcatet: ad Oceanum montibus obſita, arboribuſque, quæ navibus fabricandis idoneæ, referta. Novit hoc præter alias Provincias tota Hiſpania, cui integræ nonnunquam Claſſes hinc ſubvehuntur. Caſtanearum, Nucum, Pomorum, quæ *Aurea* cognominantur, Reſinæ, Metallorum omnis generis, præcipue Ferri, nigrique Plumbi, & aliarum rerum feraciſſima. Vino carenti potum ſubminiſtrant poma ſaporis optimi, preſſa. Margaritas marinæ non negant conchæ; ſed quæ ignobiliores. Temperatius hic clementiuſque eſt Cœlum, quam in reliqua Hiſpania. Magnis enim Montibus circumdata nec frigore nimio infeſtatur, nec calore nimio torretur. Animalium hic terreſtrium, marinorum, volatilium; Fructuum, omniumque, quæ vitæ hominum commodius agendæ neceſſaria, ingens copia. Magna itidem Hiſpanis hic (ſunt enim portus nobiliſſimi) cum Gallis, Belgis, Anglis, aliiſque Populis commercia.

Qualitas.

BISCAIA, ALAVA, et GVIPVSCOA CANTABRIÆ VETERIS PARTES.

OCEANVS CANTABRICVS.

GALLIÆ PARS.

CASTILIÆ VETERIS PARS.

NAVARRÆ PARS.

BISCAIA.

ALAVA.

GVIPVSCOA.

Milliaria Hispanica communia

1 2 3 4 5 6

Bilbao
Laredo
S. Andero
M. S. Antonio
Castro de ordiales
Plasencia
Bermeo
Durango
Salsedon
Guacos
Hanyosillo
Bunales
Ordunna
Lanesosa
Oquendo
Moravallos
Horozco
Hellorio
Carrigarco
Arenaca
Marin
Sitturia
Espinosa
Medina de Pamar
Maxsana
Vitoria
La Venta
Vente cibay
Galeo
Val de Viessa
Cascajares
Frias
Puente la Ra
S. Gadea
Miranda
Borganda
La Puebla
Haro
Irevino
Laguardia
S. Vincente
Briones
Lancago
La puebla
Villa franca
Birbiesca
Mehingo
Villa Veja
Navara
Torrisillo
Rodecilla
Enalda
Plasencia
Deva
Antigarbion
Yesar
Elariago
Cumas
Ayoiz
Sasiola
Mendaro
Mendare
Arrona
Oquino
Elcano
Alcola
Anarasaco del
Elcobar
Icarne
Lostoa
Ayoiz
Lucain
Orio
Vonalde
S. Marco
Pasage
Lezo
Renteria
Oyarzun
Yran
Hornos viejos
Cas de beau
Ronches Valles montes
Baiona
S. Ian de luz
Anna
S. Sebastian
Ysurgil
Losarte
Vronta
Alligorriga
Ernadi
Aya
Ycaos
Ycaos
Ysurrioz
Alquiza
Ermaldo
Ermaldo
Veitiano
Videnio
Lacarca
Cosheta
Oreta
Abaleisqueta
Arroma
Ychasonda
Ychasolorra
Ydiacabal
Segura
S. Adrian
Halcos
Logrono
IVLIOBRIGA
Navarrete
Alcanadre
Abelada
Calahorra
CALAGVRRIS
Lerin
Muanda
Carcar
Caparso
Punta la Reina
Torre
Ebro
Ega
Arga
Aragon
Ebro

Lana præcipue facit, ut omnia Fora Locaque ab emtore venditoreque ferveant. Virginibus Biſcainis mos, quamdiu innuptæ ſunt, nec capillos alere, nec velari. *Incolæ.* Incolæ bellicoſi, in iras prompti, pennâ agiles, & ad officia Aulæ aptiſſimi, quamobrem eos fere graviſſimis muniis ſemper admotos videre eſt: in arte navigandi plus quam cæteræ Hiſpaniæ nationes periti, quam artem jam ducentis ante Chriſtum D. N. natum annis exercuerunt, cum mare navigiis unica arbore excavata conſtantibus, iiſque corio tectis, mare ſulcantes Hiberniam occuparent. unicam complectitur *Ordonia civitas.* Orduniam, vulgo *Orduña*, Civitatis honore gaudentem, in valle amœna montibus aſperrimis cincta ſitam: inter oppida primum ſibi *Bilbao.* locum vindicat *Bilbao*, non ſolum ob ſitus opportunitatem, ſed & ob uberem annonæ copiam, & mercatorum inſignem concurſum. Sita eſt loco plano, duobus à mari milliaribus, loco egregie portuoſo, ad *Ibaichaval* fluvium latum, olim Nervium dictum. Aëre utitur temperato & ſalubri. Quâ continentem ſpectat, magnos montes objectos habet. Lanæ hîc commercium ſummopere viget, ita ut quotannis circiter quinquaginta naves in varias partes hîc onerentur. Puellæ hic paſſim incedunt capite nudo & tonſo capillitio. Bilbao dictum putant quaſi *Belvao*, id eſt *Bellum vadum*, commutatione literarum Hiſpanis familiari. Condidit urbem Didacus Lopeus de Haro, Cantabrorum Princeps, anno à Chriſto nato CIↃ CCC aut circiter. Per hoc oppidum in reliquam Hiſpaniam importatur quicquid Anglia, Gallia, Belgica mittunt; per idem ipſum exportatur, quicquid cum iiſdem aliiſque regionibus communicat Hiſpania. Reperire hic eſt cives, qui ſoli quotannis ſuo ære tres quatuorve naves ædificari curant. Ab altera parte oppidulum *Portugalette.* habet in ora maritima, *Portugalette* vulgo dictum, à quo rivus quidam, non ſolum in hanc urbem, ſed in ipſas etiam domos influit. Sunt præterea in Biſcaia oppida ſequentia: *Garnica.* *Garnica* tribus à Biſcaia leucis in planitie ad radices montis & rivulum, qui pauco ab ea *Durango.* ſpatio ſeſe exonerat, ſita. *Durango* in valle inter montium juga, oppidum habitatoribus refertum, qui gladios cæteraque è ferro *Bermeo.* magna conficiunt copia. *Bermeo* ad littus Oceani Cantabrici, portu celebri decantatum, malis medicis abundat. *Hellorio* in amœniſſima valle malis, arboribuſque navium conficien darum materie conſita, incolæ varia è ferroartificioſe conficiunt, præſertim haſtas.

GVIPVSCOA.

Termini. GVipuſcoa ad Ortum Vidoſone amne clauditur cum Pyrenæis: ad Meridiem Navarræ regno: ad Occaſum eſt Biſcaia & Alavæ pars: ad Arctum Oceanus Cantabricus. Incolæ apud Ptolemæum *Varduli* no- *Regionis Indoles.* minantur. Regio eſt montoſa, ubique ferri & chalybis ferax, adeo ut nullibi terrarum major ſit ferri abundantia aut præſtantia. Vnde hinc omne genus ferramentorum utenſilium in vicinas regiones magno incolarum emolumento exportatur. Bellica quoque inſtrumenta, ut ſunt bombardæ, arcubaliſtæ, ſclopeti, loricæ, enſes, aliaque, tanta hic copia parantur, ut non tantum ab omnibus expetantur, ſed & omnibus ubertim ſuppeditentur. Gens quoque ipſa bellicoſiſſima. Martis officinam, regionem, & incolas ejus, operarios vere dixeris. Qui maritima tenent, navigationi ut plurimum operam dantes, ex piſcium, quos *Baccalaos* vocant, captura, & balenarum quæſtum faciunt. Harum adipem in ahenis decoctam, liquefactamque, & cadis impoſitam longe lateque diſtrahunt. Liquorem Belgæ noſtrates *Traan* vocant. Sal quoque hic coquitur, in loco, quem Salinas appellant. illud cum avena aut lini ſemine miſcent.

Cum autem hæc regio linguâ omnino differat à ceteris Hiſpanis, uſu venit, ut quam plurima loca duo vel plura nomina ſecundum linguarum differentiam ſortiantur, quorum quædam enumerabo. Sunt autem hæ civitatum ſynonymæ voces: *Salinas*, *Gaça*, utrumque idem ſonat quod ſal Latinis. *Mondragon, Arraſat: Monreal, Dena: Aſpeitia, Vrazueitia* & *Salvatierra de Yraurgui: Olite, Arriveri: Renteria, Viella nueva de Oiarcum: Penna Oradada, Puerto de S. Adrian: Elicaur, Licaur: Marquina, Elgoyvar: Azcoytia, Vrazgoitia*, & *Miranda de Yraurgui: Araxa, Arayça.* Aralar mons dicitur quoque Ararva, & Vidoſo fluvius etiam Vidorſo, Alduida, & Beoyvia. Hic fluvius medius eſt inter Galliam & Hiſpaniam.

A tribus fluminibus ſecatur præter ſex & *Flumina.* viginti minores amnes, qui partim in hæc influunt, partim per ſe deſcendunt in mare, quorum ripæ, præſertim dextræ, habitationibus frequentes. Ad fluvium Vidoſonem ipſoſque Pyræneos, quos vulgo *Sierras de Iaſquivel* vocant, & confinia Galliæ Hiſpaniæque eſt *Fuente-Rabia*, ſola inter Guipuſcoæ urbes *Fuente-rabia Civitas.* Civitatis gaudens titulo, quem poſt egregiam incolarum ſuorum contra Gallos fruſtra obſidentes & oppugnantes defenſionem anno 1638 à Philippo IV, Rege in præmium fidelita-

litatis & conſtantiæ conſecuta eſt. Colli in formam peninſulæ impoſita eſt, munitiſſima, & omni apparatu bellico contra hoſtiles impetus probe inſtructa. Sancti Sebaſtiani fanum, vulgo *San Sebaſtian*, municipium grande eſt, commerciis dives, portum habet capaciſſimum, & munitiſſimum, quippe cujus os anguſtum, & duabus arcibus utrinque munitum eſt. *Mondragon* ad fluvium Deva colli impoſitum, fontibus compluribus iiſque ſalutiferis irriguum eſt, pomis, è quibus potum conficiunt, abundat territorium vicinum, officinis ferri & armorum celebre. *Guetaria* ad littus Maris Cantabrici in monte poſita eſt, arcem habet fortiſſimam, & tormentis aliiſque rebus ad defenſionem idoneis inſtructam, à Philippo IV anno 1635, novis munitionibus auctam. Cæterum hic portus eſt celeberrimus, & patria Iohannis Sebaſtiani del Cano, qui primus totum circumnavigavit orbem tempore trium annorum, unde Carolus V. Cæſar ei inſignia conceſſit, quibus Mundus videtur impoſitus, hiſce litteris cinctus *Tu Primero me rodeaſte*. *Motrico* ultimus Guipuſcoæ Biſcajam verſus eſt portus. Quatuor à S. Sebaſtiani fano leucis, in amœna valle, quam duo oppoſiti montes conficiunt, jacet *Toloſa* ad Araxis & Oriæ confluentes, totius Provinciæ eſt Archivium & Conventus ſedes. *Villa Franca* ad fluvium Araxem. *Segura* non longe à Portu D. Adriani. tribus à Mondragone leucis eſt Plaſencia, in valle *de Marquina* dicta, ad aquas fluvii Deva ſitu admodum amæno & delectabili, hic omnis generis inſtrumenta bellica fabricantur. *Salinas* ad montes, qui Guipiſcoam ab Alava dividunt, & in quibus Deva oritur, ſitum eſt municipium, locus ob ſal quod ibi coquitur non minimi nominis. *Aſcoytia*, *Alegria*, *Deva* ad mare Cantabricum, ubi Deva fluvius tributum mari reddit, balenarum piſcatione nobilis. *Zumaja* ad dictum mare & fluvii *Violæ* oſtium ſitum. *Vergara* ad fluvium Deva armorum & Martis officina. *Aſpeytia* ad fluvium *Viola* in valle amœniſſima tritici, miliique feraci ſita, mulieres hic forma præſtantes audiunt; in ejus juriſdictione viſuntur domus nobiles Loyola & Onis Patris D. Ignatii Primi Societatis Ieſu fundatoris dominia. *Heybar*. bombardarum factura commendatur huic vicinum *Helgoybar*. *Renteria* famoſum non longe à Paſſagio municipium. *Vſurbil*, *Villa Real*, *Ceſtona*, *Orio* ad Oceanum.

Mons D. Adriani. In Guipiſcoa memorabilis eſt mons D. Adriani in quo antrum eſt, ſive via, qua in Galliam tenditur, per quam viatores ultro citroque commeant, haud aliter, uti per Pauſilypum in Italia, prope Neapolim. Hic enim in Guipuſcoa via lapidea, per antrum hujus montis recta ducit, incipiendo à pago *Galerotta*, qui quinque millibus paſſ. ab oppido Victoria diſtat, ubi ob aſperrimam itineris difficultatem, incommodus equorum uſus, qui proinde manu ducendi ſunt; & quia ſumma montium juga abrupta & impervia, glacies, niveſque perennes nulla profectione ſuperari poſſunt. Nam glacie & perpetuis nivibus candent, imo horrent ſemper. Infra ſaltus ac ſcopuli valde difficiles, ut neceſſitas ipſa, & induſtria artem modumque invenerit, quo montem pervium faceret, & cryptam effoderet, mediocriter quidem latam, longam vero in quantum ſagittæ jactus ſe extendere queat. In ingreſſu à latere Hiſpanico ſubobſcura eſt, aliquantulum deorſum ducens, & in medio ad latus ſiniſtrum vergit. ubi deinde ad exitum, veluti ſtella, gratum lucis beneficium affulgere incipit, & qua parte Galliam reſpicit, muro & porta clauditur. Hujus cryptæ tanta eſt commoditas, & compendium, ut non immerito alterum παυσίλυπον, quaſi moleſtiarum & laboris ademtorem hunc montem appellandum exiſtimem. Exuperata hac crypta lætum ſe offert hoſpitium, in quo peregrinis jucundæ & gratæ refectiones præbentur. Iuxta eſt ſacellum D. Adriano ſacrum, unde monti & cryptæ nomen. Inde mons in clivum ſe paulatim ſubducere incipit, unius milliaris itinere, & via, Appianæ ſimilis, lapidibus ſtrata, Romanorum opus creditur. Hac tranſeuntes ut plurimum nomina ſua ſcopulis & cautibus, quæ hic, veluti Marpeſiæ ac magnæ, non deſunt, ferro inſculpere ſolent, unde infinita nomina, inſignia, & annorum numeri ibi conſpiciuntur, ab iis notati, qui per ſalebroſas iſtas Pyrenæi cautes iter fecere.

Incolæ. Incolæ iiſdem cum Biſcainis ſunt moribus, eademque utuntur lingua. Natura ſunt ingenioſi, civiles, exculti ſatis, ad alliciendum faciles, honoris cupidi, ſuorum privilegiorum defenſores acerrimi, agiles, animoſi, ad tractanda omnis generis arma dexterrimi, & ad militiam proclives. Mulieres validæ ſunt, robuſtæ, viragines veræ, corpore bene habito, nec ineleganti forma. Guipuſcoa olim Navarrici fuit juris, ſed ſub finem ſæculi 14 Legati ejus provinciæ, ſeſe Caſtellæ Regi Alphonſo IX, ſubmiſerunt, querentes ſe vectigalibus obrui, & poſt centum annos inſtituta ſunt Comitia (*Ermandadas* vocant) quorum autoritate hæc provincia regitur.

ALAVA.

Termini. ALava ad Orientem conterminam habet Guipuſcoam, ad Occidentem Caſtellam veterem, ad Meridiem Navarram, ad Septentrionem Biſcaiam. Viginti octo leucas in longitudinem patet, in latitu-

titudinem octodecim, frumento & fructibus abundans, præsertim vino; à Mauris
Regimen. possessa regni titulum meruit, sed Sancius Navarræ Rex iis expulsis eam occupavit, in eaque Victoriam urbem excitavit, & communiit contra Castellæ Regem. Verum Victoria expugnata per Alphonsum magna ex parte Castellano cessit. Et cum sibi indigenæ dominum eligerent in Campo Arriaga prope Victoriam, ejus pertæsi rogavere Alphonsum XII, ut Castellæ jungerentur regno, quod cum multis privilegiis & immunitatibus impetravere anno 1332. Metropolis hujus provinciæ est *Victoria*, Civitatis honorem à Iohanne II anno 1431 consecuta, *Civitas & oppida.* civitas non admodum magna, sed elegans & venusta, plena equestribus Nobilium familiis, opificibus & mercatoribus, cum hic ferri, lanæ, vinique commercia vigeant. præterea sunt municipia *Murga* ad Gordeam Montem. *Treviño*, duabus à Victoria leucis colli impositum ad fluvium Ayuda, arce munita satis instructum, Comitatus celebris caput est, à Ducibus de Nagera possessi. *Peña Cerrada* inter montes altissimos, arce munitissimâ defensa, Trevinio vicina est.

ANDALVSIA,

continens

SEVILLIAM,

CORDVBAM & IAEN.

Nomen. *Regna.* *Termini.* *Fretum Gaditanum.* *Sevilla.*

Hiſpania Bætica hodie tres regiones complectitur, Andaluziam, Granatam, & Extremaduram. Andaluzia, quam quidam Vandaliam, Vandalorum domum, *Wendenhuys* vocant, tria complectitur regna, Sevilliæ, Cordubæ & Iaen; civitates viginti & unam; Archiepiſcopatum unum & Epiſcopatus tres: montibus Granatenſibus & Marianorum jugis clauditur, freto Gaditano ad Meridiem, Extremadura ad Septentriones, ad Occidentem Algarbia Regno. Ad portum veluti maris Mediterranei jacet, beneficio freti Gaditani, quod in latitudinem (teſte *Botero*) 14 milliaria Italica patet, in longitudinem viginti quinque. A parte Hiſpaniæ tribus cornubus prominet, ſuper quæ condita ſunt Gibraltar, Tariffa, Barbatæ: ab Africæ parte totidem, ubi ſunt Septa, Alcazzar, & Tanger.

Conventus Hiſpalenſis.

Præcipua Andaluziæ pars eſt *Conventus Hiſpalenſis*, qui omnium regionum & conventuum Hiſpaniæ, tum populorum frequentia & humanitate, tum divitiis, & beata rerum omnium copia feliciſſimus jure cenſetur. Longe lateque patet hoc territorium in ducenta ferme oppida, vicis quam plurimis non annumeratis, ut unus hic Conventus pluribus oppidis juridicus nunc ſit, quam omnes quatuor ſimul in ea provincia fuere, quas auctore Plinio 175 tantum jura dediſſe conſtat. Nam quota pars hæc fuerit, ſi centum pagorum millia accenſeantur, quæ à Divo Ferdinando rege, in Hiſpalenſi agro, quem Axarafium Arabes vocarunt, cum ipſa urbe in fidem recepta ſunt? Sed ea expulſis Barbaris magna ex parte deſolata ſunt: limites autem ut ab antiqua conventuum deſcriptione multum receſſere, ita ad Vambæ regis formulam cunctis Hiſpaniæ Eccleſiis præſcriptam propius accedunt. Habet enim hæc diœceſis ab Ortu Cordubenſe territorium, ab

Fines.

Occaſu Algarbiorum fines: quæ pars Septentrionem ſpectat, eam Luſitaniæ ditionem attingit, quæ Magiſtratus S. Iacobi vocatur. Cetera vero Meridiem verſus Gaditano Conventu & Oceano clauduntur. Metropolis eſt Hiſpalis, hodie *Sevilla*, quæ ita Bæticæ univerſas urbes nobilitate opibuſque longe antecedit, ut cæteras Hiſpaniæ provincias Bætica. Colonia fuit Romanorum, cognomine *Romulenſis*. De origine ejus ambigunt ſcriptores, quidam ad Hiſpalum Herculis Lybici filium, ex Beroſi mente, referunt. incolæ Herculem conditorem venerantur, quod hi verſus antiqui Portæ qua Xeres tenditur inſcripti ſignificant:

Hercules me edificò,
Iulio Ceſar me cercò
De muros, y torres altas,
Y el Rey Sancto me ganò
Con Garci Peres de Vargas.

Iſidorus verò lib. 15 Orig. Iulium Cæſarem refert Hiſpalim condidiſſe, eamque ex ſuo & urbis Romæ nomine, *Iuliam Romuleam* nuncupaſſe. Philoſtratus in vita Apollonii Tyanæi, lib. 5, cap. 1, *Iſpulam*; Silius verò Italicus *Hiſpal* vocat, unde ait: *Et celebre Oceano, atque alternis æſtibus Hiſpal.* Vocatam autem *Hiſpalim* vult Iſidorus à ſitu, eo quod in ſolo paluſtri, ſuffixis profundo palis locata, ne lubrico & inſtabili fundamento caderet. Arias Montanus, apud Ortelium, ait *Hiſpalim*, Phœnicum nomen eſſe, à *Spila* vel *Spala* deflexum, quod planiciem ſive virentem regionem ſignificat, quam ſuburbanus ejus ager egregie refert. Mauri eam Sevillam nominarunt, quod eorum lingua domum opulentam, ſeu divitiis abundantem ſignificat. Vrbs certe eſt amœniſſima, & in primis, non Hiſpaniæ modo, ſed & Europæ, nobilis & opulenta, ad Bætim amnem poſita, murorum ambitu, ædificiorum ſtructura & cultu conſpicua, adeo ut vulgari proverbio dici ſoleat: *Quien no ha viſto Sevilla, no ha viſta maravilla.* Suburbium habet amœnum & amplum, cui *Triana* nomen, ponte ſublicio urbi conjunctum. Ager vici-

PORTVGAL

LIÆ

PARS.

CASTILIÆ NOVÆ PARS.

ESTREMADVRA.

ANDALVZIA

EL CONDADO

DO.

Algarvæ pars.

OCEANVS

OCCIDENTALIS.

MARE GADITANVM

MARE IBERICVM

MARIS MEDITERRANEI

GRANADÆ PARS.

PARS.

ANDALVZIA
continens
SEVILLAM
et
CORDVBAM.

FRETVM HERCVLEVM, Sive
GADITANVM, nunc Estrecho de Gibraltar.

Notarum explicatio.
‡ Archiepiscopatus
† Episcopatus
❋ Academias

Milliaria Hispanica communia.

Badajoz
PAX AVGVSTA

Merida
EMERITA

Sevilla ol HISPALIS

Cadis olim GADES

Ronda ol ARVNDA

Tanger Barbariæ pars.

Ciudad real

Jaen

Granada

Malaga

Berja

nus planus & lætiſſimus, ſummumque hic Liberi & Cereris certamen, ſed præcipuus olei proventus. Huc ex univerſi orbis plagis, maxime vero ex India Occidentali incredibiles opes advehuntur. Vnde adeo opibus pollet, ut regi ſuo cogantur annuatim duos milliones aureorum obſequii & vectigalium ergo pendere, quantum vix integra alibi regna. Templum habet celeberrimum, & mole ſua maximum, turremque egregiæ altitudinis illi adnexam: D. Virgini id ſacrum, in cujus impenſas annuas, triginta millia aureorum deſtinata ferunt. Mirum eſt quod Plinius refert lib. II, cap. XCVII, *Hiſpali* puteum fuiſſe, qui creſcente maris æſtu minueretur, augeretur vero decedente, ceteris natura vulgaris. Portum ipſi aperit fluvius Bætis, hodie *Guadalquivir*, ad cujus ſiniſtram ripam jacet. Æſtus marinus duas leucas ſupra urbem percipitur, magnamque copiam ſturionum & aloſarum ſuppeditat. Superioribus annis viginti quatuor millia civium familiam alentium cenſa ſunt. In Triana vero cives ter mille. Figura urbis ad rotundam accedit. Eſt in ea ampla & magnifica domus, quæ Gubernatores & Conſules habet duodecim, & à mercimoniis Indicis vocatur *La caſa de la contraction de las Indias.*

Hiſpalenſis Archiepiſcopus poſt Toletanum primas fert in Hiſpania. Habuit olim à ſuffragiis undecim Epiſcopos, ut ex Conciliorum ſubſcriptionibus conſtat: Cordubenſem, qui nunc à Toletana ſede jus ſacrum petit: Iliberitanum, Ilipenſem, Tuccitanum, Malacitanum, Ægabrienſem, ubi nunc Cabra; Oſſonobenſem, Aſindenſem, Abderitanum, Aſtigitanum, Italicenſem, ab Italica nobiliſſima Romanorum colonia, quæ Trajanum, Hadrianum, Theodoſium Imperatores dedit. Hodie Hiſpalenſis Antiſtes Suffraganeos Epiſcopos habet Gaditanum, Guaditenſem ſeu Accitanum, & Fortunatarum Inſularum ſive Canarienſem. Reditus ejus annui ſunt 120000 ducati. Canonicos habet Hiſpalenſis Eccleſia 40, & undecim ſacerdotia. Sunt præterea in ea Eccleſia Sacrifici viginti, quos à numero Vicenarios vocant, qui nocturnis diurniſque ſacris cantibus vacant, & ducenti alii Sacerdotes, qui privatis ſacellis miniſtrant. Beneficia adhæc per omnem Diœceſin opima ſexcenta fere, quorum multa ſingulis, & binis etiam aureorum millibus cenſentur: minorum vero ſacerdotiorum, quas Capellanias vocant, duo ferme millia numerantur. Sunt etiam in hac diœceſi innumera monachorum & ſacrarum virginum monaſteria, inter quæ excellit Carthuſianum illud, quod ad Bætim in ipſo Hiſpalis proſpectu magnificentiſſime exſtructum eſt.

Viri clari. Et licet urbs hæc Mercurio magis, quam Phœbo ſemper dedita, & commerciis quam literis notior fuerit, ſumma tamen ingeniorum faſtigia edidit. Quem enim *D. Iſidoro* præferas? vitæ enim ſanctitate, literis tum ſacris, tum profanis, paucis æqualis, inferior nemine. Satis eum ſuperque doctum illud Originum opus poſteris commendat. Noſtra etiam memoria eloquenti Philoſophia, & Philoſophica eloquentia inſignem virum *Sebaſtianum Foxium, Morzillum,* & *Benedictum Ariam Montanum* Theologum, Poëtam, linguarum peritia, Hebraicæ præſertim, nemini ſecundum protulit.

Prope ipſam urbem eſt domus ampla, vulgo *el Mavadero* dicta, beſtiis mactandis ibi, ne urbs fœtore & immunditie infectetur, deſtinata. Leucæ ſpatio verſus Occidentem monſtrant incolæ locum ruinis obſitum, quem *Sevilla la Vieja* vocant, ubi ruinas Theatri antiqui conſpicere licet. hinc eſt quod eum Italicam Ptolemæi & Antonini, Imperatorum Trajani, Hadriani & Theodoſii patriam exiſtiment aliqui. Territorium Hiſpalenſe dividitur in Axarafium planum, & loca montoſa. Axarafius ager & ejus circuitus eſt circiter viginti leucarum, à ſuburbio Triana Mare verſus ſe extendit, villis & locis delitiis deſtinatis refertus, cujus medium Olivares Comitatus obtinet. *Sevilla la Vieja.*

Secunda civitas eſt *Corduba*, quaſi *Cor Bætis*, ut alludere placuit Ioanni Gerundenſi. Sita eſt enim in ipſo ferme Bæticæ provinciæ meditullio, atque in his ejus populis, qui Turduli ab Ptolemæo, Plinio & Strabone nominantur. Ab Ortu ea regio ad Baſtulos ſeu Baſtetanos uſque protenditur: ab Occaſu Turdetanos contingens, Hiſpalenſi tractu terminatur. Habet ad Meridiem late patentes campos, qui ad Mediterraneum mare & Herculeum fretum expanduntur. Qua vero parte Septentrionem Corduba ſpectat, poſita eſt ad ipſas Marianorum montium radices, vulgo *Sierra Morena*. Ea verum horum montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut ſaltus Caſtulonenſis eſt portio, aut cum eo ad Ortum conjungitur. In his montibus, authore Plinio, Bæturia regio, à Bæti flumine nomen accipiens, in duas partes diviſa, ad Anam uſque fluvium excurrit. Ipſe Bætis, qui Cordubam alluit, Cirtius olim & Tarteſſus, ut apud Plinium, Livium & Strabonem eſt, dictus, tanta ſemper celebritate fuit, ut toti provinciæ nomen dederit; tanta porro eſt magnitudine, ut ingentia flumina exſorbens, ab Mauris inde nomen acceperit: *Guadalquivir* namque, quod huic fluvio nunc nomen ab iiſdem impoſitum, magnum flumen ipſorum lingua ſignificat. Ab Ortu vero ad Occaſum latus Cordubæ Auſtrale lambens, ita montes à planitie diſterminat, ut id ſibi ſtudio habuiſſe natura videatur; quo diverſiſſima ſoli diſcrimina ſejungeret, & eo tanquam *Corduba.* *Situs.* *Populi.* *Limites.* *Bæturia regio.* *Bætis fluvius.*

Soli fertilitas.

quam limite ſepararet. Hinc montana, quæ ipſa ſuburbia pene contingunt, celſis collibus elata, duris cautibus prærupta, hortis, vineis, olea & omnium generum arboribus ſunt conſita. Inde campeſtris regio trans flumen complanata, nuda, glareis & luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis eſt accommoda. Hujus vero tractus quæ ſit feracitas, inclyta civitatis horrea, tota Hiſpania celeberrima, oſtendunt. Alterius vero ſoli montibus prætenti quanta ſit amœnitas cum inſigni fertilitate conjuncta, vix quiſquam ſatis digne poſſit explicare. Ipſæ præciſæ rupes, ſcopuli ipſi, ubi planum quidpiam non ſoli (neque enim ſolum eſt illud, ſed lapidum ſtrues) verum quicquid id eſt plani, Loton ſuaviſſimam & ſiliquam ſponte naſcentes, ſativas vero oleam, vitem, ficum, ceraſum, mala Punica & Perſica, pruna, & quod magis mirandum ſit, citria mala omnis generis abunde producunt. Præſtant hoc ipſum magna ex parte fontes, copioſæ, puriſſimæ, ſuavis & ad potum ſalubris aquæ, quibus paſſim pene irrumpentibus, irrigua omnia circum circa fiunt. Hinc valles urbi propiores non niſi à pulchritudine, *Val hermoſo*; à paradiſiacis hortis, *Val parayſo*; à Regiis, *Arricafa*; à roſarum multitudine, *La ſenda del roſal*; aut à florum aſpectu, *Mira flores*, nomen invenere. Hinc vini & olei Cordubæ tanta eſt copia, atque exuberantia, fructuum omnis generis tanta ubertas, ut hoc unum aliam quantumvis celebrem civitatem magno opere poſſet nobilitare: Mala autem citria omnis generis tantopere in ea urbe exuberant, ut advenis & peregrinis hominibus frequenter ſint ſtupori, non cumuli ſolum, qui per plateas venales vili pretio cernuntur, ſed etiam qui novorum fructuum adventu, per agros & ſterquilinia projiciuntur: decuſſis non modico impendio ex arboribus malis, ne ſuperfœtantes flores impediant. Florum autem ipſorum in his arboribus tanta undiquaque intra urbem & per vicina urbana eſt copia, tanta verno tempore fragrantia; ut non jam, quod de iiſdem floribus Virgilius dixit;

Animas & olentia cives
Ora illis foveant, & ſenibus medicentur anhelis;

ſed ſuaviſſimo odore urbs tota, vicinique agri, perfundantur, & ad eam ſuaveolentiam captandam noctu homines pervigiles diſcurrant. Ne tamen diutius in Cordubæ amœnitate & ubertate celebranda ſit immorandum, unum ſatis ſit teſtis præſtantiſſimi teſtimonium: ipſe ſit Muça dux Arabum, Hiſpaniæ totius victor, quique eam omnem perluſtraverat, & undique percognitam habuerat. De eo Raſis Maurus in Arabum hiſtoria his ipſis verbis, Latine fideliter redditis ſcribit: *Abibus Aluydi filius, homo qui nullatenus in re ulla mentiretur, ita ſcripſit: Quum Muça Cordubam egreſſus, in Africam navigaturus, ſummis Hiſpaniæ proceribus deducentibus, iter occiperet, & in collem, unde urbis totius proſpectus patebat, veniſſet: mula, cui inſidebat, retro converſa, aliquantulum conſiſtens, urbem tacitus contemplabatur; & tandem in hæc verba cum gemitu prorupit: Eheu Corduba, quantum es inſignis! quæ & quantæ tuæ ſunt deliciæ! Quantum tibi bonorum Deus voluit conferre! Hæc loquutus, mœrens iter continuat.*

Metalla Cordubenſia ſunt etiam inter authores celebratiſſima. Auriferam enim vocat Silius Italicus:

Nec decus auriferæ ceſſavit Corduba terræ.

Æs Marianum Plinio maxime laudatum, hodieque prope urbem, effoditur: uti & argentum vivum & ſtibium. Pomœrium urbis ejus ampliſſimum eſt, ſed domicilia ob multitudinem hortorum rariora. Quadratæ eſt figuræ, oblongior tamen, quam latior. Suburbana illius ſpatioſa, ita ut aliud oppidum videantur, maxime id quod Orientem ſpectat. Ad Occidentem palatio regio ſuperbit, quod ſuis muris cinctum eſt. Habet & ſub ſe Lorenam, cum aliis 550 habitationibus. Maximam hæc urbs jacturam paſſa eſt anno 1589, à terræ motu, qui multa eaque magnifica ædificia proſtravit. Quam maxime celebrem eam faciunt natales Lucani, L. Annæi Senecæ, & Oſii illius, qui Conſtantini Magni tempore Concilio Niceno interfuit. De Seneca vide Statium in Genethliaco Lucani. Martialis, *Duoſque Senecas, unicumque Lucanum facunda loquitur Corduba.* Præterea Trogi Pompeii, Porcii Latronis, Avicennæ, Averrois, Rhaſis, Abençoaris & Ludovici Gongoræ celeberrimi Poëtæ, & Gonçali Ferdinandi Cordubenſis celebratur Patria. Silius eam auriferæ terræ decus appellat. Hic natos Poëtas peregrinum quid & pingue ſonare ſcripſit M. Cicero. In antiquis lapidibus cives dicuntur Patritienſes. Epiſcopum habet, cujus reditus ſunt 40000 ducati.

Civitas.

Tertia *Iaen*, civitas ampla, & opulenta, templis cœnobiiſque egregie ornata: abundat vino, oleo, tritico, ferina carne, melle, fructibuſque omnis generis. copioſum ibi ſericum: Nobilitas frequens & illuſtris. Vrbs ſita ſub alto colle, muris propugnaculiſque cincta eſt, fonteſque habet amœnos, olim regni cognominis Metropolis, quam Mauris eripuit Ferdinandus Tertius Caſtellæ Rex anno 1243, conſtituens Epiſcopum, cujus reditus ſunt 40000 ducati.

Iaen.

Xerez de la Frontera, urbs murorum ambitu conſpicua. ager eſt vinetis arviſque lætiſſimus: nulla ejus portio inculta aut otioſa,

Xerez de la Frontera.

ſed vel vitibus, aut frugiferis arboribus egregie conſitus, aut olea ſegeteque ornatus. Generoſiſſima fundit vina, quæ non ſolum Europæi noſtri, ſed & Indi expetunt. Moris eſt hac in urbe ditioribus, immenſæ altitudinis puteos defodere, quibus annonam multos in annos conſervant, quos lapidum mole tectos, ſine peculiari Senatorum conſenſu aperire eſt vetitum. Præſtantiſſimos Hiſpaniæ totius Equos & maxime pernices Ager hujus oppidi profert, Genettas vulgus nuncupat: eos Nobiles induſtria ſingulari docent, eorumque curſu in Hippodromis oblectantur, dum Equeſtres inſtituunt pugnas, in quibus Arundinibus & Cannis, haſtarum loco ſe mutuo exercent eum ad modum, quo Mauri haſtas torquere, & in hoſtes jacere ſolent. eos ludos *Iuegos de Cannas* patria lingua vocant.

Vbeda. *Vbeda* Civitas in fertiliſſimo ſita eſt loco, vini, frumenti, olei, fructuum, ficuum abundantiſſima, immunitatem teloniorum per Hiſpaniæ regna Toletano, Hiſpalenſi, & Murcienſi exceptis, à Sancio IV Caſtellæ Rege conſecuta eſt, quod muros ſuos propriis ſumtibus erexerat.

Baeza. *Baeza* in alto colle ſita leucæ ſpatio à fluvio Guadalquivir, & altera leuca Vbeda diſſidet, olim Epiſcopatus dignitate illuſtris, quæ anno 1249 ab Innocentio IV. P. M. in urbem Iaen tranſlata eſt.

Eciza. *Eciza*, ad ripam Xenil, ubi copia xyli & cannabis colligitur, olim *Aſtigi* & *Auguſta firma.* ſolum undique fœcundum & compaſcuum, ac pecori optimum: unde incolæ lanificio maximam operam impendunt.

Gibraltar. *Gibraltar* ad radices montis Calpe, qua Occidentem aſpicit, ſita eſt, qui mons fere totus mari ambitur, niſi qua anguſto calle continenti jungitur, cui in oppoſito littore Africæ objacet Abila. Celebrem hunc locum fecit illuſtris illa victoria navalis, quam de Hiſpanorum claſſe reportavit heros fortiſſimus Iacobus Heemskerck. Extra fretum ad Oceanum Atlanticum jacet inſula Cadix, ſeptingentis pedibus à continenti diſtans. In qua unum eſt oppidum, Romanorum temporibus florentiſſimum, nunc *Cadix* Hiſpanis, noſtratibus *Calis Malis* vulgo dictum.

Inter Gades & continentem eſt Portus Regalis, vulgo *Puerto Real.* Hinc exiguo promontorio ſuperato *S. Lucar de Barameda* civitas & Portus nobiliſſimus.

S. Lucar de Barameda.

Medina Sidonia. In monte eminente ſita eſt *Medina Sidonia*, nobiliſſimi ducatus ad Guſmanos pertinentis caput, olim Epiſcopatus ſede conſpicua, quæ ab Alphonſo Sapiente Rege Gades tranſlata eſt.

Ad oſtium Guadaletes ſive Bidalac flu-

vii civitas eſt, cui nomen Portus S. Mariæ, vulgo *Puerto de Santa Maria*, in pla- *Portus S. Mariæ.*
nitie amœna ſita, portu egregio nobilis. hinc ſal candidiſſimum Angli & Hollandi avehunt. Caput autem eſt Comitatus, cujus titulum Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici Ludovico de la Cerda primo Medinæ Cæli Duci largiti ſunt, in cujus familia nobiliſſima & hodie permanet. *An-* *Anduxar.*
duxar ad ripam Guadalquiviris ſita, Civitatis gaudet dignitate, quamvis Epiſcopum non habeat. *Carmona* in meditullio pro- *Carmona.*
vinciæ ſita eundem titulum promeruit, dono 40000 ducatorum ab incolis ejus in Philippum IV, collato. *Alcala la Real* civitas fertiliſſimo ſolo ſita abbatiam habet cujus reditus annui 15000 ducati. *Lucena* Civi- *Lucena.*
tas, vino, oleo, & frumento abundans, patria eſt B. Severi de Tobar primi Capucinorum in Regnis Caſtellæ fundatoris. *Arcos* *Arcos.*
cognomine *de la frontera*, olim Arcobriga, in alto præruptoque ad Guadaletem ſita eſt ſcopulo, eam Ducatus titulo poſſidet nobiliſſima familia *Ponce de Leon.* *S. Lucar la* *S. Lucar*
Mayor in Sevillæ fertiliſſima *Ajarafe* ſita ad *la mayor.*
Guadiamar fluvium, civitatis dignitatem Philippo IV. ab anno 1639 debet, ducatus nobiliſſimi eſt caput, cujus titulo dictus Rex Gaſparem Guſmanum Comitem d'Olivares honoravit. *Moguer* ad fluvium Tintum Ci- *Moguer.*
vitas à Philippo IV enuntiata eſt, anno 1642. Oritur vero *Tinto* vel *Azeche* fluvius in montibus marianis vulgo *Sierra morena*, aquis eſt amaris & arenas in lapides convertentibus, herbas arborumque radices abradentibus; piſces nullos, nihil vita præditum vehere, ſolummodo, bobus potas laborantibus conducere conſtanter ferunt.

Sequuntur oppida, & quidem primum *Oppida.*
ſe nobis offert *Tariffa*, ad Fretum Gaditanum ſita, Gibraltare quinque leucis diſſita, nomen à Maurorum duce Tarif conſequuta, Marchionatus eſt caput, ad Duces Medinæ Cœli ſpectans. *Niebla* ad ripas Tinti fluvii ſita, Comitatus eſt caput, cujus titulo primogeniti Ducum Medinæ Sidoniæ gaudent.

Antiquera in duas partes diviſa, quarum una in monte, altera in plano ſita. *Oſſuna* oppidum aqua caret: conterminus ager arborem nullam præter oleam fert: ceterum pecoris meſſiumque uberrimus, eſt Ducatus caput, ſedeſque Gironum familiæ, quæ relicto Vreniæ Comitum titulo, Ducum Oſſunæ anno 1562, largiente Philippo II, vindicare ſibi cœpit. Academiam hic Iohannes Telles de Giron erexit anno 1549, in qua omnes fere ſcientiæ docentur. Vrbs eſt quatuor aut quinque millium focorum.

Alcaudete in montibus ſitum eſt, forti

Ca-

Caſtello conſpicuum, eſt Comitatus Caput pertinens ad familiam *de Oropeſa*. *Palma*, oppidum inter fluvios *Guadalquivir* & *Genil* eſt Comitatus caput, ſpectans ad *Portocarreros*. *Martos* oppidum cum arce ſuper rupem, Equitum Calavradæ eſt peculium. in confiniis Regni Algarbiæ, ubi Guadiana in mare ſe præcipitat ſitum eſt. *Ayamonte*, cui bonitas & præſtantia vini famam dedit, Portum habet commodum Marchionatuſque, ad familiam *de Zuniga & Guſman* pertinentis eſt caput. *Lora* Equitum Melitenſium peculium eſt, ex cujus Baillivatu 12000 ducatos annuos percipiunt. Cætera municipia ſunt *Porcuna* Equitum Calatravæ propria. *Caçorla* inter duos montes, duabus leucis à fonte Bætis fluvii ſita. *Arjona* olim Ducatus. Offert vero ſe quinta ab Hiſpali leuca *Palatium* vel *Palantia*, quod vulgo *Palacios*, ſic dictum ab Arce perantiqua, quam lateri habet adhærentem. Via ſitum, quæ ad S. Lucæ Fanum Fretumque Gaditanum ducit, cum ex Agricultura victitat ſatiſque floret, tum ex frequentia Viatorum, qui hac Nebriſſam contendunt, viam depreſſiorem tenentes, quam Paludes & Æſtuaria Fluminis (*Mariſma* nominant Hiſpani) ad quinque milliaria late ſe extendunt, & hyemali tempore ex Bæti flumine itinera tam ſunt uliginoſa, tamque invia; ut hac commodus non pateat tranſitus, ſed altior ſit tenenda via Alcantaram & Cabreram verſus: vice autem verſa æſtate tam denſis obſita ſepultaque pulveribus, ut tranſitum fere denegent; ſed, quemadmodum in mari navigantibus, opus ſit Indice Magnetico, ne quis in maximo Solis ardore, via conſueta aberrans ſiti conficiatur. Mirum enim non eſt invenire hic ſubinde viatores Solis æſtu ſitique enecatos. Hinc iter hac facturi de vino ſibi provident, coriaceas lagenas equorum ephippiis adpendere ſoliti, *Boratejos* lingua patria vocantes. Nulla enim in tanto quinque magnorum milliarium ſpatio inveniuntur hoſpitia: quum totus ille tractus ob aquarum abundantiam Hieme, ob intolerabilem calorem Æſtate ſit inhabitabilis, & proinde incultus horriduſque, ne una quidem arbore occurrente, ſub cujus umbra refocillare ſe, vireſque debilitatas & amiſſas recuperare quis queat. *Alcantara*, Hiſpanis *Alcantarilla*, Pons eſt in Palentiæ quidem paludibus, ſed ad latus ſiniſtrum, Meridiem verſus à flumine Bæti aliquantulum diſſitus, & paullo editiore loco. Structuræ magnificentia opus eſſe Romanum oſtendit. Vtroque in latere majoris turris periſtylia, baſes & capita columnarum apparent, quæ hic ex viridi jaſpide poſitæ erant, nunc in templum Hiſpalenſe ad Altaris ornatum tranſlatæ. Hic Pons ad ſuperandam Paludis difficultatem conſtructus. Eſt altitudine, opere & artificio mirabilis. Altera ex parte Meſquita eſt, vetus Maurorum Delubrum, nunc pietati Chriſtianæ dicatum ſemperque clauſum: ex altera *Venta*, id eſt Hoſpitium; qualia per totam Hiſpaniam multa conſpiciuntur. Pontem tranſgreſſo ad primum lapidem offerunt ſe *Cabeça*; oppidulum in montium, qui in Meridiem Malagam verſus ſe extendunt, aditu ſitum. Vrbem quondam fuiſſe magnam, rudera loquuntur & mœniorum veſtigia. Quia vero *Cabeças* idem quod *Capita* ſonat, oppidani vulgare hoc jactare ſunt ſoliti, ſibique laudi ducere: *Non ſe haze nada nel Conſeio del Rey ſenſa Cabeças:* quod interpretantur, *Regis conſilium ſine Capitibus*, id eſt prudenti judicio, cui ſedes ſolet eſſe in cerebro, *numquam coire*. Cabecis verſus Libonotum ad tertiam leucam ſuccedit oppidum, quod vulgo *Lebrixa*. Situm fuit olim inter Bætis æſtuaria, hodie octo paſſuum millibus ab flumine, oblimato ſiniſteriore alveo diſtat. Conditor perhibetur Liber Pater. Silius ab Satyris cultum canit, propter ipſum nomen. Νεβεὶς enim cervina pellis, qua Bacchantes Sacerdotes induti Libero ſacrificabant. Silii verba lib. 111 ſunt hæc:

At Nebriſſa Dionyſeis conſcia Thyrſis,
Quam Satyri coluere leves, redimitaque Sacra
Nebride, & Hortano Manas nocturna Lyæo.

Oppidulum eſt peramœnum & pulcrum cum Arce perveteri, agro undique beatiſſimo cinctum. Quocumque egreſſus te vertas, verſus Meridiem præſertim Ortumque patentes te excipiunt campi, prata floribus læta, arva frugibus onuſta, vineta & maxime frequentia oliveta. Cive nobilitatum eſt Ælio Antonio, Hiſpaniæ totius ornamento; qui, ex Grammatico & Rhetore Hiſtoriographus factus Regius, rerum ab Ferdinando Hiſpaniarum Rege geſtarum decadas duas, magna cum laude, conſcripſit. Quæ *Carmona* vulgo, incolæ Plinio *Carmonenſes*, Cæſarique lib. 11 de bello Civili, qui longe fortiſſimam totius Provinciæ Civitatem ipſorum appellat. Nummum habet Surita, vetuſtiſſimæ notæ, qui in una parte Viri effigiem præfert; in averſa vero facie ſculptum gerit oppidi nomen, CARMO, inter duas ſpicas, fertiliſſimi agri ad idem oppidum ſymbola. *Marchena* hodie, *Colonia* quondam, inquit Onuphrius ex antiqua baſi, *Marcia*. Conditam putant quidam ab *M. Marcello*, vel *L. Marcio*, qui Cn. Scipione apud Vrſaonem mortuo, Romanorum ductavit

vit in Hiſpania copias. Situm eſt hoc oppidum in colliculo quodam, ubique planicies ſpectante. Suburbium eſt oppido majus, ad Solis occaſum, qua Hiſpalim (unde novem milliaribus dirimitur) eſt iter. In eo fons eſt è regione Xenodochii, magnam, quæque Civibus omnibus ſufficiat, aquarum copiam eructans. Notatu illud dignum cenſui, quod ager hujus oppidi, quamvis rerum omnium, præſertim olivarum feraciſſimus, omnino tamen fontibus, rivulis, aquæque ductibus careat; ita ut Agricolæ ſæpenumero aquarum laborent penuria, quæ meſſem facit rariorem. Eſt ibidem hoc ævo noſtro Ducum Arcobrigæ Sedes gentilitia; qui è Pontiorum nobiliſſimo ſtemmate orti, Marchionatum Gaditanum cum Hiſpaniarum Rege commutarunt; atque hoc ſuum municipium longo temporum intervallo ita exornarunt, ut cum vicinis oppidis de civium frequentia, ædificiorum pulcritudine, meſſiumque abundantia audeat concertare. *Gelves* Comitatus titulo clarum, pertinet ad Duces *de Veraguas*. *Vtrera*. *Alcalà de Guadaira* fontibus irriguum, hinc aqua ducitur Hiſpalim uſque. *Mora* ad familiam de *Oſſuna* ſpectans. *Zahara* ad fontem *Guadaletes*, in loco eminenti & inexpugnabili ſita, ad familiam *Ponce de Leon* titulo Comitatus ſpectat, eſtque primogeniti Ducum *de Arcos* titulus. *Teba* Comitatus Marchionum *de Ardales*. *Cañente la Real*. *Pruna*. *Conſtantina*, olim *Conſtantia Iulia* in montibus Marianis ſita. *Cazalla* vina producit laudatiſſima, quæque in Indiis primum obtinent locum, Ducum *de Oſſuna* eſt patrimonium. *Alanis*. *Pedroſo*. *Lepe* ad fluvium *Saltes* ſitum. *Gibraleon* ad ripas fluvii *Odiel*, Marchionatus eſt, ad Duces *de Bejar* pertinens. *Aracena* in montibus Marianis editiſſimo in loco ſita; hinc non procul eſt locus dictus vulgo *la Peña de Arias Montano*, ſic dictus quod ibi doctiſſimus ille vir habitaverit. *Cortegana*. *Cabra* Comitatus, primogenitorum Ducum *de Seſa* titulus. *Priego* Marchionatus. *Archidona* in confiniis Regni Granatenſis ſita. *Baëna* olim *Iulia Regia*, Ducatus titulo à Philippo II, in gratiam Goncali Ferdinandi Cordubenſis honorata. *Iznatoraſe*. *La Guardia* Marchionatum conſtituit Philippus II, in gratiam *Gonzali Mexia*. *Carillo*. *Lirvela*. *Manchuela* vel *la Mancha real*. *Eſpeja*, olim *Claritas Iulia*. *Chipiona* ad littus maris. *Monte-mayor*, Comitum *de Alcaudete* peculium. *Marmolejo*, olim *Vtica*. *Fuent-Ovejuna*. *Villa nueva del Arçobisbo*. *Villa Martin*. *Conil de la Torre de Guſman*, ſex leucis diſtat ab Gadium urbe, Ducum Medinæ Sidoniæ eſt patrimonium; thynnorum captura nobilis, quæ dicto Duci ſingulis annis 40000 ducatos confert. *Veger* oppidum exiguum, ſed ſitu operoque clarum, colli, quem latiſſima undique planities cingit, impoſitum, adeo ut in lætam laxamque planitiem, loca compaſcua verſus Orientem, verſus Meridiem in Africæ oram & Montes, verſus Septentrionem & Occidentem in Oceanum pateat proſpectus. Patria Pomponii Melæ vulgo creditur: incolæ piſcatu vitam ſuſtentant. *Cantillana* Comitatus à Philippo III, in gratiam Iohannis *Vicentelo de Leza* erectus. *Alcolea* equitum Melitenſium eſt peculium. *Guadalcanal* Equitum S. Iacobi eſt proprium; hic minæ argenti ſunt, quæ cum Americanis in Potoſi certare poſſent, ſi labor impenderetur. *Montoro*. *Fuentes*, Comitatus titulo à Philippo III in Gomeſium *de Fuentes & Guſman* collato clarum. *Peñaflor*. *Palos* ad oſtia Tinti ſitum cum modico portu, hinc Chriſtophoms Columbus cum ſuis Argonautis detecturus Indias occidentales, ante nobis incognitas, ſolvit. *Euchia* in Marchionatum evecta à Philippo II, qui ejus titulo Marcum Centurionem nobilem Ianuenſem honoravit. *Eſtepona* in loco edito ad littus maris ſita. *Villandorpando* Comitatus, quem Philippus II in Ferdinandum *de Torres & Portugal* contulit. *Aroche*. *Guillena*. *Villanueva del Rio*, Marchionatus Ducum Albæ. *Molares*, Comitatus Ducum Medinæ Cœli. *Salamea*. *Puerto Real* ad littus Oceani ſitum, à Ferdinando & Iſabella R. R. conditum, maximiſque privilegiis dotatum. *Mançanilla*. *Paterna*. *Eſcacena*.

Aër & ſolum.

Nulla Hiſpaniæ pars Andaluziâ fructibus ditior, frumento abundantior, gregibus & armentis copioſior, maxime equis; ita ut merito horreum, penuarium, & ſtabulum Hiſpaniæ dici poſſit. Olivetis unice dives eſt. Cumque omnium ferax ſit, tum vel præcipue inexhauſta & diviti metallorum vena ſcatet, quin & minio inter cetera felix. Auræ hic ita lenes, annique tempeſtates adeo mites, ut non fruſtra antiquitas hac potiſſimum Hiſpaniæ parte Elyſios campos eſſe crediderit, quamvis ſubinde calores plus quam modici incolas vexent, unde & vulgare hoc eſt enatum proverbium: *Quien fuere al Andaluzia, ande la noche, y duerma el dia.* id eſt, qui eſt in Andaluzia, noctu incedat, de die cubet. Incolæ corpore ſunt eleganti & bene compoſito, animo fero & arroganti; prudentes, politici, conſtantes, aliquantulum rerum ſuarum oſtentatores, magis in præliis dextri, quam fortes.

Imperium Romanorum.

Nomen Andaluziam ſupra habere diximus à Vandalis, quod hi à Gothis pulſi, hoc loco ſedes ſuas fixerint: quibus poſtea ejectis, in Africam conceſſerunt. Hiſtoria hæc eſt: Rodericus XXV Gothorum rex, in quo regium Gothorum nomen defecit, Comitem quendam

dam Iulianum Præfectum conſtituerat Mauritaniæ Tingitanæ : ejuſque abſentis interea filiæ ſtuprum intulit. Quo pater audito, Saracenos ex Africa evocavit, juſtiſſimum dolorem ſuum regis vindictâ ſolaturus. Hi anno ſalutis 714 duce Muza per anguſtias freti Herculei ingreſſi, biennii ſpatio totam fere Hiſpaniam occuparunt, præter Aſtures naturâ loci munitos. Periere tantillo tempore utrimque 70000 hominum millia. Saraceni potiti imperio, Chriſtianorumque, quoad fieri potuit, religione & ſacris extirpatis, regna inter ſe partiti ſunt. Primum fecere Cordubæ, quod ipſi vocavere *Abenalibeticum:* alterum apud Hiſpalin : tertium apud Carthaginem novam; donec à Ferdinando III his locis pulſi Granatam conceſſerunt, anno 1216, & à Ferdinando VI penitus ejecti ſunt, anno 1494.

Rotta

Puerto S. Maria

Guadalete fl.

Puerto Real

Salinæ

Salinæ

Salinæ

Salinæ

Salinæ

Puente de Suazo

SINUS GADITANUS,

Vulgo BAIA DE CADIZ.

OCEA

Los Puercos

Castillo S. Philippo

Cadiz

Cailletta

Puntal

S. Catharina

Punta de S. Sebastiano

NUS ATLANTI

Torres de Hercules Almodraue

Hic thynnorum captura a Kal. Maj. ad usque xvii. Kal. Iulii.

Ins. nobilissima Hispaniæ vina producens

CUS.

Inſ. S. Petré

INSULA GADITANA, Vulgo ISLA DE CADIZ.

Binudium Milliaris Hiſpanici.

Excud. Joannes Blaeu, Amſtelodami.

IN SVLA GADITANA.

SVb Gadibus duas inſulas comprehendiſſe videntur Strabo, Plinius aliique nonnulli; Ptolemæus unam tantum, quam & Gadiram vocat cum ejuſdem nominis urbe. qui duas conſtituerunt, majorem peculiari nomine Erythiam & Cotinuſam appellaverunt. Minorem Erythiam & Aphrodiſiam dici, ex Philiſtide Timæo & Sileno tradit Plinius, Iunonis inſulam ex Pherecyde Strabo. Pœni Gadir, Romani Tarteſſon vocarunt. Nunc una ſola conſpiciendam ſe præbet Oceani alluvionibus admodum diminuta, quam vulgus *Cadiz*, alii *Caliz* appellant, noſtrates, neſcio qua ratione, *Calis Malis*. Hanc noti orbis terminum ultimumque finem exiſtimarunt, Silius 1:

Atque hominum finem Gades. & lib. 17:

Terrarum fines Gades, ac laudibus olim
Terminus Herculeis Calpe, Bætiſque lavare
Solis equos dulci conſuevit fluminis unda.

Et apud Statium, *Soliſque cubilia Gades.*

Hinc eſt quod nautæ noſtrates occidentale, ſeu S. Sebaſtiani hujus inſulæ promontorium, *het eynde van de werelt*, terrarum finem, ad hunc uſque diem vocitent. Appianus ex Cyriaco Anconitano profert inſcriptionem, quam, (etſi eam fictitiam & novam Antonius Auguſtinus in ſuis numismatibus antiquis putet) hic inſerere non dubitavi: HELIODORVS INSANVS CARTHAGINENSIS AD EXTREMVM ORBIS SARCOPHAGO TESTAMENTO ME HOC IVSSI CONDIER, VT VIDEREM SI ME QVISQVAM INSANIOR AD ME VISENDVM, VSQVE AD HÆC LOCA PENETRARET. Ab hac inſula fretum vicinum, quod hodie *de Gibraltar* dicitur, nomen Gaditani conſecutum eſt. A Tyriis Phœnicibus hanc inſulam ab initio navigatam & excultam, ex antiquiſſimorum ſcriptorum monumentis palam eſt. In hac Geryones poſtea habitaſſe à quibuſdam exiſtimatur, cujus armenta Hercules Ægyptius vel Tyrius abduxerit. In altero ejus cornu, hujus templum fuit, conditoribus, religione, opibus, & vetuſtate illuſtre. Cur ſanctum ſit (inquit Mela) oſſa ejus ibi ſita efficiunt. In altero Saturni templum fuiſſe, Strabo auctor eſt. In Herculis Templo hoc, Alexandri Magni imaginem conſpexit Cæſar, referente in ejus vita Suetonio. Erat & fons ibi potui aptus, qui contrario effectu, ſub exundatione maris deficiebat, & eodem defluente, implebatur. In eodem Templo æreas columnas octo cubitorum fuiſſe, idem tradit, quibus inſcriptus eſt ſumtus factus in Templi exædificationem. Iunonis fanum ibidem quoque agnoſcit idem ex Artemidoro. Senectutis etiam templum, item Mortis, in ea deſcribit Dionyſius, & idem aras Anno, Menſi, Arti, & Paupertati. Herculis Columnas in hac oſtendi tradit Iſidorus, & naſci in ea arborem, ſimilem palmæ, cujus gummi infectum vitrum Ceraunium gemmam reddit. A continente anguſto ſpatio & veluti flumine abſcinditur, ponte lapideo verò cum eodem conjungitur; paſcua prataque habet lætiſſima, vinaque generoſiſſima abunde profert, piſces mare ſubminiſtrat: ex ſale quod cogunt incolæ non contemnendos conſequuntur quæſtus, nec minores ex thynnorum piſcatione: hos fruſtulatim diſſectos ſale condîtos, atque in cadis repoſitos per totam fere Europam venales diſtribuunt. Cæterum navigationis & commercii beneficio admodum floret: unicam habet urbem cognominem, Romanorum temporibus florentiſſimam, utpote in qua Equitum Patriciorum quingentos numeratos refert Strabo; qui numerus in nulla particularium Rerumpublicarum, unicâ Patavina exceptâ, unquam extitit. Cæterum incolæ civitate Romana à Iulio Cæſare donati ſunt. nunc è celeberrimis Europæ eſt portubus, mercimoniis & negotiatione florens admodum. Epiſcopatum, Medinâ Sidoniâ Alphonſus Sapiens Caſtellæ Rex in hanc urbem tranſtulit anno 1277. ex eo Prælatus reditus annuos 20000 ducatorum recipit. olim hæc Civitas Marchionatus, poſt Ducatus titulo clara, Coronæ unita eſt anno 1492 à Ferdinando Catholico.

GRANATA ET MVRCIA.

GRANATAM, uti & Murciam, Caſtellæ titulo poſſidet Hiſpaniarum Rex. Nomen habet Granata, ab urbe primaria; urbs à forma. Nam ſicuti Granatum malum Punicum granoſum eſt: cortice ob maturitatem fiſſo, ita urbs ipſa denſas habet domos, & parte una dehiſcit. Sedes hæc fuit Baſtulorum, qui & Pœni. A Meridie mare Ibericum ſpectat, à Septentrione Andaluziæ & Caſtiliæ partem, uti & ab Occidente; ab Oriente Murcia jacet. Regnum omne Granatenſe in longitudinem patet LX leucas, in latitudinem XXV, in ambitu CLXXX, à finibus Murciæ Andaluziam uſque. Cum Mauri hoc regno potirentur, incolis frequentiſſimum erat, triginta tres continebat civitates, municipia muris cincta nonaginta ſeptem: regibuſque ſuis quotannis ſeptingenta millia coronatorum pendebat. Hodie neque tam incolis eſt frequens, neque locuples, cum ſolum contineat civitates octodecim, unum Archiepiſcopatum; Epiſcopatus tres. Secatur à duobus fluviis, Xenil & Darro.

Origo nominis.

Termini.

Magnitudo.

Conditio vetus.

Fluvii.

Aëris & ſoli ratio.

Cæterum Granata, temperatiſſima provincia eſt, & licet montoſa, tamen omnium rerum copia abundat. Mauris dominantibus, omnibus rebus affluebat, hodie hominum inopia & defectu agricultura defecit, & tamen locupletiſſimis provinciis accenſetur. quippe ſolo eſt fœcundiſſimo, & quod levi cultura indigeat. Vix exprimi verbis poteſt multitudo herbarum odoriferarum, eſculentarum & medicinalium, quibus montes & campi paſſim ſcatent, nec non fructuum varietas, ſacchari copia, ſerici abundantia, denique omnis generis animalium multitudo. Fontes paſſim ſcaturiunt, totque rivulorum ſecturis & decurſibus ſolum rigant, ut amœniorem vix mente concipias, vix penicillo pingas.

Civitates. Granata.

Metropolis eſt Granata, Ptolemæo ἰλλίπυλα μεγάλα. Nam Illiberis in eo colle fuit, qui nunc Elvire, & ab ea porta una Granatenſis dicitur *Elveria*. Circuitus Granatæ paſſuum millium circiter eſt duodecim. Mœnibus undique cingitur; tuentibus eam mille triginta propugnaculis. Portæ, quæ ſunt numero duodecim, ad Occidentem faciles habent exitus, & campos amœnos; ceteræ vero ad Orientem, ſubdifficiles. Vrbs communi nomine *Granata* dicitur, Academia nobilis, duos comprehendens, præter minores alios, nonnullius altitudinis colles, quos Darrus fluvius per Vallem mediam fluens dividit. Vrbs in quatuor hodie diſtributa eſt partes, ſitu ſeparatas, ſuiſque appellationibus diſtinctas. Prima peculiari voce *Granata* nuncupatur, loca declivia & valles occupans. Habitant hic Eccleſiaſtici, Nobiles plerique, potentiores Mercatores; in ædificiis omnes magnificis, quibus horti conjacent amœniſſimi. Templo decoratur longe maximo, ſumtuoſiſſimi mirabiliſque operis; in quo Sacellum ſplendidiſſimum, corpora ſervans Ferdinandi & Iſabellæ, qui Granatam Maurorum tyrannidi ante centum, & qui excurrunt, annos eripuerunt. Iuxta eſt perantiquum Maurorum Fanum, *Meſquita* eorum lingua nuncupatum. Eſt in eadem Vrbis regione ſummum Iudicum Tribunal, ad quod ſupremæ judiciorum omnium appellationes devolvuntur: cui qui præſunt, *Oidores* appellantur. Eſt ibidem Platea vel Forum Venale, conſpicuæ magnitudinis, nuper à Chriſtianis inſtructum: *Vivaramblam* Mauri vocant, *Arenariam* ſignificari dicentes. Forma eſt quadrangularis, ad menſæ ſimilitudinem: Longitudo pedum eſt ſexcentorum, latitudo ducentorum. Ibi Fons eſt excelſus & inſignis. Foro conjuncta eſt domus *Alcaceria*, tabernulas habens fere ducentas, in quibus ſerici panni ceterarumque rerum merces quotidie venduntur. Secunda Vrbis Regio in altiore ſita Colle, qui Solis ſpectat exortum (unde & *Sierra del Sol*) voce Maura *Alhambra* dicitur: Mauri *Rubram* ſignificari notant, ſicque nominari vel ab conditore, homine rufo; vel ab rubra terra, quæ nunc etiam conſpicitur in ædificiis. Occurrunt ibi multa ſingularia, cum primis Arx Nova, à Philippo II Hiſpaniarum Rege, forma quadrata, ex cæruleo lapide, qui ſingulari Architecturæ artificio ad normam ſectus, condita: Aream habet rotundam, valde elegantem, & amplam; Ambitum autem, triplicibus Menianis (quæ columnis marmoreis, venuſto ordine diſpoſitis, ſuſtentantur) lætaque ambu-

GRANATA, ET MVRCIA REGNA.

Milliaria Hiſpanica communia.

Benevole Spectator, Veteres urbium et promontoriorum appellationes majuſculis notauimus, hoc modo, BASTI, ARTIGIS. Recentes vero hac literarum forma, Baza, Alhama: Archiepiſcopatus hoc ſigno ✝, Epiſcopatus ✝,, Academias ⚘.

CASTILIÆ PARS

ANDALVSIÆ PARS

GRANADA

MVRCIA

VALENTIÆ PARS

BARBARIÆ PARS.

PARS.

MARIS MEDITERRANEI

IBERICVM MARE

VIRGITANVS SINVS

Cordoba
Jaen
Baeça
Vbeda
Sevilla ol HISPALIS
Eciia ASTI
Antiquera
Alcala real
Granada
Guadix Acci
Baza BASTI
Malaga
Ronda ARVNDA
Gibraltar, al. Gebal Tarik CALPE MONS, olim.
Estrecho de Gibraltar
Ceuta olim SEPTA
ABILA
Tanger ol TINGIS
Tetuan
Orihuella ORCELIS
Murcia MVRGIS ol
Cartagena, ol CARTAGO NOVA
Alicâte
Elche ol ILLICI
Muxacra
Almeria
Campo de Dalias
Cabo de Gatos
Oran
Azeiba
Arzeni
C. Fegalo
C. de tres forcas
Peñon de Velez Pignon al
Ponte de Targa
Tarfagarello
Buzema
Bozencor
Veliz
Eliz
Melilla
Milonia
I. Zafarinos
Hareſgol
Guardia
Zeroni al. Zirzen
Alcudia
Calaſt
Tarquirats
Netgalli
Caſſa
Riff
Alboran olim Terroris inſula
Marzaguiver
C. Ferrat
Monaſt. de las Virtudes
Monbiel
Villa nueva
Puerta de malamoger
Caſtel
Venta Iaquera
Venta moral
Venta la mata
Venta totana
Martin Serano
Cazorla
Solera
Velez el rubio
Huesca
Lorca
Portilla
Vera VIRGI
Porcena
Dugna Maria
Campo Cobel
Dalias
Aladra
Alvi
Caſtel de Grimaldo
Venta dalcouer
Alfix
Beria
Almuñecar
Salobreuna
Motril
Sierra Nevada
Baul
Ayllar
Almacaron
Albuſera
Cabo de Palos
Ilha Groſſa
Pointa del Pinacio
La foradada
Lebrilla
Cantarilla
Lorquí
Fauanella
Caſas de coſta
Caſtel
Caſtalla
Caſtillana
Alcolea
Almoraima
Guadalcazar
Pena flor
Palma
Guadaxoz
Bogedan
La Campana
La Mocloua
Mayrena
Marchena
Vrrera
Los Molares
La puebla de cacalla
Coronil
Espera
Arcos
Xerez de la frontera
Villa Martin
Zahara
Hardales
Teua
Campillo
Arenigua
Pruna
Moron
Olivera
Archidona
Pedrera
Sinarilles
Loxa
Priego
Iſnaior
Aguilar
Monte maior
Vzena
Cabral
Rambla
Santella
Las poſadas
Carpio
Alcaudete
Martos
Torre de campo
Iaen
Andujar
Mijibar
Linares
Villches
Lopante
Rio Guadalquivir
Rio Salado
Rio Xenil
Rio frio
Venta rio frio
Vol de cacin
El garo
Puerto lope
Guarda fortuna
Seguia
St Fe
Ayamonte
Gibraleon
Sanlucar
Rota
Puerto Real
Alcala de los gazules
Medina Sidonia
Puente Ronda
Monda
Cartama
Fuengirola
Marbella
Estepona
Gibraltar
Venta del Margues
Agezira
Tarifa
Rio de Vejer
Rio de la Miel
Rio de Velez
Rio de Almeria
Rio de Almanzora
Rio Guadalentin
Rio Segura
Rio de Murcia
Rio de Alcantarilla
Rio de Lorca
Rio de Huercal
Rio de Almeria
Rio de Almanzora
Rio de Velez
Rio de Motril
Rio de Almuñecar
Rio de Salobreuna
Rio de Velez
Rio de Malaga
Rio de Marbella
Rio de Estepona
Rio de Gibraltar
Rio de Tarifa
Rio de Vejer
Rio de la Miel
Rio de Velez
Rio de Almeria
Rio de Almanzora
Rio Guadalentin
Rio Segura
Rio de Murcia
Rio de Alcantarilla
Rio de Lorca
Rio de Huercal
Rio de Almeria
Rio de Almanzora
Rio de Velez
Rio de Motril
Rio de Almuñecar
Rio de Salobreuna
Rio de Velez
Rio de Malaga
Rio de Marbella
Rio de Estepona
Rio de Gibraltar
Rio de Tarifa

bulatione diſtinctum : Multa ac varia ibi conclavia ; in quorum interiore ornatu ars & ſumtus decertare videntur. Tam amœnus illi undique proſpectus, ut oculi incredibili oblectatione ſeſe paſcant ; nuſquam non, quoquo ſe vertant, habentes, quo Dei ac Naturæ bonitatem, agrique Granatenſis felicitatem admirentur. Eſt & in eadem Vrbis regione antiquum Maurorum Regum Palatium vaſtitate viſenda ; defenſores commode admittens ad quadraginta millia. Hoc unicum, ſi alia deeſſent indicia, quanta magnificentia, quantoque faſtu gens barbara Granatenſe Regnum poſſederit, manifeſte loquitur. Interior ſtructura valde ſumtuoſa eſt, valde ſuperba; ex porphyrite conſtans, jaſpide & marmore : muri, trabes, tabulata auro ſunt obducta : videre paſſim eſt emblemata, hieroglyphicas notas, Arabicas litteras, varia ſigna, muſivo opere incruſtata. Quæ quum ſint exquiſita, & raræ notæ ornamenta, magnaſque Mauritaniæ gentis opes,& ſingularem magnificentiam conteſtantia; magna Chriſtianorum cura diligentiaque ab ſitu & interitu, quantum fieri poteſt, conſervantur, collapſaque reſtaurantur. Locus eſt in eadem arce elegans & ſpacioſus, forma quadrata, vulgo *El Quadro*, aut *los Leones :* in cujus medio duodecim leones labrum admodum capax ex candido marmore in dorſo ſuſtinent : medium ſpacium fons exornat limpidiſſimæ aquæ, in altum ad inſtar erectæ haſtæ rapidiſſimo motu proſiliens, & in idem labrum deinde recidens ; unde canales mox & delectabiles aquationes promanant, in quibus Maurorum Reges cum Reginis æſtivos calores ludendo lavandoque mitigare perhibentur ſoliti. Locum hunc Meniana, quæ marmoreis innituntur columnis, cingunt. Ex hac Arce, in quantum oculorum acies extendere ſe poteſt, univerſa propemodum Granata videtur ; læta etiam arva, *La Vega de Granada* nuncupata : Montes inſuper conſpiciuntur, perpetuis nivibus candentes, *La Sierra Nevada* vulgo ; Ferarum quoque vivarium, in eoque omnis generis animalia ; cervi præcipue, damæ & capreoli. Vltra hanc Arcem paullulum aſcendendo elegans & ſplendida Domus, *Generalipha*, ſe offert ; natura, arte, ſitu ad venuſtatem & recreationem compoſita. Aëre ſereno ſemper gaudet. Multis abundat fontibus, ſuaviſſimo murmure undique diſcurrentibus : quorum unus, mirabile & jucundiſſimum viſu, aquas in miram altitudinem copioſiſſima eructatione, brachii craſſitudine evomit, quod extra iſtius domus muros longiſſime proſpici poteſt, maxime ſplendente Sole. Prætereo hic conſitas arte ſilvulas ; arbores patentibus ramis generoſis fructibus graves ; ſepimenta reticulata ; inque iis feras magno numero beſtias. In verticem porro montis enitenti occurit ætate multa conlapſum fere Maurorum Fanum, ab Chriſtianis *S. Helenæ* nunc dedicatum : ad quod fere omnes, qui Granatæ videndæ deſiderio flagrant, conſcendunt ; ut ejus Templi muro ſuum Patriæque nomen inſcribant. In eodem hoc monte Maurorum Reges ſuos olim habuerunt hortos, vario florum & herbarum genere decenter veſtitos ; quorum nunc etiam manifeſta ſatis ſuperſunt indicia. Iuxta ciſterna eſt publica, *Algibé* dicta ; imbribus colligendis quondam ab Romanis parata : Aqua inibi non ſolum nullum putredinis incommodum ſentit, verum etiam medendi vim habet & facultatem : quod Hiſpani longa experientia ſunt docti. Nam pota ventris fluxum ſedat. In latere ejuſdem Montis ædicula ſacra eſt, multa antiquitate & veneranda Martyrum memoria nobilis ; *Los Martyres* vulgo : ubi putei & antra in rupibus exciſa, & ſcalpellis excavata conſpiciuntur : quorum ut ingreſſus ſunt anguſtiores, ita interiores receſſus latioris ſunt ſpacii : in hac Mauri Chriſtianos, quos ingenti numero captivos tenebant, crudeliterque tractabant, noctu protrudere & funibus demittere ſolebant, diuturnis laboribus fractos & confectos ; Hiſpanis *Maſmoros* dicitur. Tertia urbis regio, *El Albayſin*, duos complectitur colles, admiranda ædium frequentia cultos. Hæc, quia à ſolis Mauris quondam habitabatur, non altera Civitatis regio, ſed diverſa plane natio habita, & idiomate ab reliquis Granatæ incolis ſeparata eſſe videbatur : agricultura & ſerici textrinis ut plurimum victum quærebant : & quantum uxorum luxui ſerico, aureoque & argenteo veſtitu indulgere, tantum ſibi viliore habitu viri ſolebant adimere ; ſacco ſemper onuſti etiamſi prædivites, incedentes, ut qualiacumque onera, mercedis conſequendæ gratia, petentibus ferrent. Nomen fidemque Chriſto cum pietate exſtimulati, tum pœnarum adducti metu dederunt. Hujus partis Porta eſt illa, per quam Maurorum Rex, *Rey Cicho*, *Rex Parvulus* nuncupatus, ſe, Granatam, & arcem tradens Ferdinando Regi, exivit ; & expugnati Granatenſis Regni memoriam ſempiternam remanere flagitavit hanc, ut nemini poſt ſe ea umquam pateret. Quod ab Ferdinando facile impetravit : ideoque ab eo tempore ſemper clauſa manſit ; &, ne unquam aperiretur, firmum illi oppoſitum fuit propugnaculum. Fertur Rex Maurorum egreſſus, inque colle conſtitutus, quum magnificam, quam deſerere cogebatur, urbem triſtis intueretur, inlacrumari cœpiſſe. Quod ubi Mater ejus videret, quæ & ipſa in fuga ſalutem quærebat, Filium adfata : *Merito*, ajebat, *nunc extra Vrbem muliebres emittis lacrumas, in qua, tanquam Vir, cordate pro Aris*

&

& *Focis pugnare noluiſti.* Quarta denique urbis pars, quæ temporis ſucceſſu ob majorem civium frequentiam adnata, *Antiquerula* nominatur, præſtans etiam & populoſa; ſitu plano. Incolæ *Antiquerulani* vocantur ab *Antiquera* oppido, unde huc profecti memorantur. Hi Byſſum, Holoſericum, Karmeſinum, Bambacium, Damaſcenam, variaſque præſtantioris pretii telas magna copia neque contemnendo quæſtu conficiunt. Opificum frequentia, qui ſerico texendo victitant, quanta ſit copia, vel ex eo colligi poteſt, quod è ſolis mori arboris foliis, quibus bombyces veſcuntur, præter multas ſerici libras, Regibus triginta millia aureorum quotannis in vectigal cedant. Cæterum Granata Archiepiſcopali dignitate inſignita eſt, ex qua ad Archiepiſcopum quotannis redeunt 40000 ducati. Academiâ inſuper claret, à Carolo V anno 1531 inſtitutâ.

Malaga. *Malaga* emporium ſatis frequens, agro undique felici & amœniſſimo cinctum. Huc ſtatis temporibus undique mercatores confluunt, ut ſapidiſſimos & paſſos autumnales fructus auferant. vini & olei copia hic maxima. turribus & propugnaculis egregie munita eſt. Armamentarium habet omni telorum & machinarum genere longe inſtructiſſimum. Epiſcopalis eſt urbs à multis annis, cujus Epiſcopus reditus habet 50000 ducatos. Duas habet ſibi invicem imminentes arces, à quarum una ad alteram deſcenditur inter duos muros. Superius appellatur *Giblalfarro*, inferius *Alcazzava*.

Almeria. *Almeria* loco commodo ſita haud longe à Charidemi promontorio, in fertili territorio, ſalubribus aquis, fructibus oleoque abundanti, ad Cæſiam Granatam reſpicit, ad Caurum Almancoram & Bacam, ad Ortum Carthaginem, ad Murgim poſitam; ad Occaſum denique Alumecanam & Veleſium Malaccæ. Epiſcopatus dignitate clara eſt, ex qua Epiſcopus quotannis 6000 ducatos percipit.

Guadix. *Guadix* novem leucis à Granata in ſpatioſa & profunda planitie ſita, undique aſperrimis montibus cincta eſt, quam quatuor amniculi ſecant, pecoris, vini, frumenti & fructuum feracem; ſed ob frigus neque aurantia mala fert nec oleum. Epiſcopali ſede eſt conſpicua, quæ quotannis Epiſcopo 8000 ducatos confert.

Ronda. *Ronda* civitas ſine Epiſcopo, edito & prærupto in monte ſita, natura & opere munitiſſima, undique flumine cincta eſt. ab oppido ad flumen deſcenditur quadringentis gradibus, è rupe opera Maurorum exciſis.

Antiquera. *Antiquera* civitas ſine Epiſcopo, in medio regni, inter Granatam & Rondam, loco edito ſita & aſpero, portas habens ferratas. Deſpicit pulcherrimam regionem, campos, fontes, rivos & montes, in quibus optimæ ſalinæ reperiuntur. quia aqua fontana & pluvia humilioribus locis collecta, ardore ſolis in perfectiſſimum ſalem cogitur. Tribus leucis abeſt fons dictus vulgo *de la Piedra*, qui tantæ eſt poteſtatis, ut ſaxa diſſolvat, imo & calculos in veſicis ex eo bibentium.

Baca quondam caput Baſteranorum, firmo muro & caſtello munita, circiter quatuor millia focorum continet, ſita eſt in profunda valle, vulgo *Hoya de Baça* dicta, fluviolo amœniſſimo irrigua, vini, frumenti, mellis, lini & canabis fertiliſſima.

Loja civitas inter duos altiſſimos montes, ſitus tam amœnus eſt, tamque elegans, ut univerſæ Granatæ audiat *Hortus*, tanta excultus diligentia, ut in eum Ops, magna rerum omnium Mater, plenum efficacium herbarum fructuumque optimorum cornu larga manu effudiſſe videatur. Fervent etiam hoc loco venationes, eo quod ob miram pabuli abundantiam paſſim leporum & cuniculorum greges in patentibus campis, paſcuis, atque nemoribus venantium oculis obverſentur.

Santa Fé civitas in celeberrima Vega Granatenſi ſita eſt, Conditorem agnoſcit Ferdinandum Catholicum, qui eam occaſione obſidionis Granatenſis, cum tentoria incuriâ famulæ ab igne eſſent conſumta, ne rurſus id periculum experiretur, extruxit; ſibique, donec redderetur Granata, domicilium elegit, formæ eſt quadratæ, quatuor viis eam ſecantibus.

Marbella ad mare, cum commodo portu, conditore ſuperbit Maharbale Carthaginenſi. Ad oram maris ſunt duo munitiſſima caſtella, in quorum uno reges Mauri theſauros ſuos; in altero filios & fratres veluti in cuſtodia aſſervabant. Hoc *Almuguecar*, illud *Salubregna* dicitur. Montes vicini puriſſimo ſcatent argento. *Vera* ad mare mediterraneum in planitie melones optimos ferente ſita eſt.

Munda oppidum ſitum eſt quinque milliaribus à Malaga. Amniculum habet, qui ſe per planitiem ſpargit, eamque irriguam & amœnam reddit. Nulla totius Hiſpaniæ pars loca habet natura ac arte munitiora; inter quæ merito memoranda *Alhama*, diſtans à Granata ſeptem milliaribus, immenſis undique præcipitiis & rupibus aſperrimis tuta. Ab Mauris, ut hiſtoriæ loquuntur, conditum, ſitu amœniſſimo: ab natura variis locupletatum dotibus, & ob voluptatem ubertatemque genio gratiiſque dicatum. Quidquid hic ab Deo Opt. Max. largiſſime conlocatum, ſuperant infinitis modis uberrimi Thermarum fontes; quibus meritiſſimo jure princeps inter Hiſpaniæ miracula locus. Aquæ illis tam illimes, limpidæ & perſpicuæ, ut vel exiguus in fundo nummulus perfacile agnoſci queat. Moderati ſunt caloris, quem nudum hominis corpus fert commodiſſime: grati ſaporis,

quæque potæ variis corporum morbis curandis efficaciſſimæ. Multis inde votis expetuntur; adeunturque undique, Martio præcipue Septembrique menſibus, quibus maxime ſalutares. Iuxta eſt domus ampla hoſpites ex variis Hiſpaniæ locis accurrentes ſuſcipiens; non equis ſolum ipſorum & jumentis omnem commoditatem; ſed ipſis etiam cubicula, lectos, quidquid denique neceſſarium liberaliter præſtans. Prope oppidum præcipites arduorum montium rupes viſuntur; inque earum una Crucis conſpicitur ſignum, quod quænam mortalium ars, quæque induſtria in dorſo montis, quum non modo aſcenſu difficile, ſed plane inacceſſum ſit ejus faſtigium, collocarit, prorſus ignoratur. Ex his montibus rivulus gravi murmure delabitur, qui ex nivoſis haud procul Granata montibus tanto frigore promanat, ut nomen inde fuerit ſortitus. Dicitur enim *El Rio frio*, Rivulus frigidus. Thermarum muros adluit; calidam Thermarum aquam abſorptam ſecum abripiens.

Velez-Malaga, haud procul Mari Mediterraneo: oppidum amœniſſimis cinctum campis, fructiferiſque collibus, in quibus Arx ab Afris olim condita conſpicitur. Ibi uvæ paſſæ, tam quæ vulgo *Paſſa de Lexia*, quam quæ cæruleo colore *Paſſa del Sol*, colliguntur. Aſpera montium juga tam hic ſunt præcelſa, ut ex eorum cacuminibus Herculeum non ſolum Fretum, verum etiam Barbariæ (ut vulgo vocatur) littora, ac montes, atque adeo Africæ oppida Ceuta & Tingis, in faucibus Freti ſita, commodiſſime conſpici queant. Incredibilem pagorum frequentiam ſoli fere Mauri, ex poſtrema profligatione ſuperſtites, inhabitant: Chriſtianam Fidem profeſſi peculiari ſuo, ex antiqua conſuetudine, utuntur veſtitu & lingua: Montes vitibus arboribuſque fructiferis conſerunt, vicinaque loca tam decenter ſuo labore exornant, ut ſpectatu valde ſit jucundum, uberrimoſque annuo proventu fructus colligant; quos hujus oppidi incolis divendunt; à quibus deinde mercatores exteri coemtos, navibuſque onerariis impoſitos in varias totius Vniverſi partes exportant. Ad maris littus ampliſſima eſt Domus, *La Torre de Velez*, appellata; in qua varia ſunt loca peropportune diſpoſita, in quæ omnia, quæ vicinum territorium ſuppeditat, bona comportata, antea, quam evehantur, vectigal Regi perſolvunt.

Almuñecar Civitas ad mare Mediterraneum ſita, portu famoſo celebris, præſidio militum ſemper cuſtoditur.

Gueſcar in planitie ad radices montis *Sagar* ſita, civitas inter *Guardadar* & *Bravate* fluviolos: incolæ ejus gnaviter lanificio incumbunt, Ducum Albæ eſt peculium, quorum primogeniti Duces *de Gueſcar* audire ſolent.

Muxacra monti inſidet ad littus maris mediterranei, piſcatu celebris.

Cartama amœnum oppidum non procul à Malaga ad maximi montis radices ſitum, qui quantum ad Aquilonem patet, ſterilis eſt, & aſpretis ſilviſque horridus; ſed adverſa parte culturæ patiens, & paſſim vinetis conſitus, amygdala ficuſque ſapidiſſimas magna copia producit, quæ in Boreales regiones magno incolarum emolumento aſportantur.

Motril oppidum, portu commodo, Granata undecim diſjungitur leucis, piſcatu gaudet egregio, ager vina & ſaccharum magna producit copia.

Comares oppidum ſex leucis Malaca diſjunctum, in edito ſitum monte, undique muris & præcipitiis cinctum: ager vini fertilis, ſed præcipuum quæſtum faciunt incolæ ex uvis paſſis, quas *del ſol* vocant, quæ in hoc agro excellunt. Marchionatus titulo clarum, pertinet ad Duces *de Cardona*.

Salobreña portus amœnus, Mortilio una diſſidet leuca, in edita rupe ſitum eſt oppidum, ſat munitum, Gubernatore & præſidio militari inſtructum, piſcibus & ſaccharo abundans.

Septenilium, vulgo *Settenil*, Granatæ oppidum in monte, poſitione prorſus mirabili; pleraque incolarum domicilia habens ſubterranea, in cavernoſis exciſa rupibus. Solum quale in montibus frequens, aſperum & lapidoſum, aratri impatiens; ſed pecoris, varii generis, dives.

Las Alpuxarras, id monti à primo Maurorum præfecto Abrahem Alpuxar nomen, qui ad occaſum XVII leucarum ſpatio porrigitur, XI leucas latus, aſper ac fere ſterilis, niſi quibus locis miti jugo in planitiem deſcendit, Mauriſcorum cura & induſtria excultus, ita ut fruges producat, armentis ac pecoribus abundet, & ſerici maximam copiam præbeat. Dividitur in undecim Taas, quod Hiſpanice *Cabeça de partido*, Latine territorii caput ſonat. *Taä del Orgiva*, Marchionum de Valençuela dominium. *Taa de Puqueyra*. *Taa de Pitres* in hujus juriſdictione videre eſt arbores fructiferas portentoſæ magnitudinis: inter *Portugos* & *Pitros* rivulus aquæ claræ interfluit è fonte grandiuſculo colorato enatus, in quem ſi filum aut ſericum immittatur, abſque ullo alio adjumento extrahitur colore nigro optimo tinctum. Non procul inde eſt antrum quod continuò adeo malignos evomit humores, ut animalia ibi vita priventur, quod quotidiana docet experientia, dum plurima circa eum locum quotidie reperiantur extincta. *Taä de Iubiles*. *Taä de Vxixar*. *Taä de Andaxar*, ager totius montis fertiliſſimus. *Taä de Sehel el Grande y Pequeño*. *Taâ d'Adra*. *Taâ de Verja*. *Taâ de Dalias*.

Las Alpuxarras Montes.

Sunt autem Granatenſes humani, dextri

in

Indoles incolarum.

in rebus gerendis, armis habiles, & in civili converſatione faciles. Iunioribus vino interdicunt, majores mares pauco, fœminæ pauciſſimo utuntur.

GRANATÆ REGES MAVRI.

POſtquam *Abenhud* Maurorum Rex anno 1236 Cordubam, cæteram Andaluſiam, vitamque ipſam perdidiſſet, *Mahommad Aben-Alhamar* obſcuro loco natus, ſed qui natales egregiis factis illuſtres reddiderat, Arjonenſium communibus ſuffragiis in Regem electus eſt, eumque dein Baëcæ, Guadicciæ, Iaënæ & Granatæ cives quoque recognoverunt. Hic ſedem regni Granatam conſtituit, regnumque Granatenſe inſtituit, quod uſque ad annum ſalutis noſtræ 1492 Mauri poſſederunt. *Mahommad* itaque *Aben Alhamar*, alio nomine *Aboabdille Ademiazar*, regni ſuſcepit habenas circa annum D. N. 1236. Regem Caſtellæ poſt pacta inita, & Iaën amiſſam tributo honoravit; poſtmodum vero Civitates *Xeres*, *Arcos*, *Bejaz*, *Lebrixa*, *Medina Sidonia*, *& S. Lucar* vi bellica occupavit: moritur anno 1273.

Mahomad Mir-Almus-Lemin ſive *Abedialle* patri in regno ſucceſſor, contra Chriſtianos *Miralmumin* Ducem Africanum in Hiſpaniam accerſivit, ſed eventus haud reſpondit conatui: moritur anno 1302.

Mahomad cognomento *Aben-Alhamar*, ſive *Alamir Aben-Azar*, filius præcedentis oculorum uſum caſu amiſit; Sororem habuit *Ferrachen*, Mauro, Præfecto Malacitano deſponſatam, cujus filii *Iſmäel* & *Mahomad* poſtea Regno Granatenſi potiti ſunt. *Aborrabe* Maurum Almeriæ præfectum res novas molientem in Africam fugere coëgit, tandem à fratre regno privatus eſt anno 1309.

Mahomad Aben-Azar, *Aben-Lemin*, *Abedialle* fratrem regno privatum, carcerique mancipatum morte affecit, anno 1313 ab Iſmaële prædicto regno exuitur, qui Guadicciam ei propriam reliquit.

Iſmäel, Petrum Caſtellæ Regem magna affecit clade, Andaluſiæ complura Caſtellanis eripuit loca, tandem operâ conſanguinei ſui Mahumetis præfecti Algeziræ filii, cui Serdam Chriſtianam corporis forma præſtantem eripere conatus erat, cæſus regnum cum vita amiſit.

Mahomad filius *Iſmäelis*, puer ſub directione Ozminii Regni Præfecti regnum arripit, conſpiratores & patris occiſores expellit, Regi Caſtellæ tributum pendit: poſt Miramulinio auxiliante loca quædam Caſtellanis eripit, tandem rebus compoſitis Regem Caſtellæ ſuperiorem agnoſcit, occiditur à ſuis 23 ætatis anno, noſtræ ſalutis vero 1333.

Ioſeph Mahumetis frater, in præjudicium fratris Majoris in regem electus cognomine *Aben-Amet* uſus eſt. Primus regum Granatenſium pacto tributo quod Regi Caſtellæ debebat, ſeſe exemit; anno 1354 à ſuis, inſtigante Patruo regnandi cupido, interfectus eſt.

Mahomad Lagus Patruus Ioſephi, Iſmaelis R. Frater, regnum uſurpavit, Granata anno 1360 à ſequacibus Mahomadis Rufi vel Aben Alhaman ejectus, Rondam ſeſe contulit. Rufo vero dein per inſidias perfidioſe à Petro Caſtellæ Rege capto, & ignominioſa morte affecto, regno abſque ulla contentione reſtitutus eſt. obiit 1379.

Mahomad Guadix, filius Lagi, regnum pacate & tranquille adminiſtravit. Hadiſam Regis Tunetani filiam, ex Almohadum familia oriundam, uxorem duxit, è qua filium & ſucceſſorem Ioſephum ſuſcepit. mortuus 1392.

Ioſeph II filios habuit, Ioſeph primogenitum, Mahomad à quo grandes injurias paſſus eſt, Cidi Ali & Cidi Amet: toga auro intertexta & veneno infecta indutus miſere interiit 1396.

Mahomad Aben Balua, regnum Ioſepho fratri ſuo primogenituræ jure debitum uſurpavit, tandem induſio veneno fœdato periit anno 1408.

Ioſeph III frater præcedentis, Antequeram Civitatem amiſit, fœdus cum Rege Caſtellæ iniit, tributum offerens. moritur anno 1423.

Mahomad Aben-Azar è ſtirpe *Ferrachen* oriundus, à *Mahomad* Siniſtro regno ejectus eſt, qui carceri mancipatus obiit anno 1429. regno reſtitutus *Mahomad Aben-Azar* exercitum 200000 armatorum contra Caſtellæ Regem eduxit, ſed magna adfectus clade, rurſus regno ejectus eſt 1432.

Ioſeph Aben-Almao è ſtirpe Mahumetis *Aben Alhamar*, auxiliante Caſtellæ Rege Granatam cæteraque Regni loca occupavit, tributarium ſe Caſtellæ Regi conſtituit, moritur annis gravis eodem anno 1432.

Mahomad Aben-Azar tertiò regnum recuperat, & tertiò eodem ejicitur anno 1445 à *Mahumete Aben-Oſmin* conſanguineo ſuo; qui itidem regno privatus eſt ab *Aben-Iſmäel* adjutante Caſtellæ Rege.

Aben Iſmäel Regem Caſtellæ ſuperiorem agnovit. Obiit vero 1465.

Muley Alboh-Acem ſeu *Muley Acen* filius ei ſucceſſit, pace rupta bellum Caſtellanis intulit, pacem ſecundo ictam negligens Granatâ expulſus eſt, anno 1482.

Mahomad Boabdili, cognomento *Chiquito*, quod Parvum ſignificat, ejus filius, vivo etiam tum patre, regni habenas arripuit: hujus tempore

pore Ferdinandus Arragoniæ & Caſtellæ Rex Regnum Granatæ armis occupans, Maurorum dominationi in Hiſpania finem impoſuit anno 1492. poſt quadriennium Rex Boabdili ſeſe in Africam recepit. Dein Granata ſub Regibus Hiſpaniæ ſemper fuit, & nunc ea potitur Potentiſſimus & Sereniſſimus Philippus IV Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha.

MVRCIA.

MVrcia Granatæ ad Ortum objecta, Valentiam Regnum confine habet ad Orientem, Mare Mediterraneum ad Meridiem, ad Septentrionem Caſtellam Novam, ab urbe metropoli nomen habet. Extenditur ſecundum ſinum Virgitanum, à promontorio de Palos ad promontorium de Gates; civitates complectitur quatuor, & unum Epiſcopatum. Secatur à duobus fluviis Segura, & Guadalentino. Ad ripam Seguræ ſita eſt Murcia regni caput, in planitie amœniſſima, quam Staberum amnis interfluit, alii Setabim vocant, & derivatis hinc inde rivulis agros irriguos facit: malis citreis conſiti campi; ſed bombycum præcipuus proventus, & ſericæ veſtis copia. In agro Murcienſi ipſaque civitate numerantur ultra 355500 mori, quæ vermes nutriunt, qui ſerici 210000 libras ſingulis annis largiuntur, quæ millionis valorem attingunt: Cæterum ager amœniſſimus frumento, vino, fructibus, melle, pecore, feris, avibus, & Simplicibus ultra fidem abundans. In hac ſepultus jacet Alphonſus ille Regum decus. Murcenſes ob receptum paſſim excluſum Regem, coronas ſeptem in inſignibus geſtant.

Murcia Civitas.

Cartagena. *Cartagena* (olim Carthago nova) urbs quondam ampliſſima, nunc neque grandis neque bella. Epiſcopatus dignitate conſpicua, qui Epiſcopo ſuo 24000 ducatos annuos elargitur. Portum tamen habet ampliſſimum & tutiſſimum, unde Andream D'Oria celeberrimum claſſis Imperatoriæ Præfectum dicere ſolitum ferunt, ſeſe tres ſolos portus tutos exiſtimare, Iunium, Iulium menſes & Carthagenam. ibidem & ſcombrorum piſcatio opulenta, à quibus inſula objecta, quæ portum concludit, Scombraria dicitur. In ditione illius maxima copia ſparti naſcitur: ager gemmas & lapides pretioſos, adamantes, amethyſtum, pyropos, aurum & argentum benigne profert; ſolum alumen 40000 ducatorum valorem quotannis æquat. Sex leucis à Cartagena verſus Occidentem ſita eſt arx *Almacaron*, ubi ingens aluminis copia reperitur, è qua Dux Eſcalonæ & Marchio Velæ maximum capiunt emolumentum. *Lorca* Civitas ſupra *Guadalentinum* fluvium ſita eſt, olim Epiſcopatus, qui nunc Carthagenam tranſlatus eſt. Oppida ſunt *Mula* in fertiliſſima planitie ſitum; *Caravaca* Murcia duodecim abjacet leucis, Cruce ab Angelis apportatâ glorioſa, Alcantarilla ad ripas Seguræ fluvii una ſola leuca Murcia abjuncta eſt. *Torana. Molina* Marchionatus ſpectans ad Marchiones *de los Veles. Ricote. Lorqui. Tobarra* & *Lugar de Raya.*

Oppida.

A R-

ARRAGONIA REGNVM.

SVperiori ævo Hiſpania in duodecim regna fuit diviſa; Legionis, Caſtellæ antiquæ & novæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Valentiæ, Toleti, Gallæciæ, Algarbiorum, Murtiæ, Cordubæ. Ex quibus priora quinque majoris famæ nominiſque fuerunt, & continuam habuerunt Regum ſeriem. Ea autem tandem ad tria contracta ſunt: *Arragonenſe*, ſub quo Catalaunia & Valentia comprehendebantur: *Caſtellanum*, ſub quo Biſcaja, Legio, Aſturia, Galæcia, Eſtræmadura, Andaluzia, Granata, Murtia, utraque Caſtella, & denique Navarra: *Portugallicum*, ſub quo Algarbiorum. *Arragonia.*

Termini. Arragonia ad Ortum habet Pyrenæos montes & Catalauniam; ad Occidentem Caſtiliam; ad Septentrionem Navarram, ad Meridiem Valentiam, complectens longitudine leucas ſeptuaginta, latitudine triginta, civitates decem, Archiepiſcopatum unum, Epiſcopatus ſex, & duas omnium ſcientiarum Vniverſitates. Habet præter Cæſar-Auguſtanam *Vrbes.* metropolim, hæc oppida: *Balbaſtro*, *Hueſcam*, *Iacam*, *Tarrazzonam*, *Albarazin*, *Tervel*, & circiter ſeptuaginta alia municipia muro cincta, pleraque exigua, & quæ non ſupra quingentas caſas numerent. Nam cum ſolum multis locis nitroſum ſit, & aquarum penuria laboret, plures incolas uno loco alere vix poteſt.

Saragoſſa, Metropolis. Cæſar-Auguſta (hodie *Saragoſſa*) jure inter nobiliſſimas totius Hiſpaniæ urbes refertur: quam Ptolemæus in Edetania collocat, ut & Plinius; qui etiam Coloniam immunem, & primò *Saldubam* vocatam dicit. Pomponius verò Mela, ſuo tempore nobiliſſimam Tarraconenſis provinciæ urbem, ex mediterraneis dicit fuiſſe. Sita eſt ad fluvium Iberum loco campeſtri & patenti, in qua ſive ſoli ubertatem, ſive ſitus amœnitatem, urbis nitorem & ornamenta requiras, nihil in ea deeſſe reperies; ædiumque ſplendore nulli Hiſpaniarum urbium ſecunda, quæ è laterculo coctili ut plurimum ſunt. plateas latas & apertas, ac pontes duos habet egregii operis, quo Iberus tranſitur. Templa majora XVII, monaſteria XIV, & alia minora fana & ſacella: auguſtiſſimum templum *Nueſtra Hiſpania.*

Señora del Pilar. Vrbem hanc à Mauris recepit rex Alphonſus anno 1118. Epiſcopatus eſt antiquiſſimus: tempore verò Iacobi Secundi Arragonum Regis, à Ioanne Pont. Max. in Metropolitanam dignitatem mutatus: cui ſex parent ſubditi Epiſcopi, *Oſcenſis*, *Iacenſis*, *Turiaſſonenſis*, *Balbaſtrenſis*, *Terulenſis*, & *Albaricinenſis*: reditus annui Archiepiſcopi 45000 ſunt ducati. Vniverſitate omnium ſcientiarum illuſtris eſt, anno 1474 inſtituta, & à Philippo II amplificata, variiſque privilegiis & immunitatibus honorata.

Hueſca, olim Oſca, in planitie amœnis collibus cincta, ad aquas limpidiſſimas Iſuelæ fluvii ſita civitas, ſolo, cæloque benignis, omnium rerum ferax, præſertim vini, quo majorem Arragoniæ partem providere ſolet. Epiſcopali dignitate prædita, cujus reditus annui ſunt 13000 ducati: Academiam habet antiquam, & à Sertorio, ut volunt, inſtitutam. Antonius Auguſtinus & Hieronymus Surita ex antiquis nummis ajunt urbem *Victricem* cognominari. Incolæ nulla re magis gloriantur, quam *D. Laurentium* civem habuiſſe, invictum illum Chriſti athletam, qui Romæ ſub Decio Imp. martyrio affectus fuit. *Oſca.*

Iaca ad radices Pyrenæorum montium in planitie admodum amœna, frumenti, fructuum, pecoris, ferarumque feraci eſt civitas: Epiſcopatus jam ab anno 1061 decora eſt honore, Prælato 3000 ducatos quotannis tribuens. *Iaca.*

Tervel ad fluvium Turiam, quem Mauri *Guadalabiar*, quod aquam claram ſignificat, nominarunt, in campis ampliſſimis ſita eſt, undique hortis, arboretis, fontibuſque cincta, cælo ſoloque adeo benignis, ut perpetuum ibi ver, omnibus mire fragrantibus exiſtere videatur. Epiſcopum habet, cujus reditus annui ſummam 12000 ducatorum attingere ſolent; celebratur præterea patria Ægidii Sanches Muños, Canonici Barcinonenſis, qui Benedicto XIII fatis functo, ad ſupremum Pontificatus honorem evectus eſt nomine Clementis VII, quem poſtmodum ſupervenientibus magnis diſſidiis, Epiſcopatu Majoricenſi contentus, volens abdicavit. Hic Philippus II arcem quinque propugnaculis haud ita amplis communivit, dubium an contra Francos, an contra Arragonios tum tumultuantes. *Tervel.*

Tarrazona non procul à Caſtellæ Navarræ & Arragoniæ limitibus ſita ad fluvio- *Tarrazona.*

ARRAGONIA REGNVM.

Auctore Joanne Baptista Labanna.

In hac tabula locorum omnium Situs et distantiæ ex observationibus Geometricis et Astronomicis describuntur. Civitates litteris Romanis, Metropolis Cruce, Episcopales Mitra, Abbatiæ Baculo, Urbes litteris Italicis majoribus notantur. Ducatus, Marchionatus, Comitatus, et Baronie, suis quæque Coronis signantur. Regnorum limites duplicatis, Episcopatuum simplicibus puncta distinguuntur.

Milliaria Hispanica. 1 2 3 4 5

Ampliſſimo et Nobili Viro GASPARI CHARLE[T] Sacri Romani Imperij Equiti aurato, Domi[no] Baerlecdonc, cohortis libere Duci reformato, [et] Majestatis Catholicæ generali aggerum præfe[cto] Guil. et Johannes Bl[aeu].

Pars Maris Mediterranei.

Meridies

Septentrio

lum Chiles, non longe à monte Cauno, quem incolæ *Moncayo* vocant: camporum glebis feliciſſima, & annonæ copia abundans: Epiſcopali dignitate à multis ſeculis ornata, cujus diocæſis ſeſe in Caſtellæ & Navarræ regnis extendit, fructus annui verò ſunt 20000 ducati.

Albarrazin. *Albarrazin* mœnibus undique cincta civitas, ad Turſam fluvium in tumulo ſita eſt: Epiſcopatus ab anno 1171 fuit, cum Valentiano, & Segobrigenſi conjunctus, ſed à Gregorio XIII petente id Philippo II, ſejunctus anno 1577; reditus habet annuos ejus Epiſcopus 6000 ducatos.

Balbaſtro. *Balbaſtro* ad ripam Veri fluvii, qui ponte pulcherrimi operis tranſitur, in campis fertiliſſimis oleique inprimis feracibus ſita eſt civitas: Epiſcopatus honore illuſtris, cujus diocæſis Præſuli quotannis 8000 ducatos tribuit.

Calatajud. *Calatajud* in campeſtri loco, ex ruinis nata Bilbilitanis, quæ cum multis aliis antiquitatum monimentis, medio milliari Hiſpanico ab hoc oppido hodie viſuntur, in colle, qui vulgo *Bambola* vel Baubola, alludente ad urbis jacentis appellationem nomine. Cingitur mons ille in orbem fere ab *Salone* flumine; quem ſitum *Bilbili* tribuit alumnus ejus & civis Val. Martialis lib. x, epigr. CIII:

Municipes Auguſta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.

Sic Paullinus ad Auſonium, *Bilbilim acutis ſcopulis pendentem, prodit.* Quod autem in monte, *altam* vocat idem Martialis ſcribens ad Licinianum lib. I, epigt. L:

Videbis altam Liciniane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Sic idem Martialis lib. x, epigr. CIV, ad librum ſuum:

Hiſpana pete Tarraconis arces:
Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quincto forſitan eſſedo videbis.

Auro ferroque ſuperbam facit Bilbilim idem Poëta libr. XII, epigr. XVIII:

Me multos repetita poſt Decembres
Accepit mea, ruſticumque fecit,
Auro Bilbilis & ſuperba ferro:
Hic pigri colimus labore dulci
Botrodum, Plateamque: Celtiberis
Hæc ſunt nomina craſſiora terris.

Inter Bilbilim & Segobrigam (quæ hodie *Segorbia* putatur) Sertorius & Metellus memorabili prælio conflixerunt, ut apud Appianum & alios eſt legere. Hodie eſt una ex præcipuis Arragoniæ urbibus; ſubdita Tarraſſonenſi Epiſcopo. ſolum habet fœcundum, frumenti, vini, olei, frugiferarumque arborum patiens; omnis generis opifices alit: in convalle poſita, Salone flumine alluitur: Qui, licet nec lato alveo tumeat, nec aurifere arenis ſuperbiat, nulli tamen cedit ferri gloria: omni enim ferro ipſius aqua eſt violentior. Aquæ enim temperamento, ferrum acrius robur & miram duritiem acquirit: unde Martialis, ubi de Congedo amne egit, ſubdit:

Quibus remiſſum corpus aſtringens brevi
Salone qui ferrum gelat.

Et lib. v, epigr. VI, ubi de Bilbili:

Quem fluctu tenui ſed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Idem hic amnis videtur, qui Iuſtino libro ultimo *Bilbilis* vocatur, præſertim cum illi maximam ferri temperiem adſcribat, *adeo ut nullum apud eos telum probetur*, inquit, *quod non aut Bilbili flumine, aut Chalybe intingatur*; quæ certe *Saloni* inprimis quadrant. nullus enim præter *Salonem* ferri gloria in Hiſpania notior eſt, nec ea de cauſſa magis celebris. Potuit enim ab adjacente urbe *Bilbilis* vocari. Petrum de Luna genuit, cujus ſub Benedicti XIII nomine in Pontificem evectio, magnos in Eccleſia cauſavit motus.

Daroca. *Daroca* civitas eſt in loco aſpero, & inexpugnabili fere, ſita ad fluvium Xiloca, cujus aqua campos beans, eis miram adfert fertilitatem. Civitatis porro honorem Daroca in præmium fidelitatis à D. Petro IV Arragoniæ Rege ad annum 1366, conſequuta eſt. hîc ſpecus admiranda viſitur, in longitudinem 780 virgarum ſe extendens.

Borja. Non admodum longe à Cauno monte ad radicem monticuli, & terminos Navarræ eſt *Borja*, fontibus limpidiſſimis irrigua, & arce ſpectabili ornata. territorium frumento, vino, oleis, pecore, feris, oleribus, canabi, lino, ligniſque abundans. Civitatis nomen & privilegia in præmium ſervitiorum Alphonſus V, Aragonenſis, ei conceſſit; hinc nobiliſſima Borjarum familia è regio Aragonum ſanguine oriunda fertur.

Municipia. Præter has civitates ſunt alia in Arragonia municipia. *Caſpe* municipium multis nominibus clarum, & antiquitate ſua ſpectabile, ad ripas Iberi ſitum eſt: Caſtrum habet munitiſſimum, & campos frumenti, vini, olei, croci, ſericique fertiles, ſed potiſſimum ob capones optimæ notæ celebratos, Alphonſus II. Aragonum Rex, id Mauris eripuit anno 1168, & Ordini Militari S. Iohannis donavit. *Exea de los Cavalleros*, duodecim à Zaragoza Navarram verſus leucis, in agro fertili ſita, multis annis à Saracenis poſſeſſa, ab Alphonſo I, Aragonum Rege, opera nobilium Gallorum & Vaſconum potiſſimum, unde ei cognomen inditum, eis eripuit, & in eo Hiſpaniæ Imperatoris ſibi titulum aſſumſit. *Alcañiz*, quatuor à Caſpe leucis ad fluvium Guadalof, arboribus fructiferis, hortiſque cinctum, caſtro munitiſſimo defenſum, & fonte pulcherrimo, qui quadraginta duobus erumpit cana-

canalibus decorum, Equitum ordinis Calatravæ Commenda opulentiſſima eſt. olim regni ſub Saracenis caput. *Luna* novem diſſita à Saragoza leucis inter montes jacet, eam D. Zanchius Ramires II, Aragoniæ Rex, titulo Comitatus honeſtavit, quem D. Bacallæ viro natalibus illuſtri dedit, cujus deſcendentes nobiliſſimam inter alias Hiſpaniæ gentem *de Luna* conſtituunt, à qua eodem titulo poſſidetur. *Fraga*, olim Gallica Flavia in honorem Veſpaſiani Imperatoris à conditoribus Ilergetibus vocitata, ex adverſa Fluvii Cica, qui ponte ligneo hic tranſitur, ripa ad ipſos Cataloniæ eſt limites, in loco montibus altiſſimis cincto, eoque à natura munitiſſimo & inexpugnabili ferè ſita eſt. Mauri eam Regni ſedem conſtituerant, quam cum expugnaret Alphonſus I Aragoniæ, VII verò Caſtellæ Rex, fortiter & glorioſe vita privatur, plenus honoris & militaris gloriæ.

Monçon non longe à Caſtellæ Regni limite ſitum eſt ad Cingæ ripam, cui collis imminet, à quo nomen oppido: Conventibus regnorum Arragoniæ, Valentiæque & Principatus Cataloniæ celebris ſedes, qui hic anno 1585 in verba Philippi III Hiſpaniarum Regis jurarunt. Monçon à Gallis anno 1642 occupatum, anno ſequenti Philippus IV rurſus recepit ſuique fecit juris. arcem habet munitiſſimam & vix expugnabilem. *Epila* novem à Zaragoça leucis ad ripam Xalon fluvii ſita, celebratur ob natales D. Iohannis Primi Caſtellæ Regis; agrum habet ſatis fertilem: *Ayerve* ad radices Pyrenæi montis ſitum municipium, olim Ebellinum veteribus nominatum. Locum hunc ut non minimi nominis Iacobus I Rex, D. Petro notho conceſſit, cujus poſteri cognomen eam ob cauſam *d'Ayerve* aſſumſerunt. Et poſtmodum cum ad Infantem D. Ferdinandum, Alphonſi IV regis filium, eſſet devolutum dominium, id anno 1374, D. Petro *Iordan de Vrries* Regis Aulæ Præfecto Majori vendidit, à cujus poſteris hodie poſſidetur. *Montalvan* inter duas rupes loco munitiſſimo, quatuordecim à Zaragoça leucis ſitum eſt, ad fluviolum Martin; arcem habet ſpectabilem, domos rupi inciſas, aquas ſalutiferas, cælumque admodum benignum. à D. Petro II Aragoniæ rege Ordini militari S. Iacobi conceſſum, cujus hodie eſt Commenda celebratiſſima, gaudens nomine Majoris Arragoniæ vulgo *Mayor d'Arragon*. *Mallen* ordinis S. Iohannis Hoſpitalarii ſeu Melitenſis eſt Commendataria, quatuor à Borja leucis, in loco admodum feraci ſita. *Hijar* ad fluviolum Martin tumuli radicem poſitum municipium, in cujus ſummitate ſpectatur arx probe munita, ſitum eſt in campis frumenti, vini, olei, croci, ſericique abundantibus. Iacobus I, Rex, ejus dominium D. Petro Ferdinando notho ſuo donavit, cujus dein poſteri cognomen *de Hijar* aſſumpſerunt; hodie poſſidetur à gente potentiſſima Marchionum *de Alenquer*, Comitum *de Salinas*, & *Ribadeo*. Non longe ab Ibero fluvio poſitum eſt *Tauſte*, unum ex quinque celebratioribus Aragoniæ municipiis, in loco amœniſſimo, aquis ex Ibero fluvio incolarum induſtria ductis irriguo, omniumque ad victum humanum rerum fertili. *Zuera* quatuor à Zaragoça leucis eſt in loco admodum feraci, ad ripas fluvii Gallego, cui jure vetuſtas Gallici nomen tribuit, quod ſummo tranſcenſo Pyrenæo ſupra oppidum cui Salientis nomen impoſitum, in ipſa terra Gallica oriatur. *Gurrea* ad eundem fluvium ſitum eſt, Gentilium *de Gurrea* Domus originaria, olim Gallorum forum nuncupatum. *Almudevar* tribus ab Hueſca leucis in agro præter vinum & frumentum, etiam crocum ferente. *Loarre* quatuor ab eadem civitate leucis ad radices Pyrenæi montis, fontibus compluribus irriguum, arcem habet inter munitiſſimas totius Hiſpaniæ merito numerandam, in qua multis annis Iulianus Comes, totius Hiſpaniæ perfidus traditor, detentus fuit, donec vitam cum morte commutaret. *Ricla* inter Calatayud & Zaragoçam ad aquas limpidiſſimi fluvii Xalon ſita, Comitatus à D. Philippo II Rege erecti, & à D. Philippo IV in perſona Didaci *de los Cobos y Luna* confirmati eſt caput. *Sos* inter quinque Arragoniæ quæ vocant municipia non ultimi nominis, locus ob natales Catholici Regis D. Ferdinandi V, jure merito celebrandus, non longe à confiniis Navarræ jacet, arce ſpectabili munitum. *Ariza* ſex à Calatayud leucis, ad limites Caſtellæ, eſt in planitie amœna, quam aquis ſuis beat Xalon fluvius jam ſæpius memoratus, vicina monticulo cujus apicem arx munitiſſima, dominorum ſuorum fortalitium & habitatio occupat, ager vini, frumenti, pecoris, croci ferax, ſed præcipue ob incredibilem fere fructuum diverſitatem celebratus, hujus Municipii Dominum D. Franciſcum *de Palafox* in præmium ſervitiorum, Marchionis titulo honoravit D. Philippus II Hiſpaniæ Rex. Septem à Daroca leucis planitiem admodum amœnam occupat, *Monreal* ad fluvium Xiloca, caſtello ſpectabili ornatum, D. Alphonſum I Arragoniæ VII. Caſtellæ Regem agnoſcit conditorem: ut hinc tanto arctius Darocam à Mauris occupatam cingeret, & ad deditionem cogeret. Quatuor ab eadem leucis ſpectatur ad eundem fluvium ſita *Burbaguena*, cælo admodum benigno. *Belchite* novem à Zaragoça leucis ſitum eſt, in planitie frumenti, vini, olei, crocique feraci, Comitatus titulo poſſidetur à familia illuſtri Ducum *de Hijar*. Ad limites Catalauniæ eſt *Miquinença*, ubi Segre & Cinca ſeſe cum Iberi aquis miſcent, ſitu admodum grato & fertili. Arcem habet

PARTE DE CASTIL

Obiſpado de Albarraſin.

Albarraſin

Parte del Obiſpado de Tervel.

Tervel

Parte del Obiſpado de Calatajud

Obiſpado de Tara-

-çona.

LA PARTE DE NAVARRA.

Boria

Taraçona

Parte del Obiſpado de Hueſca.

Hueſca

Parte del Obiſpado de Leꝛida.

PARTE DE VALENCIA.

PARTE DE CATALVNNA.

Arçobispado de ÇARAGOSSA.

Milliaria Hiſpanica.

ARCHIEPISCOPATUS CÆSARAUGUSTANUS.

Civitates litteris Romanis, Metropolis Crucе, Epiſcopales Mitra, Abbatia facali, notantur. Ducatus, Marchionatus, Comitatus, et Baroniæ, ſuis quæque Coronis ſignantur. Regnorum limites duplicatis, Epiſcopatuum ſimplicibus punctis diſtinguuntur.

Occidens

Meridies

Orientis

Septentrio

probe munitam. *Sariñena* ad fluvium *Alcanadre* ſita eſt, in ſolo non admodum fertili. *Acomuer* Conventus regii S. Iohannis *de la Peña*, conceſſione D. Ramirii Primi regis, peculium duabus à Iaca abeſt leucis, à paucis inhabitatum. *Alagon*, inter Iberum & Xilocam fluvios, qui utrique oppidum aquis ſuis beant, non longe ab eorum concurſu ſitum eſt. *La Puebla de Valverde*, ad Iberum. *Sadava*, unum ex quinque Aragoniæ dictis municipiis. *Salvatierra* ad fluvium Arragon quatuor à Iaca leucis, olim Conventus S. Iohannis de la Peña peculium, ſed à D. Petro II Aragonum Rege, ut munitiſſimum contra Navarram limitem Aragoniæ Coronæ unitum. *Vncaſtillo* tumulo impoſitum, & fortalitio non contemnendo ornatum. *Ainza Soprarbiæ* regionis caput ad fluviolum in planitie ſita eſt. *Cantavieja* Baillivatus Ordinis Melitenſis caput eſt. *Berdun* ad limites Navarræ duobus à Monaſterio S. Iohannis de la Peña ſitum eſt leucis, ubi Arragon, & Veral fluvii aquas ſuas miſcent. *Quinto*, octo à Zaragoza leucis ad Iberum fluvium eſt, arce ſat munita ſpectandum. *Fuentes* in planitie amœna, quinque à Metropoli leucis ad ripas Iberi viſitur, omnium rerum abundans, Comitatus titulo gaudet, beneficio Catholici Regis Ferdinandi V, qui eum in præmium ſervitiorum D. Iohanni Ferdinando de *Heredia* conceſſit. *Alquezar* ad radicem montis tumulo impoſitum ſpectatur, caſtro non ineleganti conſpicuum. Novem à Saragoça leucis ad Iberum in agro admodum fertili, ſita eſt *Velilla*, celebratiſſima ob campanam mirabilem, quam, quoties Hiſpania aliquid accipit detrimenti, ſponte ſonare ferunt. Campanam autem Gothorum tempore ex ære fuſam exiſtimant, eique immixtum unum ex 30 nummis, quibus ſceleratiſſimum generis humani dedecus Iudas, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vendidit: an vere, cum inexploratum mihi ſit, me refero ad innumeros fere auctores, qui hujus rei meminerunt. Cæteri Aragoniæ pagi celebratiores ſunt, *Frago*, *Buvierca*, *Alama*, ob balnea ſalutifera celebris: *Bordon*, *Torrijo*, & *Tiermas* balneis, ſalnitro, alumine, & ſulphure infectis, variiſque morbis conducentibus, potui & ſudationi aptiſſimis, nobilis.

Monaſterium S. Ioannis.

Iacæ vicinum eſt monaſterium S. Ioannis *de la Peña*, ubi monumenta regum Sobrarviæ viſuntur, cujus regni caput fuit Aynſa; unde ſeſe diduxit in Ripagorziam, & poſtmodum complexum fuit (inquit *Boterus*) Comitatum Arragoniæ, ita dictum à flu. Aragone, quod prope lacum labitur: & limitibus ſenſim productis in regnum evaſit, abſorptis regnis Sobrarviæ & Ripagorſiæ.

Comitatus Ribagorciæ.

Ribagorciæ Comitatus quindecim in longitudine leucas; ſex in latitudine complectitur, & in eâ extenſione pagos trecentos quinquaginta, quorum caput eſt *Benabarre*, locus omnium ad victum neceſſariarum rerum probe inſtructus. eum Mahometanis eripuit anno Chriſti 724, vel ut alii malunt, 820 Bernardus regio ſanguine oriundus, & Caroli Magni conſanguineus, Tiudæ Galindi II Aragoniæ Comitis filiæ matrimonio junctus; Comitis Ribagorciæ dein titulum aſſumſit. loci celebratiores ſunt: *Venaſque*, *Rode*, *S. Eſtevan de litera*, *Mogemaſtre*, *Tamarit*, *Caſt. de Fals*, *de la [illegible]a*, *de Litera*, *Fontova*.

Vallis de Tena.

Inter Valles Arragoniæ præcipuum ſibi locum vindicat Vallis *de Tena* dicta, inter altiſſimos m[illegible] ſita, verno tempore delicioſa & am[illegible], paſcuis læta, utpote quæ 30000 pecorum alendis ſufficiunt; hyeme ob nives, glaciemque inacceſſibilis feris admodum abundat, præcipue leporibus, capriſque ſylveſtribus; perdicibus, anatibus, palumbiſque ſcatet; herbas ſalutiferas Herbarii hinc petere ſolent; piſces, præcipue troctas mulloſque Gallego &. Aqua limpida fluvii incredibili ſubminiſtrant copia; Comprehendit pagos undecim quorum præcipui ſunt *Sallent Panticoſa*, *Pueyo*, & *Lanuça*: totius Vallis caput eſt *Sallent* inter editiſſimos præcipiteſque montes, ipſorumque Pyrenæorum corculo & loco elevatiſſimo ſitum, ut ultimus Regni hujus terminus, ad fines Gaſconiæ, & fluvium Gallego, cujus fontes leuca grandiori hinc ſpectantur diſjuncti. Verno & Æſtivo tempore ingens hic commeantium tranſitus, vicinos ob celebres in Galliam portus duos, quorum ille qui ad Orientem eſt in Bigorram, Occidentalis juxta fontem fluvii Gallego in Benearnium præbet aditum. Cæterum locus eſt naturæ beneficio munitiſſimus, & Arragoniæ contra Gallorum irruptiones inexpugnabile propugnaculum. Non longe à Sallent viſitur ſtupendus fluvii *Aqua Lempeda* lapſus, qui ſe dein in Gallicum præcipitat. Inter hoſce montes & præcipitia, tota Hiſpania à Mahometanis ſubacta, refugium elegerunt miſeræ Gothorum reliquiæ, ingens profugorum numerus, qui hinc in Mauros effuſi, non minimum reſtaurationi ejuſdem regni addidere momentum.

Piaculum pene eſſet *Iberum* præterire, nobiliſſimum Hiſpaniæ amnem; quippe qui toti Provinciæ, *Iberiæ* nomen dedit, ut multis placuit; qui teſte Plinio lib. III, cap. III, *navigabili commercio dives*, *oritur in Cantabris*, *haud procul oppido Iuliobriga*, CCCCL *M. P. fluens*, *navium per* CCL *M. P. à Varia oppido capax.* Idem tamen exactius lib. IV, cap. XX, à portu Victoriæ, Iuliobrigenſium fontes Iberi XL M. P. abeſſe ſcribit. Florianus vero Occampius penſiculatius ejus exortum rimatus, dicit non procul ab *Aguilar de Campo* (loco id nomen eſt) Iberum binis

nis

nis fontibus ſcatutire, & ab incolis indigetari *Fontible*, quaſi Iberi fontes dicas. Multis hic ſtipatus fluminibus, à ſeptentrione in auſtrum fertur, cum cæteri Hiſpaniæ fluvii ab ortu in occaſum delabantur. id cauſa eſt Idubeda mons, à quo in occaſum ire prohibetur, unde in auſtrum neceſſe ſe flectit, multas & illuſtres præteriens urbes, infra Dertoſam, indignanti ſimilis, mari ſe infundit, tanto quidem impetu, ut ultra quinquaginta paſſus Mediterranei maris ſalſas undas edulcoret. Nobilitatus etiam Luctatii Catuli fœdere, quo inter potentiſſimos populos, Romanos & Carthaginenſes, utriuſque imperii terminus eſt conſtitutus: unde prima Hiſpaniæ diviſio, *Vltra Iberum & Cis Iberum*, manavit. Sed & præter hunc Iberum amnem, alterius in eadem Hiſpania meminiſſe videtur Feſtus Avienus, & in Bætica ſtatuere; nam cum multa de Tarteſſis dixiſſet, ſubdit:

Iberus inde manat amnis, & locos
Fœcundat unda: plurimi ab ipſa ferunt
Dictos Iberos, non ab illo flumine
Quod inquietos Vaſcones prælabitur.

Vnde forſan Florianus Occampius Bæticæ fluviolum *Rio Tinto*, vocatum olim fuiſſe dicit Iberum.

Soli indoles. Arragonia magna ſui parte ſolo eſt aſpero atque ſicco, præſertim verſus Pyrenæum, ubi integri diei itinere nullæ habitationes obviæ ſunt. Non tamen deſunt aliquot valles optimarum frugum fœcundæ, & fructuum omnium frumenti, vini, olei, ferinæ carnis, pecoris, croci feraces, ubi aqua rigantur, ferri, plumbi, argentique minis ſcatentes. Non minus ſterilis eſt trans flumen, ubi vix ullum oppidum occurrit alicujus momenti, præter Calatajud. Ipſi Arragonenſes fidi ſunt, & propoſiti tenaces.

Calatajud.

Regimen quod attinet, Hiſpaniæ regnum haud dubiè abſolutum eſt, ſed non in omnibus ſuis regnis Rex parem & æquè abſolutam poſſidet imperandi poteſtatem. Nam Arragonum, ante refrenatam à Philippo II Hiſpaniarum rege libertatem, magna fuere jura, privilegia, ac immunitates, quas ipſi ſui juris effecti ſibi dixerunt, condito ſupremo magiſtratu, cui Iuſtitiæ nomen impoſuerunt, qui ſecundum eas jus diceret. Poſtea Reges elegerunt, qui genibus flexis & capite aperto tactis SS. Euangeliis coram Magiſtratu eas ſe ſervaturos religioſo ſacramento obſtringunt, antequam eis proceres ac Magiſtratus obedientiæ jusjurandum præſtent. Electio Regis uſque ad Petrum *ab Acinace* dictum manſit, qui in Comitiis tenuit, ut, electione ſublata, Reges à gente peterentur. Inde nomen ſortitus, quod caput de electione Ordinum conſenſu abolitum acinace publicè diſcidiſſet. Cæterum abolita electione, libertatis leges denuò confirmatæ ſunt, lege unionis ob id condita, cujus hæc duo capita recenſentur, quibus jus eſt Ordinibus; ſi Rex patrias leges violet, novum in ejus locum creare, & citra crimen Majeſtatis ad tuendam libertatem federationes inter ſe & cum vicinis Principibus inire. Id cum durum Caſtellenſibus videretur, qui Reges legibus ſolutos colunt; Ferdinando Arragonio, qui Iſabellam Caſtilienſem in uxorem duxerat, perſuadere voluerunt, ut eas leges tanquam regiæ dignitati contrarias antiquaret. Verum ille inſita ſeu modeſtia, ſeu diſſimulatione, prudentiſſimè reſpondit, fide religioſe data, ſe prohiberi, quo minus id faceret, & alioqui ſic exiſtimare, æquilibrio potentiæ regni Regiſque ſalutem publicam contineri, & ſi contingeret aliquando alterum alteri præponderare, procul dubio alterius aut utriuſque ruinam ex eo ſequuturam. Præterea tribunal in regno ab initio inſtitutum, cui ſummus ille Magiſtratus cum XVII viris præeſſet, Manifeſtationis nomine vulgo indigetatum, ad quod ex aliis reliquis ſubſelliis ſupremis, nec non etiam Eccleſiaſticis provocatio eſt, & in quo Rex partis tantum vice fungeretur, non autem Iudicis aut Magiſtratus partes ſuſtineret. Verum Philippi II Hiſpaniarum Regis non eadem mens fuit, quæ Ferdinandi. Nam cum Secretarius illius Antonius Perezius è carcere in Caſtellæ regno elapſus ad urbem Cæſarauguſtanam profugiſſet, & ſe in conſeſſu illo Iuſtitiæ ſupremæ purgare vellet, & in illum finem defenſionem ad objecta crimina ſcripto eſſet complexus; Regii miniſtri eum ad Inquiſitionis revocarunt, quod eſt judicium in Arragonia, ut Viſitationis in Caſtella, ad enervanda patriæ libertatis jura, à Regibus in eos, qui publica munera geſſerunt excogitatum. Poſt varias turbas Perezii cauſa excitatas, Arragoniis nimis acriter Regi adverſantibus, Rex puniendæ civitatis Cæſar-auguſtanæ, in qua hæc contentio agebatur, (quibus jam pridem Reges inſidiabantur) occaſionem ſtrenue arripuit, & exercitum ſumma celeritate conſcripſit, eique Alfonſum Vergam præfecit: à quo & Cæſarauguſta capta, & Ioannes Nuca, Iuſtitia Arragonum, ut vocant, ſecuri percuſſus. Vrbs ex eo diu militari præſidio vexata, quod non niſi poſt biennium inde deductum fuit, & primum firmato S. Inquiſitionis palatio, quod extra muros erat, & tanquam arce urbi cum idoneo præſidio impoſita. Ita tandem libertas Arragonum ſenſim labefactata fuit. Vt autem appareat, quibus illa libertas legibus innexa fuerit, leges, quas ante inaugurationem Regi jurejurando primum confirmandas dixerunt, hæ ſunt: In pace & juſtitia regnum regito, nobiſque foros meliores (*Fori* illis leges ſunt) irrogato. E Mauris vindicabunda dividuntor, inter Ricos homines non modo, ſed

Incolarum Regimen Politicum. Senatus Iuſtitiæ.

Reges.

Senatus Manifeſtationis ſupremus.

Philippus II Hiſpaniarum Rex Arragonenſibus veterem libertatem eripit.

Leges priſcæ Arragonum, in electione Regum.

Occidens 42

Meridies.

Septentrio

Oriens. 42

PARTE DEL ARÇOBIS;

PADO DE ÇARAGOÇA.

PARTE DEL OBJSPADO DE LERIDA.

PARTE DEL CONTADO DE RIBAGORÇA.

PARTE DEL OBISPADO DE BARBASTRO.

PARTE DEL OBISPADO DE HUESCA.

PARTE DEL VALLE DE SOLANA.

PARTE DEL VALLE DE TENA.

PARTE DEL VALLE DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE BROTO.

PARTE DEL VALLE DE ARAGUES.

PARTE DEL VALLE DE ANSO.

PARTE DEL VALLE DE ECHO.

PARTE DEL VALLE DE AISA.

PARTE DEL VALLE DE CANFRANC.

PARTE DEL VALLE DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE BROTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE ARAGUES.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE ANSO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE ECHO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE AISA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE CANFRANC.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIESCAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE VIO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE GISTAU.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BIELSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE PUERTOLAS.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE BASSA.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE TIERRA DE SOBRE PUERTO.

PARTE DEL VALLE DE TIERRA

etiam inter milites ac infantiones, peregrinus autem homo nihil inde capito. Iura dicere Regi nefas eſto, niſi adhibito ſubditorum conſilio. Bellum aggredi, pacem inire, inducias agere, remve aliam magni momenti pertractare caveto Rex, præterquam Seniorum annuente conſenſu. Ne quid autem damni, detrimentive, leges, aut libertates noſtræ patiantur, Iudex quidam medius adeſto, ad quem à Rege provocare, ſi aliquem læſerit, injuriaſque arcere, ſi quas fortè reipubl. intulerit, jus faſque eſto. Porrò medius hic magiſtratus primum Iuſtitia major, deinde Iuſtitia Arragonum eſt appellatus, cujus hoc munus erat, inter Principem & ſubditos ſuos judicare. Cumque jam nimia hujus Magiſtratus autoritas videretur, anno CIↃ CCCCLXVII in Comitiis Cæſarauguſtæ eſt conſtitutum; ut quotannis ſemel Magiſtratus hic cenſorio ſeptendecim virorum judicio ex quatuor Regni Ordinibus conflato ſubjaceret. Inquiſitionem vocant hunc actum, vulgo *Enqueſta*.

Comitia Arragonum. In Comitiis Arragonum, niſi ad unum conſenſerint omnes, omnes cenſentur diſſentire. Comitia autem à quoquam alio, præterquam ab ipſis Regibus, haberi non poſſunt. Ab iis verò tribus potiſſimum de cauſis indici conſueverunt. 1, Suppetiarum ferendarum, exigendique (ut vulgo loquuntur) *Servitii* cauſa, dum eos magna aliqua premit neceſſitas, regiumque ærarium bellorum ſumptibus eſt exhauſtum. 2, In nova cujuſque Regis ſucceſſione. 3, Vt pro temporum varietate leges dentur Reip. conſentaneæ. Nam apud Arragones publica lex neque rogari neque abrogari, niſi de Regis ac regni ſimul conſenſu poteſt. Porrò Comitia hæc tribus tantum Ordinibus conſtabant, Nobilium, Equeſtrium, & Civicorum ſive municipalium: anno demum CIↃ CCC quartus Eccleſiaſticus acceſſit. Hos quatuor Ordines, vulgo *Los quatro Braços del Reyno* vocant. Evocantur per literas, quas appellant *Cartas de Lamiento*.

Subalternus Magiſtratus. Non poſſunt autem ultra quadraginta dies differri. Præterea in ſingulis civitatibus & oppidis per ipſum Regem *Iuſtitiæ* conſtituuntur, qui de cauſis habitantium in illis civitatibus & oppidis atque eorum terminis, cognoſcant & judicent. In quibuſdam autem locis ſunt Iudices, in quibuſdam *Alcaldes*. In ſingulis item locis Officiales à Rege conſtituuntur, quorum alii *Zavalmedinæ*, id eſt, Vice-domini civitatum dicuntur; alii *Bajulii*; alii *Merihni*; qui omnes & compulſiones facere, & mandata Regis & ſententias judicum executioni mandare, & pignora capere tenentur, ſecundum juris formam.

Nobilitas. Apud eoſdem Arragones olim qualitates & ſtatus hominum variis nominibus diſcernebantur. Nam alii dicebantur *Rici* homines, qui inter Optimates genere & nobilitate anteibant, principemque in republica obtinebant auctoritatem & locum: qui & Barones fuerunt vocati: licet antiquitus etiam Duces & Marchiones & Comites hoc nomine cenſerentur. Eorum autem quondam tanta dignitas & poteſtas fuit, ut Regiæ penè par eſſet. Dupliceſque olim fuere, de *Natura*, & *de Meſnada*; quorum illi proſapiæ antiquitate præcellebant. Rici homines de *Natura*, quaſi majorum gentium patricii apud Hiſtoricos celebrantur; Cornelii, Lunæ, Azagræ, Vrreæ, Alagonii, Romei, Focii, Enleazæ, Lizanæ. Rici homines *de Meſnada*, quaſi minorum gentium patricii, hi commemorantur; Verguæ, Mazæ, Tramacetii, Atro-Sillii, Antillionii, Ortizii, Atorelliæ, Atareſii, Tizonii, aliique. Alter ordo erat Meſnadiorum, iique duplices erant. Equites ſive milites & Infantiones: Equeſtris autem ordinis viros jam vulgo *Cavalleros*: Infantiones vero *Hyos d'Algo* vocant.

Ordo Eccleſiaſticus. Qui ordinem Eccleſiaſticum Arragoniæ conſtituunt, hi ſunt; Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus: hujus ſuffraganei ſunt, Epiſcopus Oſcenſis vulgo Hueſca: Epiſcopus Iaccenſis, vulgo Iaca: Epiſcopus Turiaſſonenſis, vulgo Tarazona: Epiſcopus Barbaſtrenſis, vulgo Barbaſtro: Epiſcopus Terulenſis, vulgo Tervel: Epiſcopus Albaracinenſis, vulgo Albarazin.

Archiepiſcopus Tarraconenſis: Illius ſuffraganei ſunt: Epiſcopus Barcinonenſis, Epiſcopus Gerundenſis, vulgo Girona, Epiſcopus Ilerdenſis, vulgo Lerida, Epiſcopus Helenenſis, ſive Elnenſis, Epiſcopus Vicenſis, vulgo Vich, Epiſcopus Celſonenſis, vulgo Solſona, Epiſcopus Vrgellenſis, Epiſcopus Dertuſanus, vulgo Tortoſa.

REGES ARRAGONIÆ.

Reges Arragoniæ. REgnante inter Navarræos Garcia Ynigo progerminarunt Arragonenſes Comites, atque Barcinonenſes. Primus Arragoniæ Comes fuit *Aznar*, filius Eudi Comitis Guyennenſis, qui cum ſeſe Garciæ Ynigo regis obſequio mancipaſſet, quædam à Mauris loca ſuſtulit, ab illoque terras utrumque inter amnem jacentes ac nomen præferentes Arragoniæ, dono accepit, ſimulque titulum Comitis ac Gubernatoris anno 780, ac demum anno 795 mortuus eſt, relictis duobus liberis, Galinda nimirum, & Ximene Garcia.

Galinda, ſecundus Arragoniæ Comes, cognomento *Aznar*, imperavit ab anno 795, ſedemque poſuit in Iaca civitate, quam à Mauris exemerat, ac Navarræ reges Dominos agnovit ſupremos. Huic ſucceſſit filius *Ximen Aznar*, quem abſque liberis defunctum ſequutus eſt ad Comitatus præcellen-

lentiam *Ximen Garcia* Patris germanus, etsi ille fratrem haberet Endregot nomine. Neque diu inter vivos egit ipse Comes, nam in acie adversus Mauros decertans occubuit; cui suffectus *Garcia Aznar* in Comitatum, qui brevi postea eodem quo prior fato peremptus est.

Ximenes Garcia, qui à nonnullis *Fortun Ximenes* vocitatur, Garciæ Aznar filius, Comitatum adeptus absque prole mascula obiit, unde & Arragonensis Comitatus, regno Navarræ adjectus est; illum enim jure hæreditario Domina Vrraca hujus nominis II, postremi Comitis filia, Garciæ Inigo Navarræ regi enupta, in matrimonium pro dote transtulit, jusque feminarum ad hujusmodi dignitatem succedendi introduxit.

Garcia Inigo, Rex Navarræ, Comesque Arragonensis, fatis functus est anno 867, ac Reges Navarræ illius successores Aragoniam simili Comitatus titulo, possederunt usque ad Sancium cognomento Magnum, Regem quoque Navarræ, qui quidem è vivis excessit anno 1034, Statusque inter liberos testamento divisit, Navarræ regnum Garciæ assignans; Fernando, Castellæ, quæ pridem erat Comitatus; at Gonçalo, Sobrarbiæ, ac Ribagorciæ dedit regiones in regni amplitudinem evectas; spurio autem Ramiro Aragoniam regni etiam titulo auctam transmisit.

Ramirus, Rex primus Arragoniæ, ducentesimo & quinquagesimo circiter à quo regio hæc teneri cœperat titulo Comitatus anno, confirmationem tituli regiæ Majestatis accepit à Benedicto IX, summo Pontifice, modicoque post intervallo Sobrarbiæ atque Ribagorciæ regnum suæ ditioni adjecit, defunctoque sine liberis Gonçalo fratre, suscepit ex Ermisinda Comitis Bigorrensis filia Sancium Ramirez in regno Arragonensi successorem, Garciam Iaccæ Præsulem; Sanciam Tolosæ Comitissam; Theresam Provinciæ quoque Comitissam, Guilleni Bertrandi uxorem: ac tandem obiit anno 1067, regni 31.

Sancius Ramirez, regnum patris duodevigesimo ætatis anno consecutus est; habuit ex Felicia Comitis Vrgellensis filia, Petrum, Alphonsum, & Ramirum, qui post ejus obitum regno successerunt. Vocatus etiam à Navarræis fuit anno 1076, ut rex eorum fieret, postquam Sancius à Raymundo fratre fuisset obtruncatus, illiusque filii in Castellam aufugissent; hacque demum ratione, duo regna, Navarræ scilicet & Arragoniæ, adinvicem copulavit; nonnullas è Mauris victorias urbesque sustulit: in obsidione Huescæ anno 1024, trucidatus est.

Petrus Sancii primogenitus in regna successit Navarræ atque Arragoniæ; Huescam à Mauris extorsit, Pertusam, Barbastro, multaque alia fortalitia. Fatis functus anno 1104 absque liberis.

Alphonsus Petri Germanus, Navarræ Arragoniæque regnis suffectus est, jureque per Vrracam conjugem devoluto, regna etiam Castellæ ac Legionis fuit adeptus; adeo ut omnia hæc regna in unum veluti corpus coaluerint anno 1108. Cæsaraugustam Mauris subtraxit, aliasque multas civitates anno 1118, mortuus est anno 1134.

Ramirus II, defuncti frater, pridem Monachus, Rex postmodum ab Arragonensibus fuit electus, regnum autem Arragonense à Navarræo divulsum. Castellæ rex Cæsaraugustam locaque alia plurima ab illo sustulit, sed postea reddidit, fide illum obstringens regni à Rege Castellæ accepti. Petronillam unigenitam Raymundo Berengario Tolosæ Comiti in matrimonium collocavit, rerumque summam illius curæ mandavit ad claustrum reversus anno 1137.

Raymundus solo Principis aut Gubernatoris, non Regis titulo, in regnum exceptus; nam regia dignitas in illius posteros jure nuptiarum fuit transcripta, Catalauniam sceptris annexuit Arragonensibus, 253 post annos quibus Catalaunia sub Comitibus proprietariis egerat. Tortosam à Mauris exegit, Leridamque & Fragam, multasque præterea civitates. Suscepit ex uxore Raymundum, qui à morte patris nomen commutavit, Alphonsusque exinde fuit appellatus, regni Arragonensis legitimus successor, Catalauniæque Principatûs. Porrò Raymundus urgente ægritudine Pedemuntii fatis cessit anno 1162, cum iter adornaret versus Fridericum Barbarossam Imperatorem; ipse verò moriens Petrum secundo genitum Cerdinienſis Comitatus heredem transcripsit.

Alphonsus II, qui prius Raymundus vocabatur, cum adhuc esset junior, regni habenas Petronilla mater suscepit; at illa Raymundo ad duodecimum ætatis annum provecto rerum summam reposuit. Is primus inter reges Arragonensium titulo Comitis Barcinonensis fuit honestatus, neque ambo hi Status deinceps ab invicem divulsi sunt. Habuit ex Sancia Alphonsi Imperatoris, Castellæque regis filia, Petrum successorem; deinde Alphonsum, cui Provinciæ Comitatum assignavit; Ferdinandum regularis vitæ sectatorem; Constantiam, quæ primo quidem Hungariæ Regi nupsit, postea verò Friderico II Imperatori; Leonoram, & Sanciam Comitibus Raymundis Tolosatibus patri nempe ac filio enuptas. Obiit anno 1196.

Petrus II, cognomento Catholicus, ex Forcalquierii in Provincia Comitis filia suscepit Raymundum Berengarium, paulo post extinctum; deinde ex Maria Guilielmi Montispelienſis Comitis & filiæ Manuelis Con-

EPISCOPATUS IACENSIS Vulgo IACA.

Septentrio 17

Meridies 17

Occidens

Oriens

PARTE DE FRANCIA.

Montes Pyrenæi

PARTE DEL REYNO DE NAVARRA.

PARTE DEL OBISPADO DE HUESCA.

PARTE DEL OBISPADO DE PAMPLONA.

PARTE DEL OBISPADO DE ARÇOBISPADO DE ÇARAGOÇA.

Bardena del Rei.

Aquilve.

Ayerbe

Tierra de Biescas

Sobre Puerto.

Val de Basa.

Val de Sarrablo.

Ribera de Fiscal.

Solana

Val de Echo

Val de Anso

Val de Aragues

Val de Aisa

Val de Canfranc

Val de Tena

Val de Broto

IACA

Auctore Joanne Baptista Labanna.

Milliaria Hispanica.

ſtantinopolitani Imperatoris filia alterum quoque filium, nomine Iaymum, ſeu Iacobum, Arragoniæ Montiſquepelienſis hæredem. Poſtea cum adverſus Simonem Montfortium Comitem à partibus Toloſatis Comitis in favorem Albigenſium decertaret, in Gallia mortuus eſt anno 1213.

Iaymus, ſeu Iacobus, quaternis duntaxat annis natus Monçonii rex fuit inauguratus, rerumque ſumma Sancio Ruſſilionenſi Comiti Regis avunculo, commiſſa; cui multas ipſe moleſtias attulit. Anno 1221, Leonoram Ferdinandi Caſtellæ Regis ſororem duxit uxorem, quæ genuit Alphonſum, præmatura morte ante patrem è vivis ereptum. Verum decem poſt annos hoc matrimonium ab Honorio Secundo Pontifice fuit diremtum; quare Violantam ſuperduxit Andreæ Regis Hungariæ filiam; ex qua procreavit Petrum in regna Arragoniæ ac Valentiæ ſucceſſorem, Catalauniæque Principem; Iaymum Majoricæ, & Minoricæ regem ac Comitem Ruſſilionenſem atque Monſpelienſem; Sancium, Toletanum Archiepiſcopum; Iſabellam, Philippo III, Galliarum Regi, & Sancti Ludovici filio enuptam; Violantam, Alphonſi Caſtellæ Legionenſiſque regis uxorem; Conſtantiam Manueli ejuſdem Alphonſi Germano elocatam; & Mariam atque Leonoram in ipſis etiam incunabulis ſepultas. Majoricam, Minoricamque Inſulas è Mauris ſtrenue reportavit, nec non & anno 1238 Valentiam cunctaque regni illius loca, è quibus ipſos quoque Mauros expulit. Fatis functus eſt Valentiæ anno 1282.

Petrus III, cognomento Magnus, patre adhuc ſuperſtite Conſtantiam, Manfredi Siciliæ ac Neapoleos regis filiam in matrimonium duxit, è qua Alphonſum progenuit, in regnis Arragoniæ atque Valentiæ, dum pater avuſque adhuc inter vivos agerent, ſucceſſorem aſſertum; Iacobum quoque Siciliæ regem, poſteaque ad regnum Arragoniæ evectum fratre primogenito ſine liberis obeunte; Fredericum, cui Siciliæ regnum in partem hæreditatis cecidit; Petrum, abſque regni dignitate; Iſabellam Dionyſii Luſitaniæ regis uxorem; ac denique Conſtantiam Roberto regi Neapolitano enuptam. Fuit à Siculis ad ſuum ipſorum regnum advocatus, jure per Conſtantiæ nuptias ad eum devoluto; hacque demum ratione Sicilia potitus eſt. Obiit anno 1285.

Alphonſus III, patri in regna Arragoniæ ac Valentiæ ſucceſſit; Iacobum avunculum è Majorica Minoricaque Inſulis exturbavit, è quibus & Mauros prorſus eliminavit. E vivis deceſſit improles anno 1291, religioſoque S. Franciſci habitu inſepultus eſt.

Iacobus Alphonſi Germanus, qui ſe quoque Siciliæ Apuliæque regem efferebat ac Capuæ Principem, mox è Sicilia profectus, Cæſar-auguſtæ unctus atque inauguratus eſt: verum interim Fredericus illius frater Siciliam invaſit, reluctante etiam pacis fœdere inter Carolum Regem Neapolitanum, & Iacobum fratrem primogenitum inito, qui hoc illi regnum dimiſerat: Suſcepit è Blanca Caroli Neapolitani Regis filia Iacobum primogenitum, qui Ordinem aſſumpſit Equitum S. Ioannis Hieroſolymitani, poſtea verò Magiſter Ordinis de Monteſa evaſit; Alphonſum Patris in regno ſucceſſorem; Petrum Empurias Comitem; Raymundum quoque Berengarium Pragæ etiam & Ribagorciæ Comitem; Ioannem, Toletanum primo, deinde Tarraconenſem Archiepiſcopum: Conſtantiam Ioanni Manueli Caſtellæ, Manuelis Infantis filio, conjugali vinculo alligatam: Mariam Petri Caſtellæ Infantis, à Sancio IV, geniti uxorem: Blancam Monialem; Violantam Tarantæ Principi matrimonio junctam; ac tandem Iſabellam Frederici Auſtriæ Archiducis conjugem. Status Arragoniæ, Valentiæ, & Catalauniæ nexu indiſſolubili copulavit. Diem ſupremum clauſit anno 1327.

Alphonſus IV, cognomento Macer, illius filius, patri in regnum ſuffectus eſt. Huic Thereſa Vrgellæ Comitiſſa, primis nuptiis aſſumpta peperit Petrum regni poſtea hæredem; Iacobum Vrgellæ Comitem; & Conſtantiam, quæ Iacobi poſtremi Balearium Regis uxor fuit: Leonora vero Caſtellæ, ſecundis excepta nuptiis, ac Ferdinandi IV filia, illi filium genuit Ferdinandi nomine inſignitum, Tortoſani Marchionatus dignitate exornatum. Barcinonæ mortuus eſt anno 1336.

Petrus IV, à Ceremoniis cognominatus, Sardiniæ Inſula pacifice potitus eſt, pro qua Piſani, atque Genuenſes, adverſus alios Reges diu diſceptarant, ex quo illis à Summo Pontifice cum Corſica etiam tradita fuiſſet. Mariam Philippi Navarræ Regis Ioannæque Reginæ filiam ſecundogenitam uxorem accepit, ex qua progenuit Conſtantiam Siciliæ reginam, ac Frederici Secundi conjugem; & Ioannam, quæ Ioanni Empurias Comiti enupſit: Secundis verò nuptiis duxit Elviram, Portugalliæ Infantem; porro tertia illius uxor fuit Leonora ſive Conſtantia, Frederici Secundi Siciliæ regis filia; ex qua Ioannem in regno ſucceſſorem ſuſcepit; & Leonoram Ioanni Caſtellæ Infanti enuptam: demum jam ſenior Sibyllam quoque minoris notæ feminam in matrimonium aſſumſit, quæ Iſabellam genuit, Iacobi Vrgellenſis Comitis uxorem. Illius ævo jus regni Siciliæ, ejus quoque familiæ obtigit, Friderico III, Siciliæ rege abſque liberis obeunte; cujus quidem regni jus, Martino filio ceſſit; hujus autem filius cognominis Mariam Siciliæ hæredem con-

conjugio ſibi copulavit. Anno denique 1387, Petrus ipſe fatis perfunctus eſt.

Ioannes filius & ſucceſſor, ex Matthæa Iacobi Arminiaci Comitis filia, unigenitam ſuſcepit Ioannam, Matthæo Caſtellono Foxenſi Comiti, ac Bearnenſi Domino, cum Rex ipſe in extremis ageret, matrimonio junctam; unde & exorta fuere funeſta bellorum diſſidia: aſſumpta poſtmodum Violanta Ducis Barenſis filia, ſibi ſecunda uxore, filium brevi extinctum excepit, nec non & filiam matri cognominem, Ludovico Andegavenſium Duci nuptiis alligatam; porro ipſe Ludovicus filius erat Ludovici illius, qui in Italia mortuus eſt, dum pro jure regni Neapolitani acerrime decertaret. Anno autem 1395 Ioannes obiit; at Matthæus Foxenſis Comes, qui primogenitam duxerat, Hiſpaniarum fretus Conſuetudine, regni diadema jure hereditatis in uxorem devolutum prætendens, omni Marte adipiſci conatus eſt; verum Arragonenſes illum reſpuerunt, regnoque ſuffecere

Martinum, regis defuncti Germanum, etiam tunc temporis apud Siculos agentem, qui in Arragoniam profectus, rex ibidem inauguratus eſt, Martino filio res Siciliæ, Regis etiam titulo, moderante; qui paulo poſt improles mortuus eſt, unde & Arragoniæ regnm Siciliæ fuit annexum. Cum provectæ jam eſſet ætatis, Ioannam de Prades, regio exortam ſtemmate, uxorem duxit; quod multorum in Arragonenſi regno extitit cauſa diſſidiorum. Obiit anno 1410, nulla ſobole relicta.

Ferdinandus Caſtellæ Infans, Leonoræ Arragonenſis, duorum Regum præceſſorum ſororis filius, ab ipſis Arragonenſibus in Regem electus, eodemque jure Catalaunia, Valentia, Sicilia, Sardinia, Majorica ac Minorica potitus eſt. Antequam ad regnum accederet, genuit ex Comitiſſa Albuquerquenſi Alphonſum ſucceſſorem, Gironæ principem ab ipſo patre aſſignatum; deinde Ioannem primo quidem Navarræ, at poſtmodum à fratris primogeniti obitu Arragoniæ Siciliæque Regem: Henricum Equitum Ordinis S. Iacobi Magiſtrum: Sancium quoque Magiſtrum Ordinis Alcantaræ; & Petrum, qui evibrata tormentaria machina percuſſus in diſſidiis Neapolitanis interiit; genuit & Mariam Ioannis II, Caſtellæ regis uxorem; & Leonoram Eduardi Luſitaniæ regis conjugem; ac tandem mortuus eſt anno 1416.

Alphonſus V cognomento Magnanimus, Patris ſceptra adeptus diuturnum in Neapolitano regno bellum geſſit, etiam adverſus Ludovicum, atque Renatum Andegavenſem, interceptuſque fuit à Genuenſibus in prælio navali; poſtea verò à Duce Mediolanenſi liberatus, è Maria Caſtellana, quam primo duxerat, uxore nullam prolem ſuſcepit; verum ex aliis uxoribus habuit Ferdinandum in regno Neapolitano ſucceſſorem; Mariam Arragonenſem Marchioni Ferrarienſi enuptam; & Leonoram Roſſanenſem Principiſſam Martini Marſanenſis uxorem. Fatis defungens anno 1456 Ioannem fratrem Navarræ Regem, Arragoniæ, Valentiæ, Catalauniæ, Sardiniæ, Siciliæ, Majoricæ ac Minoricæ reliquit hæredem.

Ioannes II, Rex Arragonenſis atque Navarræus, variis conflictatus in Catalaunia diſſidiis, Blancam Navarræ heredem in matrimonium aſſumpſit, è qua Carolum Vianæ Principem extulit; cum verò ſecundis duxiſſet nuptiis Ioannam Henriques, Caſtellæ Ammiralii filiam, ex ea Ferdinandum genuit ſucceſſorem, & mortuus eſt anno 1479, cum jam Ferdinandum filium Iſabellæ, Caſtellæ Legioniſque heredi matrimonio junctum perſpexiſſet.

Ferdinandus, à morte patris ſuffectus in regna Arragoniæ, Valentiæ, Catalauniæ, Majoricæ, Minoricæ, Siciliæ, & Sardiniæ; in regna vero Caſtellæ, Legionis & Gallæciæ, jure per Iſabellam conjugem acquiſito, cuncta hæc regna in unam veluti compagem annexuit; illiſque poſtea regnum Navarræ appoſuit, exturbatis illius hæredibus; omnibuſque hiſce Statibus illius ſucceſſores, in hunc uſque diem potiti ſunt.

Auct. Joanne Baptista Labanna.

Milliaria Hispanica.

EPISCOPATUS
TERVELENSIS
et
ALBARACINENSIS.

Septentrio.

Meridies.

Occidens.

Orientis.

PARTE DEL ARÇOBISPADO DE CARAGOÇA.

OBISPADO DE ALBARRAZIN

CASTILLA.

PARTE DEL OBISPADO DE TERVEL.

PARTE DE VALENÇIA.

Ojos negros
Villar de Saz
Villa Franca
Cingla
Ruuielos
Las Barras
La Çoma
Escucha
Ceruera
Val de Conejos
Palomar
Coruaton
Pancrudo
Sirufera
Sondel puerto
Tordesilo
Rodenas
Porsens
Almahaja
Lidon
Campos
Rillo
Canada
Vellida
Mesquita
Bueña
Aguaton
Las Cuevas
Visiedo
Fuentes Callentes
Xarque
Torre la Carcel
Alaua
Perales
Hinojosa
Aliaga
Torremocha
Galue
Couatillas
Villalua la alta
Camarillas
Aguilar
Orrios
Miraueto
Albambra
Ababux
Escuruela
Xorcas
El Pouo
Peralejos
Las Cuevas
Alloque
Monteagudo
Gudar
Villalua la baxa
Goruallan
Codrillas
Concud
Tortajada
Valdelinares
Valdezebro
Alcala dela Selua
El Castellar
TERVEL
Los Formiches
Cabra
Linares
Aldeguela
Castralluo
Bisbal
Valbona
Lapuebla de Valuerde
Mora
Nogueruelas
Ruuielos
Fuentes
Sarrion
Fuentes dela Escaleruela
Puentesca
Olua
Alcntosa
La puebla de Arenoso
La Iglesa
Villa nueua
Montanejos
Las Alcotas
El Toro
Las Barracas
Almansa
Abejuela
La Yesla
Arcos
Lapuebla de S. Miguel
Torrijas
Mançanera
Rioseco
Vallanca
Adamuz
Castel
Moya
S. Cruz
Libros
Cañete
Cabla
Vallacroche
Camarena
Trama Castiel
Xaualoias
Tormon
Las Alhobras
Nra Sa dela Fuente Santa
Villel
Huelamo
Tragacete
Terriente
Val de Cuenca
Ruuiales
Villafor
Campillo
Saldon
Moscardon
Abuhon
Caudet
Exea
S. Croche
Calomarde
Royuela
Villar del Cobo
Torres
Trama Castilla
Noguera
Bronchales
Pocohondon
Monterde
Origuela
Motos
Orea
Fuente de Celda de q nasce el Rio Xiloca
Celda
Villar quemado
S. Olalla
Torres
Mojon delos Reinos de Castilla Aragon i Valencia
R. Cabriel
R. Xucar
R. de Millares
R. Tajo entra en el Ocean
R. Guadalauiar
R. Xiloca
R. Guadalaujar entre en la Mar cerca de Valencia
R. Alfambra entra en el Xucar
R. Guadalaujar
R. Mijares

EPISCOPATUS BALBASTRENSIS, RIBAGORÇA COMIT. et SOBRARBE, Cum Adjacentibus.

Auct. Joanne Baptista Labanna.

Milliaria Hispanica.

AMSTELODAMI, Joannes Blaeu Excudit.

Occidens. Oriens. Meridies. Septentrio.

PARTE DEL ARÇOBISPADO DE ÇARAGOÇA.

PARTE DEL OBISPADO DE HVESCA.

PARTE DEL OBISPA DO DE HVESCA.

PARTE DEL OBISPA DO DE LERIDA.

PARTE DEL OBISPA DO DE LVNNA.

PARTE DEL OBISPA DO DE VRGEL.

PARTE DEL OBISPA DO DE PIRENEO.

PARTE DEL OBISPA DO DE FRANCIA.

OBISPADO DE LERIDA.

CATALVNNA.

Val de Aquilve. Val de Sarrablo. Sierra de Guara. Val de Basa. Val de Aisa. Val de Canfranc. Tierra de Val de Iena. Bieſcas. Sobre Puerto. Val de Broto. Val de Sola. Val de Vio. Tierra de Bielſa. Puertolas. Val de Giſtau. Foia de Terrantona. Val de S. Pedro. Ribera de Eſſera. Val de Benaſque. Val de Barrabes. Val de Aran. Ribera de Fiscal.

Auctore Joanne Baptista Labanna.

Milliaria Hispanica

EPISCOPATUS
TURIASSONENSIS
Vulgo
TARRAÇONA.

Occidens.

Meridies.

Septentrio.

Oriens.

PARTE DE CASTILLA.

PARTE DEL ARÇOBISPADO DE ÇARAGOÇA.

PARTE DEL OBISPADO DI PAMPLONA.

Huerta
Mte Agudo
Seron
R. Laxima
Torrehermosa
R. Jalon
Alconchel
Pozuel
Monreal
Cabrafuente
Ariza
Villel
Sisamon
Bordalua
Almazur
Sauquillo
R. Perit
Deça
Cetina
Cigüela
Cámarça
Embit
Retnos
Contamina
Xarana
Alhama
Fuentelsaz
Campillo
Ihues
Borouia
Bubiorea
Torrijo
Bijuesca
Melanquill
Godojos
Somer
Va Luenga
Verdejo
Cimballa
R. de Piedra
Piedra
Nuenualos
Carenas
R. Mesa
Torrelapaja
Clares
Pomer
Montorda
La Viluena
Castejon dela Armas
Atoca
R. Mendes
Moros
Aranda
El Aldeguela
Villa Roya
Minebrega
Valtorres
N. Sa dela Sierra
Ceruera
Auanto
Olués
Terror
Cubel
Castejon del Arua
Aminon
Pardos
Paracuellos de Xiloca
Calatajud
Torralua
Albarua
Azored
Maluenda
Bibol dells Sierra
Huesd
Morata
Villilla
Sestrica
Guermeda
Embit
Torres
Santos
Fuentes
Parauellos dela Ribera
Morés
Monton
Mochales
Belmonte
Villalua
Purroy
Horcajo
Castejoncillo
Sediles
Va Nueua
Manchones
Va Feliche
Alueda
El Frayno
Morata
Murero
Misdes
Orera
Val de S. Mun
Bibol de boi Corto
Arandiga
Valconchan
Daroca
Rueſca
Inoſes
Va nueua
El Aldeguela
S. Cruz
Chodes
Retaſſon
Langa
R. Giro
Va Royuela
Codos
Alpartir
Ricla
Anento
Torralbilla
Nombrouilla
Lechon
El Almuña
Illueca
Gotor
Brea
Miguela
Mesones
Taguenca
Fuente de Xalon
El Pozuelo
Cueuas
Veraton
Agreda
Bormediano
Los faios
S. Martin
Torrellas
S. Cruz
Lituenigo
Mojon delos Reinos de Caſtilla Aragon i Nauarra
TARAÇONA
Litago
Trefmoz
Puruyoſa
Anon
Tortolas
S. Olario
Alcala de Moncayo
Verusle
Grisel
Islamantes
Samanges
Conchillos
Nouallas
Mte Agudo
Vora
Birlas
Mallon
Calcena
Ambol
Bulbuente
Ribas
Malejan
El Buſto
Boria
Aiſon
Alueſa
Bureta
Magallon
Aleuriza
Ayon
Ganarul
Trefeno
Veſtimbre
Mallen
Cortes
Neuillas
El Caſtillo de Sancho Abarca
Los Monegros
R. Alhama
Corella
Alfaro
Cadreita
Valtierra
Arguedas
Castante
Varillas
Murchante
Abitas
R. Queiles
Tudela
Fontellas
Morillo
Cauanillas
Riba forada
Fuſtiñana
Buñuel
R. Ebro
Mte Agudo
Nouallas
Mallon
Castante
Varillas
Murchante
Abitas
R. Queiles
Tudela
R. Ebro
Arguedas
Morillo
Fontellas
Cauanillas
Fuſtiñana
Buñuel
Cortes
Mallen
Neuillas
El Caſtillo de Sancho Abarca

CATALONIA
PRINCIPATVS.

CAtaloniæ regio, alicubi citerior Hiſpania, Tarraconenſis conventus, alibi Aquitania ac Hiſpaniarum limes, aut finis, Marchia Hiſpanica, Comitatus Barcinoniæ ac Hiſpaniarum Marchionatus olim nuncupabatur. Quot enim urbes è Saracenorum manibus eripiebant in hac olim regione Barcinonenſes Comites, tot ſibi debellaſſe Hiſpanias fatebantur. Poſt ipſorum ergo ævum, nempe filiorum Arragonenſium regum tempeſtate, ut regio iſta peculiari aliquo nomine à reliquis coronæ Aragonum regnis ſecerneretur, incepit vocari Catalonia, à nomine (ut arbitror) vetrerum ſuorum progenitorum ac incolarum, aut Gothorum & Alanorum, aut Otgeri Catalonis à Carolo Martello ad debellandas Hiſpanias miſſi, aut certe utrorumque. Recens enim eſſe Cataloniæ nomen affirmant Catalonicæ rei ſcriptores. Principatus titulo gaudet. Primam ſe in Hiſpanias ab ortu Solis ingredientium pedibus calcandam præbet. Ad Occaſum proximos ſibi Valentinos & Arragonenſes habet: ab illis Alcanare ſeu Cenia fluvio; ab iſtis Arneſio alicubi flumine, alibi amnium Iberi, Sicoris, ac Nogueræ Riparcurtianæ quibuſdam partibus ſeparatur. Ad Meridiem in Mediterraneum mare converſis frontibus omni ſua longitudine tenditur. Ad Ortum in Salſulæ lacu munitiſſimaque hujus nominis arce, ibi à Carolo V Imp. exſtructa, contra expugnatu difficile Leocatæ caſtellum, quod in fronte eſt aut atrio Galliæ, vicinam tangit Aquitaniam. Ad Septentrionem denique Pyrenæis montibus clauditur, etſi quondam in hoc tractu latius patuiſſe ipſam, exploratum ſit. Plura enim ad Galliam nunc ſpectantia, Fuxenſemque inter illa Comitatum complectebatur. Habet in circuitu pluſquam milliaria Italica octingenta: in longitudine à Salſulæ lacu uſque ad Valentinos ducenta & quinquaginta: in latitudine vero à Carolitana valle, ſeu à coronata Abiete ad Barcinonenſe uſque littus nonaginta quatuor. In *veterem* & *novam* dividitur. Veterem appellant, quæ à Pyrenæis montibus incipit, & verſus Occaſum in Rubricatum partim, atque in Cardonerium ex parte deſinit fluvios: Novam, quæ inde ad Valentinos uſque & Arragonenſes decurrit. Complectitur Metropolim *Archiepiſcopatumve* Tarraconæ: *Epiſcopatus* octo, Barcinonæ, Gerundæ, Vrgelli, Vici, Ilerdæ, Dertuſæ, Helenæ ac Celſonæ. Viginti octo magnas Benedictinas, Ciſtercienſeſque Abbatias: *Principatum* Tarraconæ: *Ducatus* duos, Montis Albi, & Cardonæ: *Marchionatus* quinque, Ilerdenſem, Dertuſenſem, Pallearienſem, Camaraſenſem, & Itonenſem: *Comitatus* decem & octo, Barcinonæ, (hic autem omnes alias longe ſuperat Cataloniæ dignitates) Gerundæ, Vrgelli, Cerretaniæ, Biſuldimi, Roſſellionis, Emporiarum, Auſoniæ, Minoriſæ, Pratarum, Palamoſii, Petrælatæ, S. Columbæ à Queralto, S. Columbæ à Scintilliis, Savallanii, Vallisfogonæ, Guimerani, & Montis-acuti: *Vicecomitatus* quatuordecim, Barcinonæ, Gerundæ, (hoc enim iſtæ duæ civitates etiam decorabantur olim titulo) Caprariæ, Baſſi, Rocabertini, Caneti, Inſulæ, Caſtriboni, Erilii, Querforati, Villæmuri, Ageris, Scornalbonis, & Iochi: *Baronias*, Montis-Catheni, (cujus Baro erat olim totius Cataloniæ Seneſchallus) Pinoſii, Carvilionis, Erilii, Ripellorum, Angulariæ, Cervariæ, Mataplanæ, Alemani, Lacunæ, Entencæ, & aliorum multorum oppidorum.

Nomen.

Limites.

Archiepiſcopatus. Epiſcopatus.

Principatus.

Aërem habet æſtate ubique commodum, hyeme temperatum, in littorali præſertim, quæ Auſtralis eſt, ſui parte. Nam in ea qua ad Septentrionem vergit, frigidum ſatis & nivoſum habet illum. Tota eſt plurimum montoſa, præterquam in nonnullis ſuis regionibus planities quaſdam habentibus, quarum celebriores ſunt, quæ Vrgelli, Pænitenſis, Tarraconæ, Auſoniæ, Gerundæ, Roſſellionis, & Cerretaniæ ſortiuntur nomina. Montes etenim & colles paſſim in ipſa, illique excelſi, non nudi, ſed ita & viridibus ſemper herbis, ac arbuſtis, & vario multiplicique arborum genere conſiti, ut fere omnes ſint nemoroſi, ſilvis nemoribuſque referti. Fagus in eis plurima, multiplex pinus, numeroſa quercus, ilex non pauca, abies innumera, corylus ac caſtanea abundans, infinitumque propemodum ſuber, cujus cortex præcraſſus & renaſcens. Hæ autem & aliæ plures montium arbores ita præ nimia terræ ubertate, magnaque perennium multitudine fontium ſunt elegantes, ut laſcivire luxuriarique quodammodo videantur, ramos frondeſque juſto plures emittentes: inde fit, ut innumeræ ſint per ſaltuo-

Regionis qualitas.

Diviſio.

CATALONIA

REYNO DE ARAGON

REYNO DE VALENCIA

COMTAT DE COSERANS Y DE COMENGE

PARTE DE FRANCIA

MARE GALLICVM

PARS TERRANEI

MARIS MEDI

Scala milliarium.

Hispanicorum.

Gallicorum.

Guilielmus Blaeu excud. Amsterdami,

ſa nemora feræ, pecoriſque omnigeni vis undique magna. Sed cum adeo pulchri ſint montes & colles, qualia (rogo) prata erunt, qualeſque, quæ inter omnes ſunt, valles? Prata profectò herbida, paſcua late florea, gratæque ſupra modum convalles. Non-
Fluvii. nullæ illarum ſcaturientibus fontibus, nonnullæ vero fluviis ſunt irriguæ. Rivis enim Catalonia affluit ac abundat, cum quinquaginta ferme per ipſam decurrant, illique omnes piſcoſi, quidam parvi, ſed ſpectabiles, quidam mediocres, & quidam tandem celebres. Tethis nempe, (qui & Ruſciſon,) Techuum, (qui & Tetrum,) Fluvianus, (qui & Clovianus & Plumialbus,) Ticer, Tordera, (qui & Tarnum,) Beſotium, (qui & Biſocto & Betulo,) Rubricatus, Cinga, Sicoris & Iberus. Hi omnes in mare influunt, præter Cingam & Sicorim. quorum ille in Sicorim, hic vero in Iberum, qui & horum & aliorum bibens aquas, unus è majoribus efficitur Hiſpaniæ fluviis. Tota regio, ejuſque tellus vini, olei, frumenti, totiuſque leguminis & pomi generis adeo ferax, ut horum proventu nulli alteri regioni cedat. Non deſunt
Minera-lia. ei auri, argenti, reliquorumque metallorum fodinæ: illud tibi aſſerant optimi auri argentique ramenta, quæ Sicoris fluvius, nonnullaque alia Cataloniæ flumina ex locis per quæ fluunt, cum inundant, abradunt. Ferrum in ſuo genere optimum in magna abundantia in hoc Principatu effoditur, licet non in tan-
Gemmæ. ta æs, ſtannum & plumbum. Nuper inventa eſt apud Signimontem vena ferax gemmæ violaceo perlucentis colore, amethyſti nomen ſortitæ, quod uſque ad vini colorem accedens, priusquam eum deguſtet, in violam deſinit. Fulgor quidam in illa eſt purpuræ, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Ibidem, & in Nuriæ montibus, Cadinenſibus in rupibus invenitur cryſtallum. Coralium naſcitur optimum in Catalonico mari ad Solis ortum. Gemma onyx humani unguis candorem referens, intervenientibus venis quibuſdam Sardæ & Iaſpidis colorem imitantibus, in oppidi Tivicæ confinio. Hæmatites vero ſiſtendi ſanguinis virtutem habens, in Rubricati ortu reperiuntur. Abundans eſt apud Dertuſenſes jaſpidis lapicidina, multis coloribus tranſlucentis, purpureo, viridi, pallido, roſaceo, albo & obſcu-
Marmo-ra. ro. Tarraconæ & Beudæ plura marmorum genera, Parium, Lucullæum, Ophites, ac Porphyrites: & in Serrealenſi oppido ſolida tranſlucentiaque effodiuntur alabaſtra, ex quibus cum fiant ſpecularia, hoc eſt feneſtræ admittendæ luci, & excludendo vento idoneæ; ipſa ſunt profecto ſpeculares illi lapides, quibus ſcatere citeriorem Hiſpaniam fatetur Plinius. Cærulei coloris terram Mons Lætus ſeu hilaris confert. Populeti vero confinium alumen, ac etiam chalcanthum, vulgo vitriolum, quod & atramenti ſutorii nomen accepit.

Vtiliſſima funibus cannabis ſeritur in Catalonia: ipſaque eſt, quæ teſte Plinio, habet ſplendorem lini præcipuum, tenuitatemque miram, torrentis, in quo politur, natura, qui alluit Tarraconem, ibi primum carbaſis repertis. Ex ipſis olim fiebant navium vela; unde carbaſa appellabantur. Et quoniam in hanc rem incidi, non poſſum in laudem Cataloniæ rerum omnium indigenæ copiæ non referre, regionem hanc à fundamento ipſo carinæ ad ſuprema uſque carbaſa, conficere onerarias naves, & præſertim triremes, omnibuſque armamentis inſtructas, mari paſſim apud Barcinonam committere. Hanc quoque *Populoſi-tas.* Cataloniam rerum omnium indigenam copiam ac ubertatem perſpicuam ſane reddunt tot illæ ædes, & luculenter quidem exſtructæ, quæ ab urbibus oppidiſque ſejunctæ, per totam regionem ita in planiciebus, agris, vallibus, collibus, montibus, ſilvis ac nemoribus paſſim ſunt ſparſæ, ut tota Catalonia urbs una quodammodo cenſeri valeat. Caſtellis arcibuſque natura, loco, ac arte munitis abundat ubique.

Integerrimam ejus Chriſtianam fidem lau- *Pietas.* dare ſatis non potero: ſummam vero ejuſdem pietatem indicant abunde tot per ipſam ſparſæ Eccleſiæ, totque ubique clara cœnobia. Plures peperit viros & fœminas ſanctitate ful- *Sancti.* gentes, Eulaliam nempe Barcinonenſem virginem & martyrem, Severum Epiſcopum Barcinonenſem & martyrem, Emiterium, Anaſtaſium, Vincentium Caucoliberitanum, Lucianum & Marcianum martyres, Otonem & Ermengaldum Vrgellenſes Epiſcopos, Bernardum Calvonem Epiſcopum Vicenſem, Olegarium Epiſcopum Barcenonenſem ac ſimul Tarraconenſem Archiepiſcopum, Raymundum à Pennaforti ordinis Prædicatorum, ac plures alios, quos hoc in loco recenſere longum eſſet.

Gymnaſiis omnium ſcientiarum litterariis *Res geſtæ.* ſeptem eſt inſignis. Linificio, artiumque cunctarum opificiis ſcatet. Splendet hominum robore, prudentiaque mirabili, rerum geſtarum memoria, ac victoriis multarum gentium altercantibus. Nam Pœni in incolas, Romani in Pœnos, in Romanos Gothi, Saraceni in Gothos, ac in Saracenos Galli, pluresque ſuperſtites Gothi regionis adhuc incolæ, ac deinde Barcinonenſes Comites, in Catalonia plurimum decertarunt. Bella autem, quæ mox Barcinonenſium Comitum filii reges Arragonum nationibus exteris intulerunt, victoriaſque magna cum omnium admiratione partas quis valebit referre? Majorca, Minorca, Ebuſa, Murcia, Valentia, Sardinia, Sicilia & Neapolis, ac in Græcia Athenæ, Neopatriaque indicare id poſſunt.

Mi-

Mirabilia.

Mirabilia autem ſeu miracula naturæ & gratiæ, quæ regionem aliquam condecorare ſolent, in Catalonia ſunt pene innumera. Specus enim eſt mirabilis, & intra ipſum conſtructa S. Michaëlis à Fago Eccleſia, pervetuſtumque Benedictinum cœnobium, ſuper cujus tectum fluvius quidam non parvus, quem incolæ Tanez vocant, decurrit, & inde ſtatim delabitur, ac præceps ruit, præcipitationeque ſua, & aura inde conſurgente, plurimum oblectat adſtantes. Stuporem excitat in Roſſelionis Comitatu quidam in Pyrenæi vertice altiſſimus mons, Canus (ni fallor) à nivium canicie ſeu albedine, quibus eſt hyeme ac æſtate opertus, nuncupatus. In ejus cacumine lacus eſt magnus, immenſe profundus, multis, illiſque miræ magnitudinis abundans Tructis piſcibus: in quem ſi quis conjiciat lapidem, tumultuantur ilico aquæ, ac vapores mittunt in altum; quibus in formidabiles nubes converſis, continuo tempeſtas adeſt, fulgurat, tonat, ac grandinat. In Epiſcopatu Gerundenſi, ad Auſtrum collis eſt albæ tenuiſque arenæ, quæ (ſicut in Libya) vento hinc inde, magno cum itinerantium periculo, circumfertur. Hoc vero jam mirabitur aliquis, ut eſt profecto admiratione dignum, inveniri in Cardone oppido, quod eſt Ducatus titulo clarum, nativi ſaluberrimique ſalis multicolorem montem, contra Solem varie refulgentem, in quo (ſicut de Oromene monte in India refert Plinius) lapicidinarum modo cæditur renaſcens. Renaſci enim omnibus eſt perſpicuum, imo & eo amplius in altum creſcere montem, quo magis ſal in ejus cæditur fodinis. Aliud etiam in eo mirabile, quod cum locus, in quo reperitur ſal, ſterilis ſit, nihilque gignat, pinos tamen & vites plures habeat hic mons. Magnum provenit ex eo Ducibus vectigal. Hoc autem in loco qui fieri poterit, ut *Montem Serratum* oblivioni tradam, ad occaſum ſeptem leucis à Barcinonia diſtantem. Editiſſimus eſt ac ſcopuloſus undique ad modum ſerræ, ſaxis eminentibus quaſi jaſpideis plenus, ex quibus in Pyrenæos, ac inſulæ Majoricæ remotiſſimos montes patet proſpectus. Vndecim millia paſſuum in circuitu habet: nonnulli in eo ſcaturiunt fontes: plures gignit medicinales herbas, Rubricatoque fluvio ad ſeptentrionem alluitur, & tandem ſicut Soractis in Italia, & in Galilæa Tabor, ſolus ibi conſurgit. Quapropter ſuo aſpectu non parum delectat. Idola colebantur olim in ipſo, nunc vero Deiparæ Virginis devota imago, in antro quodam miraculoſe ibi reperta à tot retro annis, ut negari nequaquam valeat, Barcinonæ Comitem Guifredum hujus nominis Secundum, ſanctæ Cæciliæ Abbatiam, ac alias hujus montis Eccleſias, (quarum præcipua, quæ Deiparæ continet imaginem, erat) tuliſſe de Agarenorum manibus circa annum 875. Quæ vero ad ſanctiſſimæ ſuæ Matris preces Deus operatur in hoc monte miracula, quis recenſere poterit? Ex toto propterea orbe numeroſa hominum multitudo ad ipſum quotidie confluit. Perilluſtre eſt ibi Benedictinum Cœnobium. Apud Roſſelionem in S. Felicis ſuperiori Eccleſia, quolibet anno, Annunciationis Dominicæ nocte, in altaris ara, quæ Lucullei, hoc eſt, atri marmoris eſt, valde tenues oriuntur characteres nonnulli, incrementum poſtea ſuſcipientes paulatim, ſed à nullo quoad ſignificatum plene comprehenſi hucuſque. Iam vero fontem habet Balneolenſis ager, aurei coloris quicquid in ipſum projicitur oſtendentem. Cur enim hoc non cenſebo in Catalonia naturæ miraculum, cum fontium miracula enarrans Plinius, fontem proferat in Carrinenſi Hiſpaniæ agro, aurei coloris omnes oſtendentem piſces, nihil extra illam aquam ceteris differentes? Sed quid, ſi tandem dicam, omnia orbis elementa quaſi perennes fontes mirabiliter in Catalonia ſcaturire? De aqua negabit nullus, cui quem ſanctus Dei athleta Maginus in arido, montoſo, ſaxeoque loco, fuſis prius ad Deum devotis precibus, baculo ſuo aperuit, notus eſt ſalutifer ille fons, cujus potus paſſim etiam ac abunde ſumptus, non ſolum non eſt ſtomacho gravis, verum & multiplici languore detentis hominibus miraculoſe medetur. Non minus in admirationem rapit fons ille parvus apud Arelatum Roſſellionis Comitatus oppidum, in lapideo quodam emanans Benedictini Cœnobii magno ſepulchro, à templi pariete aliquantulum, à terra autem ſuper ſaxeas columnas, illaſque non fiſtuloſas, ſeparato ſatis: licet non ruat inde aqua, niſi per foramen parvum immiſſo prius linteolo & deinde extracto. De terra etiam quid clarius eſſe valet? Quis enim illam apud Prædicatorum Eccleſiam, virgini & martyri Catharinæ dicatam, mirabiliter Barcinonæ ſcaturire negabit in illo terreo ſarcophago, in quo D. Raymundus à Penna-forti ejuſdem Ordinis tertius olim Generalis Magiſter fuerat primum humatus, cum ab antiquo ultra annos trecentos tempore tam ingens pulveris, ſeu terræ tenuis, mirabiles præſtantis ſanitatum fructus, ab ita exiguo loco extracta ſit moles, ut plura profunda antra, & altè defoſſi ſcrobes, vix ipſam capere potuiſſent? De Aëre, res hæc explicatu eſt facilis: contra Aulotum namque oppidum, quod alluit Fluvianus, duodecim ferme ſunt aërei fontes, noctibus ac diebus, hyeme & æſtate tenuem ſemper ſpirantes aërem, hyeme calidum, æſtate vero ita gelidum, ut vix parvo etiam temporis ſpatio quis poſſit illum ferre, & aquæ hydrias ibi in antris quibuſdam, data opera, ab incolis conſtitutas, frigidas ac pene nivoſas reddat,

Mons Serratus.

dat, delicioſum contra ſtomachi æſtum præbentes potum. De igne autem qua ratione quod de reliquis jam oſtendi elementis ſuadere potero? Aſſignabone montem aliquem, qui noctibus ſemper ardeat, quemadmodum in Siciliæ inſula ardet mons Æthna? Nequaquam plane: proferam tamen fontes non paucos aquarum & noctibus & diebus ſemper calidarum, quæ ignem ibi indicant latentem in terræ viſceribus: plures enim quam quatuor ſunt hi calidi fontes in Catalonia, illique omnes non parum uberes, & multis auxiliandi generibus præſtantes: ad quos propterea plures undique confluunt infirmi. Sed jam ad urbes nonnullaque ex celebrioribus Cataloniæ oppidis deſcendamus.

Barcelona. Barcinonia, Laletaniæ, imo & totius Cataloniæ præcipua eximiaque urbs in maris ora, promontorii cujuſdam ſatis editi, multis ab hinc annis Iudaici vocati, ab antiquis Iudæorum ſepulchris, quæ in eo ſunt, olim Iovis fortaſſe dicti, vulgo *Monivyque*, (qui & ſaxeus, & terreus, fontibus irriguus, fertilitateque eſt decorus,) adhæreſcit radicibus, ſupra montem conſtructa modicum, qui ab antiquis nuncupatus eſt Taber, in cujus vertice pluribus magnis columnis, quarum non paucæ perdurant adhuc, inſidebant olim horti penſiles, ita profecto ſimiles Babylonicis hujus generis hortis, ut miraculum ſicut & illi vocarentur, hoc eorum nomine ad Barcinonenſis Comitis Raymundi Berengarii primi tempeſtatem uſque perdurante, nunc autem in Paradiſi nomen mutato, quod & hortos ſignificat. Hercules Ægyptius condidit urbem, ut plures clari ſcriptores arbitrantur; auxit vero Pœnorum Dux Hamilcar Barcino, à quo fortaſſe & tunc Barcinonæ nomen accepit, etſi alii hunc eſſe credant primum urbis conditorem. Romanorum tempore, cognomento Faventia dicebatur, erat una ex duodecim Romanis coloniis citerioris Hiſpaniæ: Gothorum vero tempeſtate, Ataulfi primi eorum in Hiſpania regis regia ſedes fuit, Barcinonenſium tandem Comitum ævo, comitalis eorum urbs. Epiſcopalis ſedes ſanctiſſimæ Cruci conſecrata, ſanctæ Inquiſitionis Tribunal, Concilium regium, litterarius univerſarum ſcientiarum ludus, perpolita templa, cœnobia inſignia, lapideæ domus, elegantes viæ, perennium ſcaturigo fontium, horti malorum aureorum, limonum ac citronum numeroſi paſſim, jucundus undique proſpectus, murus duplex, ac ex parte triplex, vallo profundo cinctus, propugnaculiſque munitus, Mole (quod quaſi portus eſt) elegantia ac longitudine adeo, etſi nondum finitum, tam excellens, ut & triremes, ac onerariæ etiam naves ſecuritate in eo gaudeant, hyemareque poſſint: Fertiliſſimæ telluris latus ager Rubricato Beſorioque fluviis clauſus, & plura denique alia memoratu digna urbem hanc reddunt præclaram. Epiſcopo 12000 ducatos annuos tribuit.

Tarragona. Tarraco, regionis Coſſetaniæ princeps pervetuſtaque urbs, in maris ora occurrit, etſi Tubalis tempore quidam velint conditam, vocatur tamen à Plinio Scipionum opus, quod ipſi à populo Romano in Hiſpanias contra Pœnos, ſeu Carthaginenſes miſſi, illam vel condidere, vel auxêre plurimum, munitiſſimamque ac Pœnis formidabilem reddidêre. Colonia fuit Romana, imo & unus ex ſeptem illis conventibus, in quos citerior dividebatur Hiſpania, quæ & Tarraconenſis ab hac tanta urbe dicebatur. Univerſis pacatis gentibus in eam receſſit Cæſar Auguſtus, indeque tunc ab ipſo exiit edictum illud, quod Lucas refert, ut deſcriberetur univerſus orbis, quemadmodum multi probati ſcriptores, ac inter illos Gerundenſis Epiſcopus, ſuadere conantur. Metropolitana gaudet Eccleſia divæ Theclæ dicata, quæ plures olim complectebatur Epiſcopales ſedes, nunc vero eas tantum quæ ſunt in Catalonia. In montis vertice conſtructa, fortiſſimis altiſque mœnibus cingitur, ac mirabili quodam fruitur in orbem proſpectu: nam mare ad meridiem, ad ſeptentrionem vero latiſſimum ſuum agrum, quem campum appellant, intuetur, multis magniſque oppidis, *Cambris Reus* (incolarum nominibus ea profero) *Valis*, *Alcover*, *Salva*, & aliis clarum, vinique, frumenti ac olei feracem, in cujus extrema parte editiſſimi Pratarum montes conſurgunt. In ipſis eſt Sivranæ expugnatu difficillima, rupibuſque inacceſſa arx. Pratarum oppidum illius Comitatus caput, ubi emporium nobile in annos ſingulos celebratur. Mons-albus Ducatus titulo clarum oppidum, & inter hæc celeberrimum Populeti Ciſtercienſe cœnobium, Arragonenſium regum ſepulchrum, in loco plurimis optimiſque fontibus irriguo.

Tortoſa. Dertuſa, in extrema Ilercaonum populorum littorali parte, quæ ad Solis ortum vergit (hoc enim ſimilibuſque nominibus, quibus & Plinius & Ptolemæus uſi fuere, Catalonicas regiones & voco & circumeo;) urbs eſt non parva, civium Romanorum olim populus, à mari leucis quatuor remota, monti amœniſſimo, variiſque arboribus referto adjacens; in longum extenſa ad auſtralem marginem Iberi amnis, ea in parte plurimum & navigabilis ac piſcoſi magnis optimiſque marinis piſcibus; ſalmonibus, qui aqua dulci ſemel guſtata, vix unquam in mare regrediuntur; lampretis etiam, ac præſertim aleſis ſeu triſſis, vulgo *ſabogas*, quæ ova ibi generant, & aquis fovenda committunt, totoque fere verno tempore in fluvio perſeverant. Gymnaſio litterario in regio Prædicatorum col-

le-

legio exornata, pulcherrimi multicoloriſque jaſpidia lapidicina excellens, oleo redundans, ſerici probati copia nobilis, ac tandem Epiſcopali ſede refulgens, quæ Epiſcopo 14000 ducatos ſingulis pendit annis, huic præfuit Adrianus Cardinalis Belga, poſtmodum ſupremus Eccleſiæ Romanæ Pontifex nominatus Adrianus VI. Nonnulli putant ipſam eſſe urbem illam Iberam hoc tractu ab Ibero Tubalis filio; ſecundoque poſt diluvium Hiſpaniarum rege conditam, quam ea temporis tempeſtate, qua in hujus urbis confinio non procul ab ipſa duo Scipiones Publius & Cneus Aſdrubalem Annibalis fratrem vicerunt, regionis ejus fuiſſe opulentiſſimam, Titus Livius ſcribit. Sed Iberam ad amnis occidentalem marginem, ut locat quidam; alii autem eandem in amnis ore: ſic ego credo in locum, ubi nunc eſt, inde fuiſſe tranſlatam.

Lerida. Ilerda, teſte Plinio, Surdaonum gentis, civium Romanorum populus; teſte autem Ptolemæo, regionis Ilergetum præclara urbs, excelſo adjacet monti ad auſtrum, imminetque Sicori, aliquorum fluminum acceſſione jam plurimum aucto, apud quam ejuſque confinium plura magnaque fuerunt Cæſaris prælia cum Afranio & Petrejo Pompejani exercitus ducibus. In montis cacumine arx eſt valde munita, ac intra ipſam domus olim regia Arragonenſium regum, moxque paulo inferius templum urbis maximum, & Epiſcopi peroptima domus. Epiſcopali enim ſede fulget urbs, & reditus ſunt 12000 ducati annui. In templo autem maximo maximum eſt lapideum ac pulcherrimum periſtylium, ex cujus latis ingentibuſque feneſtris latiſſimus patet proſpectus in urbem ad montis deſcenſum conditam, in flumen ipſum, ac in late patentem ejus florentiſſimam ripam. Scientiarum omnium eſt ſplendidum in hac urbe Gymnaſium. Ad occaſum habet in eadem Sicoris ripa Hitonam non contemnendum oppidum, Marchionatus titulo celebre, cui nobiliſſima domus à monte Cathено dominatur. Non deſunt qui aſſerant illud eſſe Octogeſam oppidum, cujus meminit Cæſar in ſuis Commentariis. Sed decipiuntur omnino: nam Hitona ſatis diſtat ab Ibero, Octogeſia autem (teſte eodem Cæſare) ad Iberum erat poſita. Hæc poſtea corrupto vocabulo, appellata fuit *Ictoſa*, in qua Gothorum tempore erat ſedes Epiſcopalis, Ictoſenſis vocata. Nunc autem illud oppidum vocatur *Mequinença*, quod in ipſo eſt angulo, ubi Sicoris in Iberum influit.

Vrgel. Sedes Vrgelli ab Hercule Ægyptio condita urbs, Vrgellum ab eodem, ut ajunt, vocata, quod tunc in eo tractu bellis urgeret terræ incolas, inter editos montes vitibus conſitos, in valle feraci tritici feraciſſima ad ſeptentrionalem Sicoris ripam eſt conſtituta, Epiſcopali refulgens ſede, cujus reditus annui 9000 ducati, olim Comitatus celeberrimi caput. Ad urbis lævam habet vallem Andorræ: ad dextram, Solſonam, olim regionis Ilergetum urbem, Caleam à Ptolemæo appellatam, at deinceps Celſonam communiter dictam, quaſi aliquid cœli celſitudine arcis ſuæ veteris ſonantem, in urbem noſtra tempeſtate iterum erectam, & Epiſcopali ſede decoratam: & Cardonam etiam oppidum in nativi multicoloriſque ſalis monte, de quo jam in ſuperioribus egi. ad Solis vero Occaſum, & Vice-comitatum Caſtriboni, non ſolum nomine, ſed re ipſa quoque boni ac munitiſſimi, & Palearienſem Marchionatum, Noguera Palearienſi fluvio affuſum, Epiſcopo olim clarum circa annum 940, numeroſiſque inſignem oppidis, quorum unum ab incolis *Tremp* vocatum, domibus vix ducentis cum exornetur, tanta tamen gaudet nobilitate, ut ultra viginti illarum ſint commorantium ibi equitum populis dominantium.

Gerunda, optima urbs regionis etiam Au- *Girona.* ſetaniæ, Latinorum olim populus, excelſo adjacens monti. Flumine Vnda, vulgo *Mar*, mox in Ticerim influente, affuſa à Geryone trium Geryonum fratrum patre, Deabo & Chryſauro etiam vocato, Hiſpaniarum ante Herculem Ægyptium rege, nomen, ut volunt, accepit. Plures enim credunt conditorem ejus eſſe hunc Geryonem. Sede exornatur Epiſcopali, cujus maximum templum Deiparæ Virgini conſecratum, habet altare ditiſſimum, ſi quod aliud eſt in Hiſpania, auro, argento, gemmiſque alia fere omnia ſuperans. Gymnaſium quoque eſt in ea litterarium: olim Primogeniti Regum Arragoniæ Comitum, poſt etiam Principum Gironæ utebantur titulo. Confinium ipſius late patet, multis magniſque oppidis, & tellure ſuper omnes alias Cataloniæ regiones pingui ac fertili, rerum omnium copia à natura donata non parum ſplendens. Ad meridiem habet Blandam, ubi Tordera in mare influit, Caput Toſſæ, ac Palamoſii portum: ad ſeptentrionem vero Aulotum oppidum magnum, fontibus aëris nobile, in Fluviani ora illuſtre oppidum, quod olim urbs erat mediocris, Becula nuncupata, ac Epiſcopalem habuit ſedem in monaſterio S. Salvatoris, Benedicto Papa hujus nominis VIII eam erigente anno 1017, ad humilem petitionem Beſuldunenſis Comitis Bernardi, cognomento Talaferi, ejuſque fratris Guifredi Cerretaniæ Comitis, filium Guifredum Abbatem monaſterii S. Iohannis Rivipolenſis, dicti vulgo *de las Badeſas*, in primum Epiſcopum conſecrante, qui & poſtremus etiam fuit.

Helna, hinc ab annis tantum ducentis ſic *Elna.* dicta, à priſcis vero Helena ſemper appellata, urbs eſt regionis Sardonum, duabus nondum leu-

leucis à mari diſtans, ad orientalem marginem Techi fluminis quod à Romanis Tetrum appellabatur, quod per plures metallorum, ac præſertim ferri venas ſcaturiens, nigrum geſtet colorem, & plurimum propterea ad irrigandum noceat. Ab Helena Conſtantini matre urbem fuiſſe conditam volunt plures; alii vero in ipſius honorem à Conſtante nepote ejus, qui ibi è vivis deceſſit, ut Eutropius & Paulus Oroſius divi Auguſtini diſcipuli ſcribunt. Epiſcopali ſede exornatur, cujus reditus annui 4000 ducati.

Vique. Vicus, regionis Auſetaniæ caput, populus olim Latinorum, Auſæ, Auſonæ, ac Auſoniæ nomina habuit prius, vel ab hominum auſu, quod ejus incolæ ceteris confinitimis ſint audaciores, vel ab Italis Auſoniis ejus conditoribus in ſecundo Herculis Ægyptii in Hiſpanias adventu. Magna opulentaque fuit ad Ludovici Pii tempeſtatem uſque, qua Ayzo ille Viſigothus Imperatori in Aquitania rebellis in hanc regionem veniens, Auſonam fraudulenter doloque ingreſſus, totam illam deſtruxit. Poſtea vero erecta iterum urbs appellata eſt Vicus, quod non niſi quaſi magnæ illius veteris civitatis vicus unus fortaſſe videretur. Epiſcopali ſede Apoſtolorum Principi Petro conſecrata, periſtylio, vulgo clauſtro, lapideo magno, eleganti ac perpolito in templo maximo, foroque ſpatioſo valde eſt clara, reditus annui ſunt 6000 ducati. Eam egredientibus patentiſſimus campus occurrit, frumenti ferax, ad Signi-montis altiſſimi radices, nivibus fere ſemper operti, herbilegis lapidariiſque maxime noti, qui ad ipſum confluentes multa herbarum genera, cryſtallum, gemmamque amethyſtum colligunt. Gemmifer enim eſt mons. Ad ipſius auſtrum in maris ora floret luculentum oppidum Mataron, Ptolemæo vocatum Diluron, ubi vitrea vaſa mirifice fabrefiunt.

Solſona. Soſonla Civitas, Epiſcopatus conſtitutus eſt à rege Philippo II, reditus cujus annui ſunt 4000 ducati.

Balaguer. Balagarium Ilergetum læta pulchraque urbs ad radices excelſi montis, in cujus vertice arx olim erat munitiſſima, adjacet Sicori fluvio in ipſius ſeptentrionali ora. Ejus agri ubertas ac feracitas vix pro rei dignitate laudari poteſt. Ad auſtrum habet Vrgelli latiſſimum campum, etſi non irriguum, frumenti tamen multi & optimi feraciſſimum, pluribus oppidis, Cervaria, Tarrega, Bellopodio, Acremonte, & aliis excellentem.

Manreſſa. Minoriſa, ejuſdem Laletaniæ mediterranea urbs ad ſeptentrionem, etiam leucis ſeptem à Barcinona diſtans, Rubricato Cardoneroque fluviis cincta; fuit olim celebrior longe, nam dirutam civitatem vocavit eam Ermeſondis, Barcinonæ Comitiſſa, Raymundi Borelli uxor: propterea vocatam fuiſſe Minoriſam credo, quod minor eſſet quam antea fuerat: arbitrorque hanc eſſe urbem illam Rubricatam, quam Laletaniæ mediterraneam eſſe agnoſcit Ptolemæus, locatque ad occidentalem Rubricati fluminis oram, ex cujus ruina Barcinona civitas aucta, de tenui oppido in urbem magnam crevit, ut ſcribit Epiſcopus Gerundenſis, etſi non dicat ubi fuerit Rubricata. Ad id vero credendum me compellit, quæ de Rubricata docet Ptolemæus, eam videlicet eſſe Laletaniæ mediterraneam urbem in Rubricati fluminis occidentali ora conſtructam, & quod Epiſcopus Gerundenſis addit ipſam fuiſſe opulentam civitatem, conveniat ſoli Minoriſæ urbi in hoc tractu.

Perpinianum. Perpinianum, regionis etiam Sardonum, non procul à quodam priſco, & jam diruto Latinorum populo, Ruſciſon vocato, à quo Roſſellionis Comitatus poſtea nomen accepit, magnum ac elegans oppidum eſt, omnia alia totius Cataloniæ præter Barcinonam longe ſuperans, à Guinardo Roſſellionenſi Comite Raymundi Berengarii Barcinonenſis Comitis hujus nominis primi tempeſtate conditum, fortiſſimis muris, propugnaculis nunquam ſatis laudandis, alveoque profundo cinctum, quod arcem habet loco, arte, tormentis bellicis, militibuſque adeo munitam, ut me hercle expugnatu ſit apprime difficile, hoſtibuſque plurimum formidabile. Alluit illud Ruſciſon fluvius, ad irrigandum tellurem ita aptus, ac adeo ipſam ſua ubertate quaſi ubere materno fœcundans, ut propterea à Romanis ſit Tethis vocatus, vulgo *Latet*, quod uxoris Oceani matris Nympharum, quas aquarum deas appellarunt Poëtæ, nomen fuit. Tellus eſt ferax & frumenti & vini.

Colibre. Illiberis, nunc Colibre, in regione Sardonum, quam Sardeniam, aut Cerretaneam appellamus, in ipſa maris eſt ora, ultra Veneris Pyrenææ templum, ejuſdemque tutiſſimum portum, tenue ſane veſtigium magnæ quondam urbis, teſte Plinio. in qua (ut plures clari ſcriptores aſſerunt) & non in illa, quæ ejuſdem nominis in Bætica prope Granatam erat, concilium illud celebre Illiberitanum, quod omnium aliorum Hiſpaniæ primum eſt, celebratum fuit Conſtantini Imperatoris tempeſtate: quæ ſententia in hiſtoria Barcinonenſium Comitum annis præteritis vulgata, longe lateque aſſerta eſt in lib. 1, cap. 11. Vbi etiam demonſtratur ſede Epiſcopali exornatam extitiſſe urbem hanc. Duplex eſt in oppido arx, utraque loco & arte ſatis munita.

Empurias. Emporium, regionis Indigetaniæ ad Fluviani etiam oram non procul à mari, nunc parvum humileque oppidum, olim vero maxima opulentiſſimaque urbs à Græcis Phocen-

censibus condita, & à Iulio Cæsare in Hispanias contra Pompejanos veniente plurimum aucta, ac in Romanam coloniam, civili perdurante bello erecta. In tres illo ævo erat partita civitates, mœnibus, custodiis, ac idiomatibus sejunctas, aliam adversus aliam se tutantes. Quæ ad Solis ortum vergebat, Græcorum erat; Romanorum quæ ad occasum; & quæ ad septentrionem, veterum terræ incolarum. Episcopali sede fuit postea insignis, ut in Conciliis, Gothorum tempore in Hispania celebratis, aspicere licet. Ab hac urbe ita nobili universa illa regio, quæ modica non est, vocata fuit Emporitana, nunc corrupto vocabulo *Empurias*. Celebris adhuc erat Maximiani ac Diocletiani Imperatorum tempore, partemque fuisse inde translatam arbitror in locum, ubi paulo ulterius ad Solis ortum, non procul à lacu quodam magno ac pulcherrimo est nunc Emporiarum Castellio nobile oppidum, templo lapideo optimo decorum, mœnibusque altis & alveo circumdatum.

Roses. Rhoda, ejusdem regionis Indigetaniæ urbs antiqua à Rhodiis condita, in ipso Crucum capite ad Solis ortum, ubi nunc est S. Petri Rhodensis Benedictinum cœnobium, claruit; ad quam M. Portius Cato, Censorius appellatus, ad domandos nonnullos rebellantes populos in Hispanias veniens, primum ex portu Lunæ applicuit. perstitit usque ad Gothorum tempora, Episcoposque tunc habuit, qui pluribus interfuere Conciliis. Nunc collapsa omnino jacet: existimoque ipsam fuisse inde ulterius ad Solis occasum, in eadem maris ora coram Portu magno, in locum, ubi nunc est Rosarum oppidum, fortissimis mœnibus tutaque arce clarum, translatam. Rhoda enim Rhodensisque insula, cujus incolæ urbem erexerunt, Rosam profecto significat.

Badelona. In campis Barcinonensibus planis, unica leuca Barcinone disjuncta ad littus maris Mediterranei est *Badelona*, munita arce tutum oppidum, quod Betum Regem Hispaniæ veneratur conditorem.

Centellas. *Centellas*, septem à Barcinone leucis in profunda valle situm oppidum.

Villa Franca. Villa Franca, in eadem Cossetaniæ regione, mediterraneum oppidum, numerosis domibus excellens, vallo mœnibusque cinctum, vocabatur antea Turris Delæ, olim vero Carthago vetus, quam Pœnorum Dux Hamilcar Barcino Annibalis pater construxit. Ab his Pœnis, qui Carthaginenses erant, regionem illam frumenti feracissimam, non contemnendis populis, arceque, etsi jam fere diruta, Pennæ-fortis, à qua D. Raymundus à Penna-forti fuit oriundus, insignem, appellamus adhuc Pœnitensem. Hoc enim in loco Carthaginem veterem, Tarraconem & Barcinoniam constituit Ptolemæus in sua secunda Europæ tabula, licet non apte in lib. secundo cap. 6, ad ipsas usque mediterraneas Ilercaonum civitates extendat. Ad Austrum habet montes illos mari imminentes, quos incolæ vocant *Cuestas de Garrafa*. ad septentrionem vero in Nojani fluminis hilari ripa Equatam, vulgo *Igualada*, insigne oppidum, ubi Ferdinandus Arragonum rex hujus nominis Primus vitam cum morte commutavit.

Egara. Egara, ejusdem Laletaniæ mediterranea urbs ad septentrionem, quatuor leucis à Barcinona distans, castroque Terracio valde propinqua, eodem nempe in loco, ubi nunc sunt S. Petri Ecclesia, ac monasterium S. Mariæ; claruit sede Episcopali ab anno saltem 460 usque ad annum 675 & ultra. De qua & plura Hispaniarum Concilia, & rex Vamba in divisione Episcopatuum ab ipso facta, meminerunt. Iacet à multis annis omnino diruta, translata, ut credo, in locum ubi nunc est Terracium castrum.

Villa franca de Conflent. Confluenta regio mox ad occasum occurrit, quæ ad Sardones etiam spectat, in magna & angusta valle Tethi fluvio irrigua, inter miræ altitudinis montes, vinum apricis in locis fundentes. Ferrum in ea effoditur abunde, ibique in ferrariis officinis, quas incolæ *Fargas* vocant, ad amnis sparsis oram elaboratur. Habet plura oppida, illaque non parva, quorum celebriora sunt Villa-franca, ac Prata, ab ipsaque non procul S. Michaëlis à Cuxano celebre Benedictinum cœnobium ecclesia mirabili exornatum.

Libiana. Libyca nunc Libya, regionis Sardonum urbs perantiqua, ad septentrionalem Sicoris fluvii non procul scaturientis oram, ab Hercule Ægyptio conditore suo, qui Oron Libycus vocabatur, nomen susceptit; quam postea Iuliam Libycam appellavit Iulius Cæsar. Populus tunc fuit Latinorum, adeo omnes alios Cerretanorum superans, ut Plinius scribat Cerretanos fuisse quoque Iulianos appellatos. Nunc vero ad mediocre oppidum, parvique momenti arcem, etsi tutissimam, redacta est urbs.

Puygcerda. Podium Cerretanum ad septentrionalem etiam Sicoris oram, à podio, monticulove, in quo jacet, sese erigente in quadam Cerretaniæ planitie magna sic vocatam, oppidum est ingens, illius Comitatus Cerretaniæ caput, muris fortibus circumdatum, arce optima exornatum, hominumque robore adeo præstans, ut in hoc tractu vocari merito possit tutissimum Cataloniæ propugnaculum contra Gallos. In cujus confinio, quod pomiferis exornatur montibus, plures sunt lacus amœni, Tructis piscibus piscosi, parvis squammis corpus contectum, guttis rubris stellatum, ac in dorso flavescens habentibus;

quibus & Sicoris ac fere omnes alii Cataloniæ fluvii ſcatent. Multi erumpunt fontes, & inter illos duo ſalubrium aquarum balnearium, unus calidarum, alius (quod plus eſt) frigidarum: varia herbarum genera ad medelam apta naſcuntur, omnigena etiam perdicum albarum invenitur venatio, multicolorque effoditur jaſpis. Ad ſeptentrionem habet Carolitanam vallem ac Pyrenæos montes, in ipſiſque coronatam abietem à Gallia ſeparantem Hiſpanias: ad auſtrum vero eſt Rivipullum oppidum eo in angulo, ubi Freſerus fluvius ſeſe effundit in Ticerim, quod magna quadam Benedictina Abbatia Deiparæ Virgini conſecrata & Barcinonenſium Comitum ſepulchro exornatur. Baganum quoque oppidum olim regionis Ilergetum, urbem inter excelſos montes, Rubricati affuſam ortu, quam Berguſiam Ptolemæus appellat: & Bergam tandem oppidum, olim etiam Ilergetum civitatem, ad Rubricati oram, quam Ptolemæus vocat Berginium.

V A-

VALENCIA.

IN Hiſpania Tarraconenſi, quam Plinius citeriorem Hiſpaniam vocat, urbes olim primariæ fuerunt, Autrigonum *Flaviobriga:* Conteſtanorum *Carthago nova*, & *Valentia:* Coſetanorum *Tarraco:* Lætanorum *Barcino*, quam Plinius *Faventiam* appellat: Indigetorum *Rhoda:* Armacorum *Aſturia Auguſta*, hodie *Aſtorgam* vocant: Bræcariorum *Bræcara Auguſta*, *Caladunum*, *Complutica*, *Tuntobriga*: Cantabrorum *Iuliobriga:* Arevacceorum *Numantia*, *Noudauguſta:* Carpetanorum *Toletum*, *Complutum*, *Paterniana:* Edetanorum *Cæſarauguſta*, *Saguntum*, *Dertoſa*, *Carthago vetus:* Vaſconum *Pompelo*, *Bituris*, *Gracuris*, *Alavona*; Illergetum *Gallica Flavia*, *Ilerda*.

Valentia ad Tarraconenſem Hiſpaniam pertinet.

Hodie in pluria regna diviſa eſt, *Murciæ* nimirum, *Valentiæ*, *Arragoniæ*, & *Navarræ*, præterea in *Cantabriam*, quæ in ſe habet *Biſcajam* & *Guipuſcoam*, denique in *Cataloniam*, *Aſturias*, *Galliciam*, *Caſtellam veterem*, *Caſtellam novam*, & *Portugalliæ* partem illam, quæ inter Duriam & Minium ſita eſt.

Nomen.

Termini.

Appellationem Valentiæ regnum habet à primaria civitate. Ab Ortu Mediterraneo mari alluitur, in quo ſinus Sucronenſis: ad Boream vicinam habet Arragoniam & Cataloniæ partem: ad Occaſum, utramque Caſtiliam: Ab Auſtro Murciam. Complectitur Hedetanos, Conteſtanos, & partem Illercaonum.

Fluvii.

Fluvios habet nobiles permultos, imprimis vero Duriam, quem Ptolemæus Doriam, Plinius vocat Turiam. Incolæ Arabica voce *Guadalaviar* vocant, quæ vox puram aquam ſignificat. Fluvius hic non tam profundus, quam amœnus, ob ripam utrimque roſis ſemper virentibus conſitam, varioque florum genere coronatam, adſtipulante etiam Claudiano in laudibus Serenæ:

Floribus & roſeis formoſus Duria ripis.

Nemoribus etiam à fonte ad oſtia uſque perpetuis veſtitur, gratiſſimo aſpectu. Sunt etiam

Mon es.

in hoc regno duo montes, *Mariola* & *Peñagoloſa*, ſtirpibus & herbis variis refertiſſimi, ad quos botanicorum Medicorum, & pharmacopæorum magna ſemper confluunt examina. Habet & argenti fodinas, in loco, quem Buriol dicunt, inter Valentiam & Dertoſam. Reperiuntur etiam lapides aureis interſtincti venulis. Ad promontorium *Finiſtrat* ſunt ferri fodinæ, & circa Segorbiam latumiæ, è quibus olim Romam devecta ſunt marmora. In *Picacent* alabaſtrum effoditur, & paſſim alumen, rubia, calx, gypſum. Vaſcula etiam porcellana conficiunt æmula Italicorum.

Magnitudo regni.

Patet univerſum Valentiæ regnum in longitudinem LXX, latitudinem, ubi latiſſimum, XVII leucarum. Civitates continet ſeptem, ſexaginta municipia muris cincta, & mille pagos. Triginta quinque amnibus, qua magnis, qua parvis rigatur, quorum quinque principales, *Migliar*, *Morvedre*, *Guadalaviar*, *Xucar*, *Segura*. Inter *Guadalaviar* & *Xucar* viſitur famoſa Albufera, tres leucas longa, unam lata, plena canneto, grata piſcibus habitatio, præſertim anguillis, ſed magis avibus paluſtribus. Regnum hoc duobus ſinubus incumbit, inter quos promontorium eminet, quod antiqui Hemeroſcopium, & Artemiſium, & Dianium, & Ferreriam dixerunt. Hodie puto Imperatoris cornu appellari. Alter ſinus *Sucronenſis* dicitur, à fluvio Sucrone: alter *Ilicitanus*, ab Ilice municipio grandi, hodie *Alicante*. Portus habet Vineri, Deviæ, Xabiæ & Alicantæ. Regnum univerſum circiter centum millia familiarum putatur continere, qua veterum Chriſtianorum, qua Maurorum converſorum, quos vocant *Mauriſcos*, quorum in hoc regno major fuit numerus, quam alibi in Hiſpania. Baptiſmum quidem receperunt, ſed cum impune licet, ritu vivunt Mahumetano. Optimi ſunt agricolæ, & locis ripeſtribus & irriguis delectantur, parci admodum in victu & amictu.

Fluvii.

Sinus duo.

Diviſio.

Regnum in quatuor regiones dividitur, quarum prima à finibus Catalauniæ pertinet ad *Migliares*, montibus magna ſui parte aſpera, cæterum ſerici, olei, vini, pecorumque dives. Magiſterium continet S. Georgii, & planitiem fœcundiſſimam, ubi ſunt *Benicardo*, *S. Mattheo*, *Caſtellone*, ampla municipia. Secunda à *Migliares* ad *Morvedro*, continet inter alia, *Villareal* & *Borrianam*, in planitie montibus cincta, præterquam ad mare Mediterraneum, multis fontibus & rivis irrigua. Tertia à *Morvedro* ad *Molinellum*, in quâ parte flos regni, Segorbia, Valentia, Villar, Livia, Xelva, Xativa, Alzira, Benifagio,

Leucæ Hispanicæ
Miliaria Germanica

CASTEL LA

MURCIAE PARS

Murcia

Origuella

Fauanella

Vella

Almansa

Xalanse

Xara

Xarasuel

Ayora

Boxet

Atanel

Lamola

Las aguas

Insula Valentiæ in Castellæ regione

Monasterij de las virtudes

Caudet

Font de la figuera

Villena

Venta de beneyto

Moxent

Salines

Casas de costa

Monarcot

Monfort

Petrie

Elda

Onil

Castalla

Sierra del Cal

Bicorp

Benicorbi

Beniduc

Quesa

Millares

Maca

Elsenda

Terra bona

Tous

Navarres

Vallbayte

Suma carcia

Cotes

Salens

Enquerra

Gella

Anna

Montesa

Montanent

Canales

Aycle

Ollería

Rand

Castell de Castells

Bocairent

Alcantara

Antella

Gerunda

Albaida

Aguilent

Benisaide

Cmtayna

Bolgida

Benganim

Cuatretonda

Cuchen

Benicolet

Monte de la mugra

Cerbera

Val del Alfrs

Alcudia

Palamar

Val de muro

Alcacer

Benares

Salem

Castell

Moncada

Alboraya

Alginet

Benifaio

Sollana

Salmes

Villera

Alcudia

Val de gual-tuera

Val de gua-dalleri

Borrana de Bellafi

Orchota

Rella

Cusfules

Silla

Tollo

Tortosa

Benimodo

Benimarfull

Benimamet

Benimagrell

Benifaraig

Benifaio

Alcudia

Benillup

Benillup

Castell

Benicolet

Montcheruo

Roteua

Val de fita

Val de gual-tuera

Borrana de Bellafi

Orchota

Rella

Cusfules

Silla

Tollo

Val de gua-dalleri

Benimodo

Benimarfull

Benimamet

Benifaraig

Benifaio

Alcudia

Benillup

Benillup

Castell

Benicolet

Montcheruo

Roteua

Val de fita

Tortosa

Carcaſens, Gandia, Oliva, Albaidia, Alcoy, & multæ valles fructiferæ. Quarta à *Molinello* ad *Seguram*, in qua ſunt municipia Xixono, Denia, Sabia, Alicante, Biar, Elche.

Valentia metropolis.

Valentia Hiſpaniæ citerioris nobiliſſima & amœniſſima urbs, à mare tribus mille paſſibus diſtans, ſita ad amnem Duriam, cœli ſolique temperie nulli cedit, ne quidem Campania Felici inferior. Poſtquam urbem diu Mauri tenuiſſent, tandem eam expugnavit Ferdinandus per Rodericum Cidum, expulitque ex ea Saracenos anno 1087. Occupatam rurſus Mauri tenuerunt, longa Ducum ſerie, oppugnatam ſæpe ab Arragonum regibus, donec ea Rex Iames poſt longam obſidionem tandem potitus eſt, Regemque *Zahen Maurorum* ultimum cum quinquaginta Maurorum millibus coëgit urbe cedere, & *Deniam* confugere, auro, argento, atmis aliaque ſupellectile eodem aſportata. Deſertam hoc modo Valentiam Rex Iacobus colonia miſſa colere iterum inſtituit. Coloni fuere Cataloni & Arragones, ductoribus *D. Berengario Palatiol*, Epiſcopo Barcinonenſi, *D. Videlo Cavelia* Epiſcopo Hueſcano, *D. Petro Fernandes d'Acagra*, & *D. Simone d'Vrrea*, Equitibus. Hi totam urbem inter colonos novos partiti ſunt, habita dignitatis cujuſque ratione. Legibus etiam novis Rempublicam ornarunt. Inſcripta eo tempore CCC LXXXIV capita familiarum. Primus Epiſcopus fuit *Don Ferrer de S. Martin*. Epiſcopatus, qui antea ſubjectus fuerat Archiepiſcopo Toletano, ex eo tempore Tarraconenſi parere cœpit. Sunt autem ingentes quoque Epiſcopi Valentiæ proventus. Marineus Siculus eos fuiſſe æſtimat in ſingulos annos 13000 ducatos, adſtipulante Damiano Goeſio. Innocentius VIII P. M. eam Archiepiſcopatus dignitate honoravit anno 1492, ad inſtantiam Regum Catholicorum & Roderici Borgiæ S. R. E. Cardinalis. Archiepiſcopo proventum tribuit annuum 30000 ducatorum. Plinius hanc urbem dicit coloniam eſſe Romanorum. Certe in antiqua inſcriptione legitur, *Colonia Iulia Valentia*. Sunt tamen hiſce etiam cognomines in Brutiis, Tempſanis vicini, quorum oppidum Vibona. Meminit iſtorum Strabo lib. 6, Plinius lib. 2, & Cicero lib. 5, in Verrem. Concilium Valentiæ celebratum eſt anno CCCC LXVI, multaque antiquitatis Romanæ in ea & circa eam viſuntur. Ager hujus urbis ubique à Mauris colitur.

Segorbe.

Segorbe olim *Segobriga* ad fluvium Morviedro in valle amœniſſima montibus cincta colli ſuperimpoſita viſitur. campos habet frumenti, vini, fructuum fertiliſſimos: conditores jactat Tubalis ſocios ante natum Redemtorem 2111, qui eam Sego nominarunt, reſtauratorem Brigum Quartum Hiſpaniæ regem. eam Mauris poſſeſſoribus dictus Rex Iacobus Primus anno 1245 eripuit. Epiſcopatus dignitatem anno 586 adepta eſt. Ducatus nobiliſſimi ad gentiles de Cardona ſpectantis eſt Caput.

Origuela.

Origuela, olim *Orcellis* Civitas ad limites Murciæ Regni & Seguræ ripas ſita eſt, ſitu plana, natura fortis, pulchro ornata caſtro, & campis fertiliſſimis abundans; unde & vulgare proverbium, *Llueva, o no llueva, trigo en Origuela.* Vinum, ſericum, linum, canabim, herbas, fructus, legumina, mel, & ſal circumjacens ager magna producit copia. Caput eſt Gubernationis à Valentiana independentis. cujus juriſdictio in ſex leucarum longitudinem, duodecim vero latitudinem protenditur. Vniverſitate anno 1555 inſtituta ſuperbit. Hercules Thebanus ejus fertur Conditor, Alphonſus Sapiens Caſtellæ Rex reſtaurator: in Epiſcopatus ſedem diſtinctam à Cartegenenſi, cui ante juncta fuerat, erecta eſt à Iulio III, P. M.

Xativa.

Xativa urbs regni Valentiæ, non procul ab ipſa Valentia, ſita eſt in editiore colle, & flumine Sucrone alluitur: fontibus ſaluberrimis, arborum fructibus, & præſertim malis Punicis abundat; laudatiſſimi quoque & tenuiſſimi lini proventu celebris. Patria Alphonſi & Roderici è gente Borgia oriundorum, qui ambo ad ſummi Pontificatus faſtigium evecti, ille Calixti III, hic Alexandri VI aſſumpſere nomina.

Alicanta.

Alicanta ſive Alonium portu non incommodo celebre eſt, è quo vina laudatiſſima quocunque transportari ſolent magno cum mercatorum lucro. Mauris eam ereptam ſuæ dominationi ſubjecit Iacobus I, anno 1264.

Denia.

Denia ad radices montis Mongon ſita, portum habet ſat commodum: ager amygdalis, vino, & frumento ferax, mare piſcibus ſcatens. Marchionatus eſt ad familiam *de Cardona* ſpectans.

Gandia.

Gandia media leuca mari abjuncta ad ripas Alcoy fluvii viſitur, Vniverſitate clara eſt, à Duce S. Franciſco Borgia inſtituta: incolæ Civitatis titulum à Rege Philippo IV conſequutam ferunt: Ducatus eſt caput ad *Borgias* pertinentis: ager fertiliſſimus ſaccharum producit optimum, frumentum, vinum, linum, canabim, pecoris quoque dives eſt, ita ut ab Arabibus *Conca de lunfor* id eſt campus refectionis dici meruerit.

Morviedro olim Saguntus.

Ad ripam Duriæ ſiniſtram ſtetit olim *Saguntus*, Zacynthorum colonia, hodie à muris veteribus *Murviedro*: oppidum duobus mill. paſſ. à mari remotum.

Concentanea.

Concentanea oppidum ad Montem Mariolam ſita eſt; mons autem dictus quum ſtirpibus rarioribus, herbiſque variis abundat, quotidie

die huc magnus Medicorum & Herbariorum ex tota Hiſpania confluit numerus. ager circumquaque fertiliſſimus, & plus quam 200 fontibus irriguus: poſſidetur cum titulo Comitatûs à familia *Perez Corella*. Sequitur Paterna leucæ ſpacio Valentiâ diſjuncta. *Liria* oppidum amœniſſimum 4 leucis Valentiâ diſtans. *Onda*, cujus montes herbis ſalutiferis ſcatent. *Ateymus* oppidum Gandiæ vicinum, ſed fere inhabitatum. *Burriana* in loco fertiliſſimo ſita, octo leucis Valentia diſtat. *Ioyoſa* ad littus maris, quinque leucis Alicanta diſtat.

Morella ad confinia Arragoniæ & Cataloniæ, inter præcipitia montis alti & inacceſſibilis, ſita eſt in loco aſpero: feris, & herbis ſalutiferis ſcatet circumjacens ager. *Almenara* media leuca à mari remota, Comitatus eſt familiæ illuſtris *Proxita*.

Monteſa arx inexpugnabilis in monte ſita eſt, ſedes ordinis Militaris de Monteſa, à Rege Iacobo II, anno 1317, inſtituti. *Villa Real* octo leucis Valentia, una à mari ſedes remota eſt. *Caſtello della Plana* oppidum inſigne, cui ſolum nomen Civitatis deeſt, amœniſſimis hortis cinctum, ſitu forte, & fructibus abundans. Oropeſa ad montis pedem & maris littora ſitum, à paucis civibus inhabitatum. *Artana*. *Sexona* inter aſperos montes ſita eſt. *Guardamar* ad fontem fluvii Seguræ in confiniis Murciæ ſitum eſt. Peniſcola editiſſimo Promontorio impoſita, undique fere à mari cingitur, naturâ loci inexpugnabile; in quo id mirum, quod medio in mari ſitum, fontibus dulcium aquarum nihilominus abundet. Benedicti XIII ſeu Petri de Luna aſylum fuit. *Aleyva* ad fluvium Xucar in medio Valentiæ regno ſita. *Ontiñente*. *Bocayrente*. *Albayda* Marchionatus. *Alcoy* hic ferri repertæ ſunt minæ anno 1504. Variis rigatur fontibus, quorum unus, quem *Barchel* vocant incolæ, per 13 vel 14 annos copioſas eructat aquas, tum areſcit per totidem annos; iis vero excurſis, rurſus aquas benigne largitur: & his fontibus originem ſuum debet Alcoy fluvius. *Moxente*. *Xelva* Vicecomitatus à Ioanne I Arragonenſi *Petro Ladron de Villanova* conceſſus. *Iulilla*. *Ademuz*. *Alpuente*. *Andilla*. *Villa Hermoſa* Ducatus à Ioanne II Arragonæ & Navarræ, Alfonſo Arragonenſi filio notho datus. *Traiguera*. *Venicarlon*. *Villa de las Cuebas*, Equitum de Monteſa commendataria. *Cabañas*. *Elche* inter ſylvas olearum & palmarum ſingularis proceritatis, in loco dactylorum & vini feraciſſimo, & pecoris abundante ſita eſt, Marchionatus à Carolo V, Bernardino de Cardenas Duci de *Maqueda* (à cujus familia ad hodiernum diem uſque poſſidetur,) conceſſus, *Cerbera* Bailivatus Caput. *Calig*. *San Mateo*. Montaberner. *Lugent*. *Canet*. *Sueca*. *Binaroz*. *Iana*. *Alcaba de Xivert*, Equitum de Monteſa Commendataria. *Zuela*, eorundem Equitum peculium. *Viſtabella*, fontem habet petras diminuentem, & ſanguinis abundantiam tollentem. *Fames*. *Adzenera*, ad montem Peñagoloſa ſitum oppidum. *Benaçal*. *Aras*. *Xeriza*, olim Comitatus, at anno 1565 Coronæ unitus. *Tales*. *Bivel* ad fluvium *Murviedro*. *Caſtel-Fauit*, inter duos montes in valle profunda ſitum eſt, ad ripas fluvii *Taria*, pecore, piſcibus, & alumine foſſili abundat. *Vallada*, circa hoc oppidum duo vicini viſuntur fontes, proprietate contrarii, quorum unus ſal producit, alter dulcibus ſcatet aquis. *Agres* in monte Mariola ſitum, herbis ſalutiferis præditum. *Oliva*, Comitatus titulo à Ducibus Gandiæ poſſidetur. *Elda* ad familiam *Coloma* Comitatus titulo ſpectat. *Altea Biar*, vinum, ſericum, linum, nec non candidiſſimum & optimum mel producit: hic officinæ vitriariæ 14. *Clivillente*. *Aßie*. *Xavea*. *Pego*. Fuente *de Carroz*. *Alacuaz* à Philippo III in gratiam Ludovici Pardo Comitatus titulo honoratum. *Puche*. *Puçol*. *Torres* Baronia. *Villar* Cameræ Archiepiſcopalis Valentiæ patrimonium. *Buñel*, titulum Comitatus accepit Gaſpar Mercader de Carroz à Philippo III. *Ayora*, ejus incolæ Caſtiliano loquuntur idiomate. *Carcaxente*. *Beneganim*. *Siete aguas*. à ſeptem fontibus ſic dictum. *Olacan* Baronia familiæ de *Villa Ragud*.

Biar optimi & candidiſſimi mellis copia nobilis eſt. *Biar*.

Iuxta maritimam regni oram Carolus V circiter viginti ſeptem turres locis opportunis fabricari curavit, in quibus duo pedites & unus eques jugiter excubant, ut piratarum aut hoſtium adventum ſpeculentur, & incolis denuncient.

Regionis indoles. Valentiæ mediterranea petroſis & ſterilibus montibus ſunt aſpera, maritima vallibus & planitie amœna. Metalla argenti habet Burioli, auri Loderi, ferri Finiſtrati, alabaſtri Iabeæ, aluminis Piacenti, cementi & gypſi pluribus in locis.

Origo regni. Ceterum regni titulum hæc regio accepit circa annum Salutis DCCLXXXVIII. Hiſtoria hæc eſt: Hiſen Regi Cordubæ mortuo, filius Alca nomine ſub annum Chriſti DCCLXXXVIII ſucceſſit, cujus patruus Aodala Valentiæ dominus ex Taviar ad ſe vocavit alium ſuum fratrem, cui nomen Culema. Hi duo fratres magnis copiis adunatis profecti Cordubam, nepotem regno expellere conati ſunt: prælio autem victi Aodala fuga ſibi conſuluit, Valentiamque reverſus eſt. Maurorum autem præcipui ſeſe inter patruos nepotemque interponentes, eò rem deduxerunt, ut inter

ipſos convenerit, ut Aodala ſe Valentiæ Regem ſcriberet: Culemæ autem quolibet menſe ex reditibus Valentiæ mille Moradini (pecuniæ genus erat) inſtruendæ menſæ, & adhuc quinque Moradinorum millia ad res neceſſarias parandas deciderentur. Quibus pactis cum Aodala aſſenſiſſet, primus ſe Valentiæ Regem compellavit. Valentiam his verſibus celebravit Iulius Scaliger:

Vna tibi ante oculos populi ponatur imago.
Cetera jam ex illo natio tota patet.
Ægra Ceres, regio torrenti infamis ab æſtu,
Arida Cerbeream colligit aura ſitim.
Nuſquam tutus ibi rapido latrone viator:
Nam probus & pius eſt tollere ludus opes.

IN-

INSVLÆ BALEARES ET PITIVSÆ.

Baleares.

INsularum Hiſpaniis adjacentium celebriores ſunt, Baleares duæ; item Pitiuſæ, Ebuſus & Ophiuſa. Baleares vulgo Majorica & Minorica appellantur. Sitæ ſunt ex adverſo Tarraconenſis Hiſpaniæ, nec longo à ſe invicem intervallo. A magnitudine Majores Minoreſque plurali numero, vel etiam ſingulari Major Minorque appellantur. Fundâ olim bellicoſæ, unde & nomen traxiſſe putantur, quaſi ἀπὸ τῦ βάλλειν, id eſt, à jaculando. Græcis Gymneſiæ dictæ, ἀπὸ τ γυμνότητος, id eſt, à nuditate, quod incolæ aliquandiu nudi vitam egiſſe dicantur. Nunc vulgo *Mallorca* & *Menorca*. Piratica olim incolæ maxime vivebant, Carthaginenſibus iidem contra Romanos ſtipendiarii, donec Hiſpanis debellatis, à Romanis ſubigerentur. Mauri poſtea ex Africa occuparunt, cum Hiſpanias diriperent, regnumque adjecta Ebuſo inſula in iis condiderunt, quos tandem Iacobus Arragoniæ rex ejecit. Majoris Balearis inſulæ forma quadrata eſt, quatuorque angulis totidem cœli plagas ſpectat. Palumbariæ portus, cui Columbaria inſula objecta eſt, ad Occaſum pertinet. Promontorium Salinarum ad Meridiem. Medio fere intervallo Majorica urbs, inſulæ caput, interjacet. Petræ & S. Vincentii promontoria ad Orientem vergunt & Septentriones. A Petræ promontorio Polentia haud remota eſt, olim Romanorum colonia, nunc modicum oppidum, ſed portu inſigne. Palumbariæ portus triginta millibus paſſ. ab urbe diſſitus eſt. Sanctæ Pontiæ portus paulo ulterius eſt verſus Meridiem & Occaſum. Capta urbs Majorica à Iacobo Arragonum rege anno 1230, ſedes Proregis & Epiſcopi ac domicilium in hac urbe conſtitutum eſt. Eſt inſuper ferax valde atque omni rerum copia affluens, neque facile ullibi tam anguſti ſpatii inſulam reperias, (centum mill. paſſ. in longitudinem, in circuitu vero 480 mill. patet) quæ tam variam tamque eximiam fructuum atque animalium, non ad uſum modò & alimentum, ſed etiam ad delitias mortalium, abundantiam ſuppeditet. Nam præterquam, quod tribus urbibus, tum oppidis ac pagis multis & portubus undique frequens eſt; frumento etiam, ſale, oleo, vino, caſeoque, pecude & armentis, atque ferina carne tantopere abundat, ut non ſolum incolis, verum exteris copioſe ſufficiat. Nam & Balearica vina, auctore Plinio, Italis nota ſatis atque approbata fuere; & oleum caſeumque non modo proximis Valentiæ, Cataloniæque regnis, ſed Gallicæ quoque ac Liguſticæ oræ ſufficit. Præterea cuniculorum, cervorum atque damarum tanta hîc eſt multitudo, tam certa venatio, ut hæc una profecto poſſit quantum ſatis eſt carnium incolis ſubminiſtrare, præter porcinas, quarum tanta hîc eſt copia, ut etiam ad exteros ſectæ & conditæ tranſmittantur. Atque his addi poteſt, delitiarum loco, perutilis, ſalutaris atque delitioſa myrtus, è cujus flore liquor omni thure Sabæo odoratior elicitur. Vniverſam inſulam, cum ab Arragoniis occuparetur, quindecim oppidis conſtitiſſe refert R. Iacobi hiſtoria, quorum nomina præter urbem majorem, tum Pontiam & Polentiam, Romanorum colonias, barbara ſunt, atque à Saracenis impoſita.

Cur ita dicta.

Majorca.

Indoles regionis.

Majorica urbs, inquit *Bernardinus Gomeſius* lib. VII, in medio fere inſulæ poſita eſt, mari ſeſe inter caput Figueranum & Capendoracatum, quæ 15 milliaribus inter ſe diſtant, totidem ad urbem uſque inſinuante. Qui ſinus alioqui permagnus, portus fit celeberrimus, tantumque non à Libonoto vento tutus: ſed quo interior, eo fit longe tutior, ob conſtructam atque manufactam molem, quæ in mare ex urbe prominet, eique è regione reſpondet promontorium Portopini, inde dictum, quod ab altera promontorii parte verſus Occaſum, maris ſinus exiguus ſeſe terræ ingerat, ac parvum portum efficiat, Portopineum nuncupatum. Id ergo promontorium cum manufacta mole tranquillum atque ab omni prorſus vento tutum urbis portum reddit. Vrbs partim in excelſo colle, partim in planitie explicata eſt, & per acclivitatem conjuncta. Tametſi in colle, qui mari ac por-

Majorica urbs.

CATALONIÆ PARS.

INSVLÆ
BALEARIDES
et PYTIVSÆ.

MARE BALEARICVM.

Barcelona

Tarragona

Ebro Rio

Tortosa

Ampolla

P. de Salconera

Alfacha

Peniscola

Montcolibre
olim Calabraria

I. Dragonera

C. Formantelli

Solari

Palomera

Primatur

MAIORCA.

Golfo de Alcudia

C. Lapedra

Alcudia

Menacor

Porto Pin

Calatonja

P. Colombi

Maiorca

Porto Pedro

Calasguer

C. de Salines

I. Cabrera
olim Capraria

C. de Baiolis

Porto Fornelli

Fornelle

S. Catharina

Citadelli

MINORCA.

Daia

Minorca

Porto Mahon

Entre de Mahon

BALEARIDES
INSVLÆ DVÆ.

Sucronicnsis Sinus.

VALENTIÆ PARS.

Valentia

C. de Calleras

Gandia

Denia

C. S. Martin

Comigor

Po Magno

YVIÇA olim
EBISSVS INS.

S. Hilaria

Tacomago

Belcran

Yviça

PYTVISÆ
INSVLÆ DVÆ

Formentera inf quæ
olim Ophiusa

C. Moræ

MARIS MEDITERRANÆI PARS.

Milliaria Hispanica communia

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

19 20 21 22 23

38 39 40

tui imminet & præruptus eſt, expugnationis tempore, arx ſola ſita erat: poſtea vero templum maximum, & Epiſcopalis domus cum ſpeculatorio deambulacro, unde proſpectus maris amœnus ac perjucundus, juſſu Regis exædificata fuere. Fluvius etiam non longe à fontibus dimanans, qui ſeſe illico in mare præcipitat, mediam interluit; magnoque illi eſt uſui, non modo ad ejus ſalubrem purgationem, & hortorum, quibus maxime decoratur ipſa, irrigationem; verum ad navium etiam aquationem & portus commoditatem. Denique urbis ambitus, qui muro ſatis amplo munitur, ac collem cum ipſa planitie comprehendit, tam latus eſt, ut præter hortos, domiciliorum ſex millia contineat, quæ cum aliis operibus tum magnificentiſſime exſtructa ſunt; tum urbem, quæ decem nunc patet portis, omnium Europæ pulcherrimam & conſpiciendam efficiunt. Epiſcopum habet, cujus reditus annui 20000 ducati.

MINORICA.

Minorca. MInor Balearis, vulgo Minorica, orientalior eſt, quam Majorica; diſtatque ab illa quinque aut ſex leucis. Vnam habet urbem, quæ hodie *Ciudadela* appellatur, & plures pagos, duos itidem portus, quorum alter *Maho*, alter *Formelle* dicitur. Inſula ambitu patet C L mill. paſſ. altis montibus & nemoroſis undique cincta. Mediterraneæ partes ubertate ſoli, & paſcuorum bonitate Majoricæ minime cedunt. Mulos autem alit præſtantiſſimos, & qui maximopere commendantur.

YVICA.

Pitiuſæ Inſulæ. PRopinquæ Balearibus ſunt *Pitiuſæ* inſulæ, quæ duæ itidem ſunt: major dicitur *Yvica* hodie, olim *Ebuſa*, centum circiter millia paſſuum ambitu complectens, & decem aut undecim leucis à continente ſeparata. Hæc inſula oppidum habet ejuſdem cum inſula nominis. ager illius fertilis frumenti, & fructuum omnis generis ferax. Hodie à copia ſalis commendatur, quem hinc in Italiam & alias Europæ partes evectare ſolent.

FORMENTERA.

MInor dicitur veteribus *Ophiuſa* aut *Colubraria*, hodie vulgo *Formentere*, à priori ad Auſtrum ſita, & paulo longius à continente diſjuncta; circiter LXX mill. paſſ. ambiens: pene deſerta ob multitudinem ſerpentum, quibus abundare fertur; cum Yvica nullum animal venenatum toleret, ac ne noxium quidem ullum, præter cuniculos; qui ſegeti ſubinde infeſti ſunt, & conſitos recens agros ſubruunt.

NAVARRA REGNVM.

Origo nominis.

NAvas vocant Hiſpani agros arboribus purgatos, in quorum circuitu ſilvæ ſunt & dumeta. Ab his navis putant quidam hoc regnum dici Navarram, quia in ea multæ ſint iſtiuſmodi navæ.

Populi veteres. Vrbes priſcæ.

Loca hæc olim inſedere Vaſcones, Berones ad Berum fluvium, Sueſſitani, Bergiſlani, Cariſti. Veteribus hic notæ fuerunt urbes, *Pompelon*, Straboni Πομπελὼν, quam à Pompejo quidam nomen habere putant. Item *Caſcantum*, cujus in nummis Tiberii mentio. Et *Iuliobriga* Cantabrorum vetus oppidum, ad Iberum: & in ejuſdem ripa *Calagurris*, patria Fabii Quintiliani. Hieronymus ex Chronico Euſebii: *Quinctilianus, ex Hiſpania Calagurritanus, primus Romæ publicam ſcholam tenuit, & ſalarium à fiſco accepit & claruit.* Auſonius quoque ubi memorat Rhetores Burdigalenſes:

Primus Burdigalæ columen dicêre, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quinctiliane togæ.
Adſerat uſque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non ſit Burdigalæ dum cathedra inferior.

Termini.

Habet Navarra conterminas Regiones ad Septentrionem Biſcayam, Guipiſcoam & Alavam; ad Meridiem Arragoniam, ad Occidentem Caſtiliam.

Extenſio.

Longitudo major ejus eſt triginta & trium leucarum, latitudo viginti ſeptem. Complectitur octo Civitates, Epiſcopatum unum.

Fluvius.

Irrigat & tranſit Navarram Iberus, vulgo *Ebro*, ortus in Cantabris, qui ſecundum radices Pyrenæi montis rivulorum aquis creſcens, totam, quàm lata eſt, Hiſpaniam dividit, niſi quod Auſtrum verſus, qua in Mediterraneum mare ſe exonerat, paulo longius à montibus recedit. Navarra olim ſatis ampla fuit, nam & Biſcajam, & Logronnum, & Calahorram complectebatur. Nunc ab una parte Pyrenæo, ab altera Ibero concluditur, niſi quod Tudela cum aliquot oppidulis trans Iberum jaceat.

Diviſio.

Dividitur in quinque diſtrictus, vulgo Merindadas vocant, quorum capita ſunt; Pompelona, Tudela, Stella, Olite, Sangueſſa.

Pompelona metropolis.

Pompelona condita eſt à Pompejo, cum, ſublato per domeſticas inſidias Q. Sertorio, ſedatiſque Hiſpaniæ motibus, ad optatum triumphum feſtinaret, unde *Pompejopolis* vocata fuit, teſte Strabone lib. 3. Metropolis eſt regni Navarræ, ſita haud longe à Pyrenæis montibus ad flumen Argam, in fertiliſſimis campis. Magna eſt & opulenta urbs, firmo muro cincta, & caſtellis duobus, uno intra, altero extra muros egregie munita: arcem Antverpienſi ſimilem, fortiſſimam & capaciſſimam extrui curavit Philippus II. Univerſitatem habet ſat celebrem: Epiſcopum veneratur, qui ex diœceſi ſua 28000 ducatos percipit annuos. In toto regno, inquit *Boterus*, non credo ſupra viginti millia focorum eſſe. Duas in Hiſpania citeriore *Calaguris* nomine fuiſſe urbes, auctor eſt Plinius; quarum una *Naſcica* cognominata, prope Oſcam, quam & *Municipium Calagurim Iuliam Naſcicam* ex antiquo dicunt vocari, Ambr. Morales & Hier. Surita: cujus hodie ne veſtigia quidem ſuperſunt. Altera verò *Calaguris fibularia* vocata, Calagorina Ptolemæo; noſtro ævo *Calahorra* dicta. Sita eſt urbs ad Iberi amnis ripas, & quidem in monte, unde Paullinus ad Auſonium:

Calaguris.

Montanamque mihi Calagurim & Bilbilim acutis
Pendentem ſcopulis, collemque jacentis Ilerdæ,
Exprobras?

Rara in primis in Duces ſuos fide, ſed in Q. Sertorium clara admodum, quæ nec morte ejus interrupta fuit. qui, ut auctor eſt Val. Max. lib. 7, cap. 6, *Quò perſeverantius interemti Sertorii cineribus, obſidionem Cn. Pompeji fruſtrantes, fidem præſtarent, quia nullum jam aliud in urbe eorum ſupererat animal, uxores ſuas, natoſque ad uſum nefariæ dapis verterunt; quoque diutius armata juventus, viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadaverum reliquias ſalire non dubitavit.* Iugi tandem obſidione eam Afranius Cn. Pompeji legatus occupatam, cæde incendioque delevit. Cujus fidelitatis memor Aug. Cæſar *Cohortem Calaguritanorum*, in corporis ſibi cuſtodes delegit, ut auctor eſt Suetonius in Auguſto. *Tudela* ad Iberum fluvium ſita eſt, diſtrictus ſui caput, qui duas civitates, & viginti duo complectitur municipia. *Stella*, in planitie amœna ſita eſt civitas, eam rami fluvii Ega interfluunt, caſtro ſpectabilis eſt, caput diſtrictus ſeu Merindadæ, in qua civitas una, municipia viginti quatuor, pagi 106. *Caſcante* in Merindada Stellenſi Civitas ad fluvium *Quelles*, in plano admodum fertili ſi-

Tudela. *Stella.* *Caſcante.*

NAVARRA REGNVM.

PARTE DE CASTILLA

PARTE DE ARRAGON.

PARTE DE GVIPVSCOA.

OCEANVS CANTABRICVS.

Occidens

Meridies

Septentrio

Milliaria Hispanica

G. Blaeu exc.

Olite. ta eſt. *Olite* ad fluviolum Ciendum. *Cidazo* civitas in planitie frumenti, vini, fructuum, lini, canabis, pecoris, ferarumque fertiliſſima, & fontibus limpidiſſimis abundanti, unde & proverbium emanavit: *Olite, y Tafalla la flor de Navarra*: Palatio regio eſt conſpicua, civitatis nomen anno 1630 à Philippo IV conſequuta eſt, caput eſt Merindadæ, Civitatem unam, municipia 19, pagos 26 com-
Viana. prehendentis. *Viana*, Principatus caput, cujus titulo primogenitus Regis Navarræ inſigniebatur, ad Iberum ſita eſt: eam Civitatis nomine & dignitate honoravit Philippus IV anno 1630, ager ejus benigniſſimè frumentum, vina, legumina, fructuſque pro-
Tafalla. fert, feras pecoraque nutrit. *Tafalla* eodem anno Civitatis adepta eſt honorem, ſita ad fluvium Cidazo, muris & caſtro munita, Palatio Regio à Carolo III Navarræ Rege extructo ſuperba, olim ejuſdem Regis Curia
Sangueſa. & ſedes. *Sangueſa* municipium ſeptem leucis Pompelonâ diſſitum, ad ripas Arragon fluvii conſpicitur; Merindadæ eſt caput, in qua numerantur municipia duodecim, pagi 168. Unicæ tantum leucæ ſpatio hinc abeſt
Xavier. *Xavier*, Indorum Apoſtoli S. Franciſci Xave-
Peralta. rii patria nobilis. *Peralta* in formam peninſulæ ab Arga fluvio cincta, ſex leucis Tudela abeſt: hic vina optimæ notæ proveniunt.
Vera. *Vera* in valle inter Pyrenæos montes pecoris & ferarum copioſa. *Ahibar* unica leuca tantum Sangueſa diſtat. *Puente de la Reyna* ad Argum fluvium, vina rubri coloris præſtantiſſima profert. *Milagro*, in loco edito ad ripas Arragonii amnis, ubi Agra ejus aquis miſcetur, ſitum, caſtro forti ſpectabile. *Marañon* quatuor à Stella leucis ad ripas fluvioli ſitum, caſtellum habet ſat munitum. *Artajona*, in colle ſita, fertiliſſimum vini habet cir-
Extenſio in Montibus. cumjacentem agrum. Navarra viginti ſex leucas in ipſis montibus Pyrenæis extenditur, in quibus decem numerantur portus, totidem in Franciam tendentibus itinera, ſive paſſus. Regio autem ea inter montes ſita valles habet aliquot diverſis nominibus di-
Vallis de Baztan. ſtinctas: in numero eorum eſt Vallis de Baztan, à Septentrione Meridiem verſus tendens, ſeptem leucas in latitudinem, tres & mediam in longitudinem extenſa: 14 Paroecias complectens, jurisdictionem & Conſilium peculiare conſtituit: inhabitatores feroci ſunt natura, agiles, in armis exercitatiſſi-
Roncevallis. mi. Diſtrictus Roncevallis in hiſtoriis Caſtelanis ob victoriam Alphonſi Caſti Regis, cladem Caroli Magni, & Nobilitatis Gallicæ cædem celebratiſſimus, municipium habet
Vallis Roncal. ejuſdem nominis. Vallis Roncal limitem inter Galliam & Navarram conſtituit, ab Occidente in Orientem protenditur, undique montibus rigidiſſimis, editiſſimiſque cingitur: habitatores habet labori deditos, bellatores egregios, Nobilitatis, libertatis, & exemtionis honore, ob egregie Sancio Garciæ Regi in debellandis Mauris in conflictu ad Ocharam navatam operam, donatos. Bearnenſibus vicinis ſemper ſunt contrarii, idque ob paſcuorum poſſeſſionem, ſemperque fere ſuperiores, eoſque ſpeciem quandam tributi quotannis pendere coëgerunt. Oppidum S. Ioannis pedis portus cognominatum, in altiſſimis montis jugis poſitum, cujus montis aſcenſus eſt duodecim millium paſſuum, undique fontibus uberrimus, & multarum rerum feraciſſimus. Plurimum hic effoditur ferri. In jugo præterea montis planities eſt & campus amœnus, omnique tempore viridis.

Aeris ratio. Solum regni hujus magna ſui parte fertile, aër ſalubris.

Navarræ Regnum quomodo ad Hiſpanum pervenerit. Ioannis Arragonum regis obitu anno CIↃ CCCC LXXIX, ut neceſſe erat, & ut teſtamento illius cautum erat, diviſo imperio, Ferdinando Arragonii acceſſerunt. Eleonora Princeps materno jure Vaſconum regnum obtinuit, annum jam ſeptimum viduata viro, quod ipſi breviſſimum fuit, & vix menſtruum. Quatuor filios genuit, Gaſtonem natu maximum, Ioannem, Petrum, Iacobum: filias quinque, Mariam, Ioannam, Margaretam, Catharinam, Eleonoram. Gaſto obiit, Franciſco Phœbo & Catharina relictis. Ioanni Narbonis auro paterno redemtæ urbis Principatus fuit. Liberi Gaſto & Germana. Gaſto ad Ravennam cæſus, Germana Ferdinando Catholico poſt Eliſabetham defunctam nupſit. Petrus à Sixto P.R. Cardinalis factus. Iacobus cœlebs vixit. Maria Guilielmo Montis-ferrati Marchioni: Ioanna, Armeniaco Comiti Ioanni, nupſerunt; Margareta Franciſco Britanniæ Duci Annam peperit, quæ Ducatum illum in regiam Gallorum familiam intulit. Catharina Gaſtoni Fuxenſi Candalæ Comiti juncta, filios duos genuit, unam filiam, quæ Ladiſlao Hungariæ regi nupſit.

Eleonoræ itaque defunctæ ſucceſſit Franciſcus Phœbus XI annos natus, ſub tutela matris Magdalenæ, & Petri Cardinalis patrui ſui: anno demum CIↃ CCCC LXXXII obiit, poſtquam regiis inſignibus decoratus eſſet, nondum ducta uxore. ſoror Catharina regnum ſuſcepit, quæ Ioanni Albretano nupta imperium ad Gallos tranſtulit. Narbonenſis quidem injuriam ſibi factam expoſtulabat, Franciſco & Catharina Gaſtonis fratris liberis in regni ſucceſſione prælatis, cum Gaſtone ante matrem Eleonoram defuncto, ipſe propinquior matri eſſet, quam nepotes. Sed Ferdinandus contra Narbonenſem ſenſit. Multa vero poſtea ſiniſtra de Navarræ rege ſuſpicari cœpit, quaſi in Galliæ Regem pronior, aliquid mali ſecreto ipſi machinaretur. Itaque præter ſacramentum ab arcium præfectis

fectis in verba Regis Catholici univerſa ditione factum, Singueſſam & Vianam urbes, quaſi fidei pignora acceperat. quas tamen anno 1500 reddidit, Magdalena filia regum Navarræ unica in aula reginæ veluti obſide accepta. Verum minoris precii illud pignus factum eſt, prole maſcula iis regibus nata in ſpem paterni regni; cui Henrico nomen fuit; Magdalena dein in Hiſpania extincta.

Lerini Comitem rex Navarræ omnibus opibus & urbibus, quas in Navarra tenebat, exuerat; illius filium Ludovicum Beaumontium Ferdinandus fortunis paternis reſtituere maximopere cupiebat. Quædam hoſtilia tentata, ſed clam & quaſi privatim. Bello deinceps in Italia ardente inter Pontificem Cæſaremque, & Gallum atque Confœderatos, cum Navarræ rex Gallorum Regi haud dubie faveret, Pontifex hac arrepta occaſione, quod Eccleſiæ hoſtibus faveret, & Piſani conventus patres, Pontificis utique hoſtes complecteretur; regem & reginam Navarræ execratione devinctos, ditione omni ſpoliandos omnibus Principibus proponit.

Miſit itaque Ferdinandus Legatum, qui officii admoneret, & ne cum Gallo rationes miſcerent, aut Eccleſiæ hoſtibus opem ferent, denique filium obſidem poſtularet. Iniqua poſtulatio regibus Navarræ viſa, itaque nihil impetratum. Ex eo belli cauſæ quæſitæ, cujus hic exitus fuit, ut reges tota Navarra à Ferdinando pellerentur, ipſeque Navarram tanquam ſequeſter, ſed regis titulo, obtinuit. Facto ſpecies prætenta, Ioannem regem pactis conditionibus non ſtetiſſe. Armis Gallicis & regiis aliquoties repetitum, ſed fruſtra. Ferdinandus denique Caſtellæ regno Navarram univit anno 1515. Ex eo conſtat, ait Mariana, Ferdinando deſtinatum prorſus animo fuiſſe, eam ditionem nunquam abdicare, quaſi ſui juris, non ſecus ac alios Principatus, neque ulla religione moveri, ut ab ea ſententia decederet. Sic variis ſermonibus præ ſe tulit. Viribus potiori argumenta nunquam deſunt, ad retinendum, quæ armis occupavit. Si verum fateri licet, inquit, nonnullis Ferdinandi cauſa præſidiis fulciebatur, neque contemnendis, nec prorſus inanibus. Primum Pontificis ſententia reges veteri fuiſſe ditione ſpoliatos: deinde in reges Caſtellæ ttanſlatum jus Claræ uxoris Henrici IV Caſtellæ regis, ipſius voluntate & donatione, quo tempore à ſævo patre ad non dubium exilium data eſt in Gaſtonis Fuxenſis ſororii poteſtatem, ejus nece oppido cupientis, quæ jure potior erat, quippe major natu, Vaſconum imperium ad ſe trahere, tertio Germanæ uxoris ſuæ jure, quod poſt fratrem defunctum ipſi competebat. Hæc Mariana.

REGVM NAVARRÆ SERIES.

CÆterum, ut de omnibus qui Navarræ imperavere regibus ad hæc noſtra uſque tempora, plenius cuivis conſtare poſſit, illos hic ordine attexere, more nobis ordinario, operæ precium duximus, nec rem lectori ingratam facturos nos confidimus. Longam igitur Navarra Regum ſeriem, à Garciæ Ximenis ævo, Regis nomine primùm ſe inſignientis, numerat; ſeu Sobrarbiam Arragoniæ, (ab eo, quo Mauris Inſam eripuerat tempore) ſeu verò Navarram ipſam ſpectes. Nec ſe niſi Pampelunæ Reges dictabant aliqui, exemplo ſit Petrus II, Rex, ordine, Navarræ XVII, & Arragoniæ III; Pampelunæ & Arragoniæ Regem ſe vocitans. Tandem tamen Ferdinandus V, Arragoniæ & Caſtiliæ Rex, Papæ Iulii fulmine motus, Beaumontianâ adjutus factione, Navarram, Sancii Magni morte ab eâ annis tum 468 diſcretam, ſubjugavit, anno 1512, & Coronæ Caſtilienſi ipſo D. Iacobi feſto, Iulii 25 annexuit.

Mauris Hiſpaniam ingreſſis, & funeſtum in modum vaſtatam occupantibus, aliqui Chriſtianorum reſidui, Aſturias petentes, Ovietenſe & Legionenſe erexere regna: montes Pyrenæos, alioſque Guipuſcoæ & Navarræ tractus legentes; cæteri eos etiam invadentes, qui Ribagorciæ, Sobrarviæ, Vrgelli, & Cerdanii jam audiunt Aſturienſium exemplo, (qui Pelagium ſibi in Regem creaverant,) *Garciam Ximenen*, Ameſcuæ & Abarſuſæ tum Dominum, Ducem ſibi elegere. Diſſentiunt Authores, de Electionis hujus tempore; quam aliqui ad ſalutis annum 716, alii ad 718 referunt: nec verò ipſo de nomine conveniunt. Sunt enim qui Navarræ eum; ſunt etiam qui Sobrarviæ, (quæ Arragoniæ eſt) regem fuiſſe vocatum æſtiment, Sobrarviæ Inſâ, vel Ainſâ, Mauris ereptâ. Illuſtris proſapiæ uxorem duxit, *Inigam* nomine; quæ filium ei peperit *Garciam Inigo*. Navarræi, eò quod Sobrarviæ Regis titulum aſſumpſiſſet, indignati, ab eo deſcivere, Ovietenſis, hac moti cauſâ, Regis ſecuti partes. Deceſſit tandem 758 ſalutis anno.

Garcias Inigo, ejus filius, Navarræos domuit, ſibique ſubjecit: Pampelunam Mauris eripuit; Alavæque incolis bellum intulit, obiit anno 802, regni ſui 44.

Fortunus Garcias, vel *Garcet*, filius, & ſucceſſor ſuperioris, vita deceſſit anno 814, & ad S. Ioannis *de la Peña* ſepultus.

Sancius Garcia, vel *Garcet*, Fortuni, Theudæque Galeindone, Arragoniæ Comite, Regeſque Navarræos ſupremos agnoſcente & colente ſibi Dominos, proſatæ filius, Mau-

ros fudit, anno 821, Ochaveræ: mortuus, juxta aliquos, in conflictu contra Mauros, ſub ductu Muça Aben Cacin, Saragocæ Reguli, anno 832, vel, Mariana probante, 853.

Ximen Garcia, eodem Mariana teſte, vel *Ximen Inigo*, ſecundum Mayernum, ex Sancio Garcia procreatus, in Navarræ & Sobrarviæ regna ſucceſſit: cujus tamen geſta authores ſilentio prætereunt: temporis etiam quo deceſſerit non memores. Quo vita defuncto atque Regia hac Familia in eo extincta, quadriennale ſecutum interregnum. Hac videlicet Navarræi arrepta occaſione, in eo toti erant, ut leges & Statuta conderent, ipſis *For*, vel *Fuero de Sobrarbre* (ne ſua Rex in eos poteſtate abuti amplius poſſet) quibus conſtitutum ne Regi, (quemcumque tandem eſſent electuri,) abſque duodecim Principum regni virorum, eâ fine ſelectorum conſenſu, quicquam liceret ſtatuere: ſuarum immunitatum nihil omnino detraheret: & quorumcunque de Mauris reportatorum ſpoliorum, ut ut amplorum, portiones bona fide regni Proceribus habendas concederet.

Quibus conſtitutis, *Inigo Sancius*, Bigorræ Comes, *Ariſta*, ab agilitate cognominatus, CCC regni Primatum unanimi ſuffragio ad Regiam fuit evectus dignitatem. Qui etiam utrimque præſtito, acceptoque ſolemniter in æde S. Victoriano ſacra Pampelunæ, juramento, Regia obire auſpicatus munia. Filiam Comitis Gonzalis, ex regia Oviedonenſi ſtirpe duxit Inigam: dein Teudam, Zenone Cantabriæ Principe Præfectove natam: Pampelunam & Alavæ regionem Mauris, qui eam iterum occuparant, extorſit: unde Pampelunæ ſe Regem dixit: fato abreptus, ad plures abiit anno 888.

Garcia Iniges, vel Inigo, ejus filius, annos natus 15 Patri ſucceſſor datus: Vrracam, Fortuni, ultimi Arragoniæ Regum, filiam, matrimonio ſibi junxit: quo Comitatum Arragonenſem Navarræ adjecit: ex hac Fortunum, & Sanchium Abarcam ſuſcepit filios, natamque Sanctiam, vel Sanchiam dictam, Ordonio, ſecundo Legionis regi nuptui dein elocatam. Mauros ſæpe debellavit: mortem oppetens contra eoſdem prælians, ſalutis anno 905.

Fortunus II, in Navarræ regno Patri, ſimul & Matri in Comitatu Arragonenſi ſucceſſit: tandem, poſt regnum annos aliquot adminiſtratum, Monaſterio Sancti Salvatoris Lyrenſi Religioſum ſe mancipavit; fratri Status & politicam adminiſtrationem deferens.

Sanchius Abarca, à calceamenti cujuſdam, quo frequens utebatur, genere, ita dictus, ex Theuda conjuge, ſuſcepit filios Garciam Sanchez; Ramirum Gonçalem, & Ferdinandum: & filias quinque: quarum natu maxima, Vrraca, Alphonſo IV, Oviedonenſi & Legionenſi Regi, elocata: cæteræ, Tereſa Ramiro Oviedonenſium Regi: Maria, Senofrido Barceloniæ Comiti: Sancia, ſecundis nuptiis Ferdinandi de Gonçales, Caſtillienſis Comitis elocata; & Blanca. Rex hic, quicquid Ribagorziæ, & Sobrarviæ Mauri occupaſſent, etiamque reapſe poſſiderent, armis felicibus recuperavit: Mauros in Alava provincia continuis laceſſens bellis, conterminos ad Ocæ montes uſque ſibi populos ſubjiciens: quique ex utraque Iberi fluminis ripa, Hueſcam, Tudelamque & Saragoſſam uſque ſe extenderent populi, dominio ejus ſe ſubmittebant: tandem viginti exactis regni ſui annis, ſalutis 926, prælio contra Ferdinandum Gonçales, Caſtiliæ Comitem, occubuit.

Garcia Sanches, tam in Navarræ regno, quam Arragoniæ Comitatu Patrem ſucceſſor ſecutus, annos quadraginta imperans. A Comite Ferdinando Caſtilienſi, quem laceſſiverat, anno 959 captus, tandem tredecim poſt elapſis menſibus, priſtinæ reſtitutus eſt libertati. Genuit ei uxor Theuda Sanchium, Garciam & Ramirium; treſque præter eos, filias, Vrracam, Ermeſildam, & Ximenam: vitam verò cum morte Rex commutavit anno 966.

Sanchius Garcias, ejus nominis III, regni ſibi ſocium legit fratrem Ramirium: at decennio, cum fratre Sanchio regni rebus adminiſtratis, prole deſtitutus Ramirius obiit. Sanctius annos viginti & ſeptem regnavit; Pampelunæ, Anagaræ, & Alavæ ſe Regem dictitans, & Guipuſcoam Navarræ regno conjunxit. Garciam Sanches ex Conjuge Vrraca ſuſcepit, *Tremulum* cognomento, & Gonçalem: obiit anno 995.

Garcia Sanches ejus nominis V, *Tremulus* dictus, quippe quotiens prælii conflictus inſtaret, totiens tremebundus videbatur; licet verò omnium generoſiſſimus & bellator ſtrenuiſſimus poſt probatus. Navarræ regnum patrium indeptus, fratre ſuo Gonçalo una cum Matre Vrraca Arragonenſe poſſidente: qui ad fratrem reverſus, ex conjuge Ximene Sanchium filium genuit; tandem regni ſuo anno ſeptimo, ſalutis anno CIO fatis conceſſit.

Sanchius IV, bellicorum facinorum ergo, & ob regni ſui amplitudinem, cognomento *Magnus*. quicquid enim in Hiſpaniis obtinerent Chriſtiani poſſedit ipſe: unde Hiſpaniarum Imperator dici aut voluit, aut meruit; filiam Domini Sanchii Garciæ, Caſtiliæ Comitis, Nuñam, in thalami conſortem ſibi legit. Vnde non exigua ei hujus Comitatus portio hæreditate obtigit. Garciam ea peperit, Navarræ, Parentis poſt fata, regem: Ferdinandum, primum Caſtiliæ regem: Gonçalum, Sobrarviæ & Ribargorciæ regem. Ramirus Sancti nothus, ex Patris Teſtamento, Comita-

tatum Arragoniæ,& regni tum quidem ſuperbum titulo, obtinuit. Tandem, Rex ipſe anno 1035 Ovietum petens, civitate Anagar in regiam ſibi lecta, trucidatus mortem oppetiit.

Garcia, ejus nominis VI, cognomento *Sanches de Nagera*, eo quod hic loci & educaretur, & moraretur, etiamque tandem terræ mandatus eſſet, patrem in Navarræ regno ſecutus, Burevæ inſimul ditionem, Alavam, Guipuſcoam & Cantabriæ adeptus eſt portionem. Principiò Ferdinando, Caſtiliæ regi fratri ſuo, in bello contra Vermondum tulit ſuppetias, quo Legionenſe regnum aſſererere, & ſtabilire felicius ſibi poſſet. Stephanam, illuſtris Foxiæ proſapiæ, natione Gallicam, uxorem duxit; Hiſpana atteſtante Hiſtoria: ex qua quatuor progenuit filios: Sanchium, in regno ſibi ſucceſſorem: Ramirum Calahorræ, Mauris ereptæ, Principem,ex Patris voluntate: Ferdinandum & Raymundum; & quatuor inſuper filias: Ermeſindam, Ximenam, Mayoram, & Vrracam; obiit Rex anno 1053: quo vix extincto, Caſtiliæ rex Ferdinandus, Vivieſcam, Ocæ montes, Riojæ portionem, juxta Oyam fluvium, & Riojæ reliquum Sanchio eripuit: qui Navarræ, Cantabriæ, Guipuſcoæ, Arragoniæ, Logrognæ, & has præter, quarundam Civitatum Dominus & Poſſeſſor manſit.

Sanchius Garcia dictus,ejus nominis V, patri ſuccedens, Ramirium, & Garciam ex conjuge Placentia ſuſtulit; Quicquid Ferdinandus Patruus vellet, ereptum ei ibat: tandem occiſus à fratre Raimundo obiit anno 1076. filiis ejus ad Caſtiliæ regem Alphonſum confugientibus.

Arragonum Rex, *Sanchus Ramires* dictus, Navarræorum Primatum vocatu, Regiis liberis minorennibus, Regno præfectus, Raymundum, titulum Pampelunâ jam invaſâ regium uſurpantem, privatum omnibus, & Saragoçam aſylum ſibi quæritantem, regno pepulit: eam vero Maurorum Rex tum poſſederat, ubi etiam vitæ ſibi finem invenit Raymundus: maxima regni parte ab rege Sanchio recuperata; rege Caſtellæ Alfonſo aliquot ejus ditiones invadente: Birbieſcam, nempe, Riojam, Anagaram, Calahorram & Guipuſcoam totam. Dominum Petrum ei enixa eſt Felicia conjux, in regno ſucceſſorem: Alphonſumque, qui regnum à patris obtinuit obitu, & Ramirium Religioſum: Sancius ipſe morte occubuit violenta peremptus, in Hueſcæ obſidio, anno 1094.

Petrus, Patre ſuperſtite, Sobrarviæ & Ribagorciæ rex creatus, Navarræ & Arragoniæ rex, ab ejus obitu factus, Hueſcam Mauris extorſit; filio ex conjuge Bertha auctus Petro ei cognomine, quem anno 1104 morte extinctum luxit. Succeſſit ei frater

Alphonſus,per quem anno 1108 omnia Hiſpaniarum regna, Chriſtiano nomini devota, in unum quaſi corpus coaluerunt; Legione, Caſtilliâ, Toletoque & aliis provinciis,in uxorem ſuam Vrracam, ex ſucceſſione tranſcriptis. Vnde Septimus nomine Legionis Rex, Navarræ & Arragoniæ primus, & Caſtiliæ ſecundus hic ipſe numeratur. *Præliatoris*, ſive *Pugnacis* nomine donatus, eò quòd vicies ſepties, contra Mauros potiſſimum, (quibus Exeam, Tihauſtam, Borjam, Magallonam, Tudelam, Saragoçam urbes, & has præter, alias quamplurimas, extorſerat) ipſe depræliatus eſſet. Ordinem Equitum S. Salvatoris inſtituit in urbe Montreal, ea fine, ut cuncti Mauros, generoſiſſimorum animorum laudatiſſimo inſtinctu debellarent alacrius. Vrracam uxorem repudiavit, impudicam feminam, Caſtiliæ, Legionis & Toleti regnis deſtitui potius, quam tanto cum Domus ſuæ dedecore & infamia probroſam vitam agere, & prædicta regna poſſidere mallens: dein Caſtilienſibus bellum intulit,qui ſolito eum more venerabantur, adeoque ſuas ei civitates ultro conceſſerunt: Hiſpaniarum etiam Regem ſalutari dicique ſe voluit; tandem à Mauris occiſus, menſe Septembri 1134, improles obiit.

Garcia Ramirus dictus, ejus nominis VII, Monçonæ dominus, Infantis D. Ramiri filius, Sancti Garciæ regis nepos, & regis Garciæ VI Pronepos,qui Regis Sanctii Magni filius fuerat, in Ordinum Pampelunæ Conventu, omnibus ſuffragantibus in Regem electus fuit. Eum Caſtiliæ rex Alphonſus bello adortus eſt,cui ſe ſubjecit, ſuperiorem eum agnoſcens: poſt novum Arragoniæ regem Ramirium & ipſe aggreſſus; utrique autem limites conſtituti: tandem anno 1150 equo lapſus inter venandum periit,Sancium filium ſucceſſorem relinquens.

Sanchius VII,*Sapiens* cognominatus, complura Riojæ loca iterum cepit, à Caſtiliæ rege prius occupata: at quo minus diuturnus eorum poſſeſſor exiſteret, fati livor obſtitit. Ex *Sancha*, ſive *Beatrice*, uxore ſua, Caſtiliæ Infante, Imperatoris Alfonſi filia, Sanchium, ſuum in Navarræ regno ſucceſſorem; Ferdinandum, & Ramirium,procreavit filios: Et filias tres, quarum natu maxima, Berenguela, Richardo Angliæ regi nupſit: altera Tereſa, aut Conſtantia, Virgo innupta denata. Tertia, Blanca, Thibaldo, Campaniæ & Briæ Comiti (Thibaldi, Navarræ regis Patri,) in matrimonium data eſt. Sanchius tandem Sapiens cognomento, Pampelunæ anno 1194, vita defunctus eſt.

Sanchius, ejus nominis VIII, cognomento *Fortis*, ob inſignem ejus generoſitatem, atque fortitudinem, & heroica facinora, in

in Alava provinciâ Trevinum fundavit; Victoriamque urbem plurimis auxit ædificiis, ejusque latius extendit pomœria: inque Riojâ, civitates Gardam & S. Vincentii: Guipuscoam tamen provinciam bello amisit: quæ Castiliæ regi ultro se dedidit. Iacobus, Arragoniæ rex, & ipse hic, reciproca se adoptatione mutuò firmarunt ea lege, ut proxime morituri regnum superstiti cederet: vita tandem ærumnarum tædiorumque plenus, absque liberis emigravit, anno 1234, in regio S. Mariæ Roncevallensis Canonicorum Monasterio sepultus.

Theobaldus Campaniæ & Briæ Comes, defuncti ex Blanca sorore nepos, è Galliâ ad solium Regium à Navarræis evocatus. Quibus morem gerens ille, regnum pacifice obtinuit, etiamque possedit: nulla ei litis contestatione ab Arragoniæ rege mota, super conventiones inter ipsum & Sanchum initas. Tres habuit ipse uxores, primam, Metensis Comitis filiam; quam, ex authoritate Pontificia repudiavit, nullis ex ea liberis genitis. Sibyllam alteram, Philippi Flandriæ Comitis filiam; ex qua Blancam filiam procreavit. Tertiam Margaretam, Archibaldi Comitis Foxensis, filiam, quæ Theobaldum & Henricum ei peperit filios, (qui ambo, suo quisque ordine, Patri in Navarræ regno succedere) & Eleonoram filiam. Terram Sanctam cum exercitu contra infideles petiit anno 1238, tandem 1253 mortuus.

Theobaldus II, Patri successit, ætatis suæ anno decimo quinto. Campaniæ Comitatus, Ludovici S. Regis favore nixus & adjutus, contra competitores importunos, tuitus est suos: Isabellam, Galliæ Regis filiam, uxorem duxit, sed infœcundam: dein Ludovico S. Regi in Terram Sanctam comitem se præbuit; sed redux Siciliæ in urbe Trapania obiit 1270.

Henricus, cognomento *Crassus*, fratrem in regno excepit: penes quem etiam, rege Theobaldo in Palæstina absente, regni administratio fuerat. Ex Iohanna, Roberti Artesiæ Comitis, qui Ludovici Sancti regis frater erat, filia, filium Theobaldum suscepit: quem, nutricis incuriâ pudendâ, ex editiore præcipitem ambulacro delapsum, morte ex eo lapsu secuta, planxit; maxime quod nulla alia præter ipsum prole mascula bearetur. Hoc itaque casu linea Campaniæ Comitum, Navarræ hactenus potitorum regno, defecit: filiam quidem ipse Henricus præterea procreaverat Iohannam, regni Navarræ Comitatuumque Campaniæ & Briæ hæredem. fatis concessit Rex anno 1274, tertio regni sui anno, mense septimo, dieque decimo septimo, filia Iohanna ætatis tum agente annum tertium; quam, de regni successione à Castiliæ & Arragoniæ Regibus gravissimis motis difficultatibus & litibus, in Galliam Mater secum devexit. His ita se habentibus, regni Ordines filiam Principem regni Ordines Domino Petro, Arragoniæ regis filio despondent. At mater, regnum suum Philippi Galliæ regis protectioni committens, filiam, anno 1283 Philippo Puchro, ejus filio, desponsat, elocatque; qui Galliarum rex postea factus, Proreges suos, Navarræ regnum directuros, deinceps ablegavit.

Philippus Pulcher, Franciæ & Navarræ rex, ex conjuge Ioanna suscepit Ludovicum Hutinum, Philippum Longum, & Carolum Pulcrum, qui, Patre defuncto, omnes sibi in Galliæ & Navarræ regnis successerunt; & Isabellam filiam, Eduardi II, Angliæ regis, Conjugem. Iohanna regina Collegium Navarræum Parisiis instituit; Civitatemque Navarræ Pontis reginæ (*Pont le reine*) fundavit; ubi morte extincta est, anno 1305.

Ludovicus Hutinus, matre defuncta, regnum illud obtinuit, Pampelunæ coronatus: Patre deinde mortuo, Franciæ etiam rex factus. Roberti, Burgundiæ Ducis filiam Margaretam uxorem duxit, quæ Ioannam ei peperit filiam, Navarræ postea reginam, & Philippo Comiti d'Evreux, Ludovici Galliæ regis filio, nuptui elocatam. At Margareta in carcere vitam finiente, adulterii convicta, Clementiam, Caroli II, Neapolitani regis filiam duxit: obiitque anno 1315, Vincennis, ætatis anno vigesimo quarto: uxore Clementia gravida; quæ posthumum deinde, sed vitæ brevissimæ filium peperit.

Philippus Longus, Ludovici frater, Ioannam ejus filiam hereditate privans, Franciæ & Navarræ rex successit. Navarræ Proreges constituit: obiit nulla mascula prole relicta, anno 1321.

Carolus Pulcher, fratrem Philippum utroque regno excepit, summo cum Iohannæ heredis legitimæ præjudicio, vitam finiens anno 1328; Navarra nunquam visa, Philippi *Pulchri* ad instar. Conjugem Iohannam reginam prægnantem reliquit, quæ filiam Iohannam posthumam, Philippo Aureliæ Duci matrimonio post junctam, peperit. Quatuor tum mensium subsecutum interregnum, tandemque unanimi Ordinum suffragio Iohannæ, Ludovici Hutini filiæ, Philippi Comitis d'Evreux uxori, Navarræi regni administratio adjudicata fuit.

Philippus, ejus nominis III, Comes d'Evreux, Ludovici Francici filius, qui Philippo Tertio Sancti Ludovici filio genitus, Navarræ suffragiis in Regem electus; Ioannæ, Ludovici Hutini filiæ, legitimæ Navarræ Regni Hæredis, maritus: anno itaque 1329, uterque Navarram petunt; qui & solemni inauguratione Coronationeque prævia, regno potiti sunt. Filios procrearunt Carolum, in Regno successorem; Philippum, Longovillanum Comi-

mitem, Ludovicum Comitem de Beaumont le Royer, & exin Duraty Ducem: Filias, Iohannam, Viceconiti Rohano nuptam: Mariam, D. Petro Arragoniæ Regi à *Ceremoniis* dicto: Blancam, Galliæ reginam, Philippi Valesii uxorem ultimam; & Agnetem, Gastoni Phœbo Foxensi Comiti elocatam. Rex Philippus, cum Castiliæ regi contra Mauros suppetias tulisset, morbo correptus, in urbe *Xeres de la Frontera*, mense Septembri anno 1343 decessit.

Iohanna, Navarræ regina, Philippi vidua, toto ab mariti obitu quinquennio, regno præfuit, & tandem anno 1349 exeunte obiit.

Carolus II, filius, *Malignus* cognomento, ætatis suæ anno decimo septimo successit, Pampelunæ coronatus, anno 1351. Tori sibi consortem legit Ioannam, Iohannis Franciæ regis filiam; ex qua Carolum sibi in regno successorem procreavit: Philippum, in tenera ætate extinctum: Petrum, Mortagniæ in Normanniâ Comitem: & Mariam Deniæ Comitissam D. Alfonso Arragonensi nuptui elocatam; Blancam, non diu superstitem: & Iohannam, Britanniæ Ducissam; dein Angliæ reginam. Hic ille Carolus est, qui plurima prætendens, & quod Angliæ regi fœderatus esset, per filiæ suæ cum illo matrimonium, Galliam plurimum turbavit; temerario ausu, Carolum Hispanum, Franciæ Connestabilem & D. Alphonsi de la Cerda Castiliæ Infantis filium, Aquiliæ, urbe Normanniæ, interimi jussit: at ipse à Carolo, Franciæ Delphino Regis Ioannis filio, captus, decimo octavo post mense evasit, & pace recens cum rege inita, ad regnum suum se recepit. Ex conjuge Iohanna sustulit successorem suum Carolum; Petrum, Mortaigniæ Comitem; Ioannam, Ioannis Montfortii Britanniæ Ducis uxorem: & Mariam, elephantiasi correptam: sed misere Carolus periit, torali quippe involutus, quod vino adusto intinctum, accedente forinsecus flamma, deplorandum vitæ exitum invenit, regni sui anno 37, Christi 1387.

Carolus III, filius ejus, cognomento *Nobilis*, ei successit ætatis suæ anno vigesimo & quinto. Ex conjuge Leonora, Henrici Castiliæ regis filiâ, filiarum pater factus est, Ioannæ, Ioanni Foxio, Archambaldi filio, elocatæ: Mariæ, quæ innupta obiit: Blancæ, Siciliæ & Navarræ Reginæ; Beatricis, Marchiæ Comitissæ, Iacobi Borbonii conjugis: & Isabellæ, quæ virginitatis lauream moriens obtinuit. Filium habuit Carolus cognominem, quem vix natum, denatum luxit: & Ludovicum sexto etiam mense post extinctum. Vitæ tandem finem fecit anno 1425, absque mascula prole; ad plures ante ipsum abeunte filia Iohanna Comiti Foxio nupta, cui Gastonem Foxium peperat.

Ioannes Arragonius, Blancæ maritus (quæ Martini, Siciliæ regis, Martino Arragoniæ rege prognati; deinde & Iohannis, illius, inquam, qui Ferdinando Arragonio prosatus, vidua) jure matrimonii Navarræ rex factus; ex ea sustulit Blancam, Henrici Castiliæ regis conjugem, sterilem quidem, & inde repudiatam: Leonoram, Gastoni Comiti Foxio elocatam; & D. Carolum, Vianæ Principem creatum: qui, matre suâ Blancâ anno 1442 defunctâ ætatis suæ 20, ad regnum evocatus fuit: at Iohannes pater ejus regno cedere noluit; ut ut jure hæreditario ad filium spectaret. Secundam sibi rex Iohannes thalami consortem junxit Ioannam Henricam, Castiliæ Admirantis filiam, quæ Ferdinandum, Arragoniæ, Castiliæ & Legionis Regem, ei peperit. Exinde Beaumontiana & Grammontiana in Navarræ regno factiones, Patre & filio dissidentibus, exortæ. Princeps tandem, Bellimontiorum nixus adjutusque studiis, numeroso collecto milite, anno 1456, palam se Regem ostentans, jura regalia omnia, qualia sunt conferre privilegia, immunitates, aliaque beneficia ad Regium nomen & authoritatem spectantia exequebatur. Cui tamen belli fortuna minus favit, utpote exercitu amisso, captus ipse, Tafallam primùm, Montis regalem dein ad arcem deductus est: quâ tamen, Lerino Comite obside accepto, captivitate Parens eum tandem dimisit. Princeps novis sibi collectis copiis, Patrem denuo hostili aggreditur animo; sed & hac ipsa vice, novercante belli sorte, milite suo prostrato, Neapolin, regis Alphonsi avunculi opem posciturus, confugit. Interea temporis Rex Iohannes fratre mortuo, Arragonici regni adiit possessionem anno 1459; quo Carolus Princeps Parenti suo, & Beaumontianæ factionis principes se reconciliarunt. Contra quem tamen Carolus, sectatores suos proritare non destitit. At verò denuò captus, Regis jussu tandem, Catalauniis id poscentibus, libertati restitutus, brevi post exspiravit; veneno, ut creditur, novercæ opera infectus, anno 1460. Rex Iohannes, in Arragonia maxime residens, Catalauniis bella movit. Gaston Foxius, Iohannis gener, Navarræ regno præfectus, Regem se moliebatur facere; etiamque, Bellimontanis sublevatus partibus, compluria occupavit loca, Pampelunam maxime. Brevi tamen omnia sopita; Iohanne victoriam ex voto obtinente: Comitique Foxio Regni administratione in perpetuum concessa: qui tamen morbo correptus Roncevalli decessit, Galliâ redux, anno 1472, ditionum statuumque Bearniæ & Foxiæ hærede relicto Francisco Phœbo, filii sui Gastonis Foxii (anno 1469 lanceæ cuspidis ictu exspirantis) ex Magdalenâ Francicâ filio primogenito. Gastone Foxio mortuo, vidua *Leonora* Principem se hæreditariam Navarræ, Arragoniæ, & Siciliæ Infantem scripsit, vicesque

gerentem in regno Navarræ, Domini ac Patris ſui nomine, conſtituit; Barcelonæ denique Iohannes rex obiit anno 1479, vitæ 81, regnique Navarræ 53 anno,& quarto menſe. Filiam ſuam Leonoram, Navarræ Hæredem ex Teſtamento inſtituit.

Leonora Gaſtonis Foxii vidua, nono poſt mariti exceſſum anno Navarram hæreditate obtinuit, Tudelæ coronata. Hæc ipſa eſt, quæ Gaſtonem,Magdalenæ Francicæ,Regis Caroli VII filiæ, conjugem peperit, haſtæ ictu, Libourniæ proximè Burdigalam, lethaliter percuſſum: Franciſci Phœbi,& Catharinæ,ſibi in regno Navarræ & Comitatu Foxiæ mutuò ſuccedentium parentem. Alter Leonoræ filius, Ioannes dictus, Vicecomitatum Narbonnenſem indeptus eſt,pro appennagio,Parentis ære comparatum: Mariam hic duxit, Ludovici Aureliæ Ducis filiam: (qui dein rex ejus nominis XII factus:)vel potius Caroli,Aureliæ Ducis gnatam: ex qua ſuſtulit *Gaſtonem Foxium* Nemourſiæ Ducem; in Ravennati prælio occiſum; & Germanam, ſecundam Ferdinandi, ejus nomine V, Hiſpaniarum regis, conjugem. Tertius Leonoræ Filius Petrus Cardinalis fuit: quartus Iacobus, heroicis in Lombardia militaribuſque facinoribus illuſtris, ſed vernante ætatis flore abreptus. Hos præter filios, Leonora quinque habuit filias: Mariam, Guilielmi Montisferrati Marchionis; Ioannam, Comitis Armaigniaci; Margaretam, Franciſci,ultimi Britanniæ Ducis,& Catharinam Comitis Candalæ, uxores; ac Leonoram, Duci quidem Medinæ Celi deſponſatam, at vero ante nuptias, adeòque innuptam denatam. Mater ipſa Leonora anno 1479, quinto & decimo à Coronatione ſua die fatis ceſſit.

Franciſcus Phœbus, Phœbi cognomine, ob inſignem formæ venuſtatem, ornatus; Leonoræ nepos, ætatis ſuæ duodecimo ad regni Navarræ ſolium quidem evectus, toto autem triennio in Foxienſi ſuo Comitatu, Dynaſtiaque Bearnenſi, cum matre Magdalena hæſit, Navarra ne ſemel ſalutata, Beaumontiana Grammontianaque factionibus, præcipua regni loca occupantibus,totamque magnis tumultibus implicantibus Navarram,impeditus. Quam tandem petens, ilicet à Nobilitate ac Civitatibus magno cum applauſu exceptus, abſque ullo obſtaculo, anno 1482, Pampelunæ ſolemniter coronatus eſt; at verò, initio anni 1483, vitæ & regni finem fecit, in arce Bearniæ Pau, ætatis anno ſexto & decimo vixdum transacto.

Catharina Foxia, Franciſci Phœbi ſoror, Navarræ coronam adepta; tamdiu in Galliâ perſtitit, ſpe matrimonii ineundi cum Ioanne Albretto Comitis Alani filio, adeoque ut, celebratis nuptiis, ipſe Navarræ iniret poſſeſſionem: quo temporis lapſu, mater Magdalena Dominum Abenas, Domini Albretti fratrem, Proregem eò deſtinavit. Deinde anno 1493 *Ioannes Albrettus*, & Conjunx Catharina Pampelunæ coronati ſunt. Hoc autem regno propria excidêre culpa uterque animis diſcordibus, Rege Beaumontianas, regina Grammontianas foventibus,ac tutantibus partes; nihilominus fœcundum eorum fuit conjugium: inde enim prognati ſunt, Ioannes & Andreas Phœbus, tenella extincti ætate: Henricus ipſis in Foxio ac Bearnenſi Comitatibus,regioque Navarræ titulo ſucceſſor: Carolus, aliis Franciſcus dictus, in itinere Domini Lautreccii Neapoli decedens: Catharina, Anna, Quiteria, Magdalena, & aliquot alii, hîc anonymi, quod ætate non adoleverint. Vnanimi poſtea conſenſu, Bellimontiana factione diſpulſa, Rex reginaque paci ſtudentes, atque concordiæ, omnes intendere animi & potentiæ nervos, quò ſtatus ſuos dilapſos ſtabilirent. At regi Ferdinando, Ludovico Galliæ regi ejus nominis XII, Iulio Pontifici tum infeſto, bellum moturo, & Gujennam provinciam petenti, tranſitum & iter negarunt. Ferdinandus hac, uti videbatur, motus injuria, tantum à Pontifice obtinuit, ut regem reginamque ſchiſmaticos, hæreticoſque declararet, eoſque, & poſteros ſuos omnes Regno, omnibuſque regni privilegiis ſpoliaret: collatis Navarræ juribus omnibus in Ferdinandum: qui conſcriptis ingentibus copiis, ductu Albæ Ducis, factioneque Beaumontiana ſuffultus, Navarræ regni ſe Dominum ac regem conſtituit: quod annos jam octodecim, menſeſque ſex, Ioannes & Catharina pacifice poſſederant: & ipſa regina ſola, poſt fratris obitum, toto penè decennio: hacque arrepta occaſione, Ferdinandus regnum hoc Caſtiliæ Coronæ adjecit Iulii 25 anno 1512, à quo etiam tempore, Hiſpaniæ reges hoc regnum indies firmare,ejuſque poſſeſſionem magis magiſque aſſerere ſibi omni conatu ſtuduerunt, qua uſque ad hodiernum diem potiuntur. Tandem Rex *Ioannes Albret* deceſſit anno 1517, Leſcaræ in Bearnia ſepultus, quinto pòſt anno menſeque nono ac die vigeſimo, quàm Regno privatus fuiſſet; quem Catharina regina octavo poſt menſe piè ſecuta eſt; relicto filio *Henrico Albretto*, ætatis, tum 14, qui Navarræ ſe regem dixit in uxorem ductâ Margaretha Valeſia, Regis Franciſci I ſorore, matreque Ioannæ, regni Navarræ hæredis; quæ Anthonio Borbonio, Vindocinenſi Duci nupta, ipſum ad Navarræ Regnum evexit,& *Henrici Magni*,Franciæ & Navarræ Regis Parentem fecit; ex quo *Ludovicus*, ejus nominis XIII, cognomento Iuſtus,& Victor,Rex etiam Franciæ & Navarræ, ſatus eſt: cui Chriſtianiſſimus ac Sereniſſimus *Ludovicus* XIV, *Deodatus*, Franciæ ac Navarræ rex florentiſſimus, & potentiſſimus, anno currente CIↃ IↃC LXI, vitam, regnumque poſt Deum, debet.

POR-

PORTVGALLIA,
NEC NON
ALGARBIA.

en.

Ortugalliæ nomen recentius eſt, vel à portu Gallorum, vel à Cale portu, qui olim piſcationis gratia frequentari ſolitus, poſtea in civitatem opulentiſſimam evaſit, totique regno nomen & appellationem dedit. Luſitaniam veteres dixere, à Luſo & Luſa Bacchi comitibus, ut ex Varronis ſententia referunt Plinius & Martianus. Protenditur regnum ultra Durium à Septentrione, Callaicos continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium Miniumque, monteſque Iureſſum atque Maranum clauduntur, ſed qui ultra eos montes per Aquiflavienſes, Tamacanos & reliquos, qui ad Bracaraugustanum pertinent Conventum. Et deinceps per aliquot Aſturum olim populos aſcendit uſque ad Saborem fluvium, oppidumque Sotellum. Vnde reſiſtens convertitur limes ad Orientem per Mirandam urbem ex adverſo Camore Durio impoſitum, ubi introrſus ad Septentrionem curvatur amnis, excipitque Eſtulam fluvium è Legionenſi agro defluentem. Ex eaque urbe prono flumine deſcendit flexu modico uſque ad Fraxinum. Hinc per Tranſcudanorum, Vettonumque aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Salvaterram: rurſumque reducitur majore interius angulo ad Tagi ingreſſum: à quo recto iterum limite procedit, donec paulo ſupra Ouguellam oppidum ad Anam ſe inclinat: per Caiæ & Caiolæ confluentes quatuor circiter paſſuum millibus à Badioza, inſigni Bæticæ provinciæ urbe, Anæ ipſi appoſita.

Trajecto inde flumine ad Auſtrum verſus, ex Bæticis Celticis, qui Luſitaniam attingunt, oppida complectitur memorabilia, Oliventiam, Mojonem, Mauram, Seipam, non longe ab amne diſſita, & Mortiganum ac Noudar caſtella magis in Bæticam penetrantia, ad fontes uſque Ardillæ & Xanthiæ non magni nominis fluviorum, præter vicos ignobiles quoſdam. Atque hæc quidem, quam circumſcripſimus, regio ſeculi noſtri more Portugalliæ regnum appellatur.

Id totum, quod *Portugalliam* dicimus, *Luſitaniæ* propriæ ac veræ partes duas continet, & ex Tarraconenſi Provincia Bracaros, ultraque montes Maranum atque Iureſſum, Aſturum nonnullos & aliquot ex Vettonibus, acceſſionemque ultra Anam, quam diximus.

Clauditur hoc regnum à Septentrione Gallæcia, ab Occaſu & Meridie, ſi Algarbiam comprehendere libeat, maris Oceani ea parte, qui Mini & Guadianæ oſtia intrat, ab ortu Andaluſia, Extremadura, Caſtella & Legionis regno. *Limites.*

Totum vero Portugalliæ regnum longum eſt nonaginta leucas, latum quinquaginta: ambitu ſuo complectitur ducentas & octoginta quinque. Aëre valde ſalubri fruitur, utpote qui ventis marinis multum eventiletur. Solum magna ſui parte montoſum, præſertim in Algarbia, fructus producit longe perfectiſſimos. Abundat oleo, vino, melle. Frumenti nonnulla penuria laborat, quod plerumque à Francis & Septentrionalibus populis accipit. Nec expers eſt metallorum, auri, argenti, aluminis, marmoris candidi & varii. Sericum habet excellens, maxime in Braganzæ regione. Copiam ſalis non modo ſibi, ſed & exteris ſufficit. Piſcoſa admodum eſt ora, & thynnorum captura nobilis; habentque hic piſcem, quem alibi vix reperias, ſoleæ ſimilem, quem ipſi vocant *Azzeviam*. In hoc regno magna eſt olei copia, & præſertim in Sanctareno ſolo tanta eſt ejus abundantia, ut incolæ ejus tractus jactare ſoleant, ſi oleum effunderetur, quod teneant naſciturum inde fluvium haud parciorem Tago. Non minus & frumento abundaret, ſi agri debita induſtria colerentur. Piſcatio ſardinarum (ita minutum quoddam piſcium genus vocant) hic admodum locuples. Nam ex ſola urbe Olyſiponenſi interdum ſupra centum minora navigia ſimul ad hanc piſcaturam ſolvunt. Pecorum præterea & armentorum hic ingens copia. *Magnitudo.* *Aëris & ſoli indoles.*

Dividitur in ſex Provincias. *Prima* vocatur *Alentejo*, id eſt, Trans-Tagana, reſpectu urbis Olyſiponenſis, & pertingit à Cimes pago ad civitatem Elvas, occupans totam regionem, quæ jacet inter Tagum & Anam, & reliqua municipia cum pagis, quæ trans Anam ſunt, ab Alcoitim uſque ad Olivençam, inter quæ ſunt famoſa oppidula Cerpa & Moura. Pars hæc longa eſt leuc. 36, *Diviſio.* *Alentejo.*

OCEANVS OCCIDENTALIS.

PORTVGALLIA et ALGARBIA quæ olim LVSITANIA. Auctore Fernando Alvero Secco.

CONDADO.

ANDALVS

SIÆ PARS.

REGNI CASTELLÆ PARS.

REGNI LEGIONIS PARS.

Scala Milliarium Hispanicorum

Scala Milliarium Germanicorum

Amstedami Apud Guilielmum et Joannem Blaeuw.

lata 34. Eſt hæc inter reliquas Luſitaniæ provincias tritico laudatiſſimo commendabilis, neque aliud tota in Europa colligitur præſtantius, cum primis quod Eborenſe profert ſolum, & illi adjacentes agri ad Pacem Iuliam, Serpam, Mauram & Orichienſem uſque tractum. Quocirca uti Romanæ Reipub. horreum antiqui ſcriptores Siciliam appellarunt, unde Romana civitas alebatur, Regni etiam Luſitani horreum jure dicemus Regionem Transtaganam, inde enim, quod ſingulis annis aſportatur frumentum, Vlyſiponem Regni caput, & ejus conterminos alit incolas, è quibus Regnum haud mediocre coaleſcit. Vinum cum primis nobile, & lectiſſimum abunde profert oleum: Caro inde pinguiſſima & pecudum & armentorum: Transtagani caſei commendatiſſimi: poma & mitiora & inter omnia ſucci & viriditatis tenaciora; ſolum univerſum valde craſſum ac pingue: in hac item provincia pretioſiſſima ſecantur marmora. *Secunda* appellatur *Eſtremadura*, quæ ad mare quidem à Caſcais pertinet ad Mondego; intra continentem autem linea imaginaria clauditur ab Abrantes ad Coymbre pontem, tenetque in longitudine 35 leucas, in latitudine 18. ejus caput eſt Vlyſippo, & feliciorem in Luſitania tractum occupat, in quo omnia, quæ terra profert, viſuntur laudatiſſima: ad hanc ſpectat provinciam Scalabitanus ager, qui cum Sicilienſi poteſt tam pecoris, quam ſegetis ubertate contendere. Magnam ulterius producit olei copiam, quod in ſeptentrionales provincias & in Luſitaniæ vectigales quotidie navibus tranſportatur. Vlyſipponenſe ſolum eſt uberrimum; quod ibidem ſeritur triticum à Transtagano parum abeſt. Vina ad Tagi ripam celeberrima: prope fluvium multæ ſunt ſalinæ. Ex Cetobrica & Salacia lectiſſimum in varias regiones mittitur ſal, nec tanta umquam copia exhauritur. *Tertia* dicitur *Beira*, atque à Coymbra excurrit ad Guardam, continetque totam illam regionem, quam vocant Ribeira de Coa. longa eſt leucas 34, lata, ſi numeres ab Aveiro ad Tourones, 33. Cæterum regio eſt amœniſſima, ob fluvios, qui eam pluribus locis interſecant; frumentum ſuis quod incolis ſit abunde tellus profert, ſecale & milium edit felicius; vinum eſt locis aliquibus maxime pretioſum. Ob aëris temperiem & amœnitatem plurima diverſi generis poma educat: mala, quæ ob inſitam toto anno viriditatem, appellamus *Verdeais*, mittit in reliquam Luſitaniam laudatiſſima. immenſam prope caſtanearum creat vim, qua vulgus inops ſolet victitare; toto ſiquidem anno illam & mollem ſervant & fumo duratam. Magnos alit ovium greges ad montis Erminii radices, qui in magnam regionis partem dum excurrit, plures ex ſe fluvios emittit, & paſcua aſſiduo irrigatu præſtat pecori peraccommoda. In fluminibus (valde ſcilicet frigidis) troctæ ſive tructæ, genus piſcis ſuaviſſimum, captantur, ex tota Hiſpania celebriores. *Quarta*, inter Durium & Minium extenditur, pertingitque ab oppido Porto ad Valençam ſuper Minium; longa leucas 18, lata 12, ubi latiſſima: nonnuſquam tantum octo. Exiguo hoc ſpatio monaſteria habet centum triginta, opimis reditibus dotata; & mille quadringentas ſexaginta Eccleſias parochiales, præter Bracarenſem metropolitanam, & Epiſcopalem Portuenſem. Plus quam quinque mille fontes perennes habet, portus ſex, pontes ſaxeos ducentos. Eſt purum hic cœlum & ſalubre, & ſolum adeo mite ob perennes aquarum fontes, ut mirum in modum hominum ſoboles nutriatur: mulieres ad quinquageſimum uſque annum filios edunt, qui cœli, ac ſolis benignitate ferme incolumes educantur, & ad longiſſimam ſenectutem eaſdem ob cauſas ætatem agunt. Vnde in qualibet ferme domo maritali ad viginti & quinque liberos invenies; ex quo innumera hominum coaleſcit multitudo, ut ſuperiori ætate videre fuit, cum militaris cenſus ex more per ſingulas fiebat provincias Luſitaniæ; tunc enim Barcellorum in finibus (oppidum eſt Interamnenſe) duobus & triginta ſub ſignis, armatorum millia ſeptemdecim cenſa fuerunt. Incolæ triticum aliquibus ſerunt in arvis, cæteroqui ſecale & milium ab inſita terræ vi colligunt abundantius. Pomis cujuſque generis eſt uberrima: paſcua carnem ex univerſa Hiſpania teneriorem & guſtui jucundiorem: ora maritima piſces præſtat delicatiores. Vvæ altis ex arboribus ſuſpenſæ magnam vini edunt copiam, non illud dulce quidem admodum & pretioſum, ſed quod alendæ plebi ſit abunde. Venationi & aucupio eſt maxime opportuna, alitibus enim, ſylvarumque animantibus abundat, neque aliunde canes venatici, aut volucres rapaces ſunt quærendæ; utrumque enim nec ignobile tellus præſtat. Ita denique regio iſta aſpectui eſt jucunda, hominum uſui utilis & accommoda, ut eam non immerito mortalem paradiſum poſſimus nuncupare; in illa ſiquidem toto anno vernantes flores invenies, quaſi ver primum ſemper effloreſcat; unde Strabo Luſitaniam ſolum fortunatum appellavit. *Quinta* appellatur Transmontana, à fluvio Tamaga ad Epiſcopatum Mirandæ extenſa, longitudine 30 leucarum, latitudine viginti. Contium civitates & Brigantium complectitur & illuſtria aliquot oppida, vini, olei & pecudum ſatis ferax. *Sexta* regnum Algarbiæ, quod à Ceixe pertingit ad Caſtromarinum, è regione Ayamontii; longa 27 leucas, lata 8, ubi longitudo & latitudo maxima; de eo infra fuſius.

Eſtremadura. *Beira.* *Interamna.* *Transmontana.* *Algarbia.*

Com-

Civitates. Complectitur novendecim civitates, & multa ac grandia satis oppida. Civitatum tres sunt Archiepiscopales, *Olyssippo*, *Braga* sive *Bracara*, & *Ebora*. Novem Episcopales, *Coymbra*, *Porto*, *Viseo*, *Lamego*, *Guarda*, *Miranda*, *Portalegre*, *Elvas*, & *Leiria*: reliquæ sex sunt *Bragança*, *Beia*, *Idaña*, *Tavila*, *Lagos*, *Fares*, & *Sylves*; quarum quatuor posteriores sunt in regno Algarviæ, & sub uno Episcopatu comprehenduntur.

Olyssippo. Metropolis est *Olyssippo*, hodie *Lisboa*, ad ripas Tagi fluvii sita, septem leucas ambitu suo complectitur, viginti duas portas ad ripam fluminis, & versus terram sexdecim turres septuaginta septem mœnibus collocatas habens, cæterum est septem satis altis montibus superstructa, quorum non modo convalles, sed & clivos occupat. Primus est S. Vincentii ad Orientem, qui Maurorum temporibus extra civitatem fuit. Secundus mons ad Occidentem est prioris, ad portam S. Andreæ ascendens. Tertius, qui altissimus, & undique præceps, munitissimum habet castellum, altis turribus & muris cinctum. Quartus dicitur S. Annæ, estque triangularis formæ, & medius inter Castelli montem & S. Rochi. Quintus est S. Rochi, qui à porta *Do Ouro* secundum vallem, quæ media est inter ipsum & montem Castelli sensim ad S. Rochum ascendit, rursusque per angustam vallem ad ripam fluminis descendit. Sextus mons dicitur vulgo *das Chagas*, id est, quinque plagarum Domini: propter Ecclesiam quam hic nautici homines ædificarunt, qui nempe in Indiam navigant. Septimus est S. Catharinæ montis Sinai, qui versus Occidentem à sexto ampliſſima valle divisus. Horum quinque firmo muro cincti sunt, in quo septuaginta septem editæ turres assurgunt. Maxima hujus civitatis vis est in maritimis expeditionibus, ob navium multitudinem & robur. Fidem facit, quod anno 1588 in formidabili illa classe, qua Angliam invadere decreverat Philippus Hispaniarum Rex, tredecim fuere Portugallicæ, qua Zabræ, qua Galeones, inter quas eminebat Galeon S. Martini, qua Dux Medinæ vehebatur, & milites mille; & S. Ioannis, qua octingenti milites; & denique S. Matthæi, qua sexcenti. Armamentaria habet plurima, omni bellico apparatu instructa. Cæterum in civitate Olyssiponensi quadraginta sunt parochiæ, quæ à *nostra Senñora de olivis* ad *nostram Senñoram de vinda*, duarum leucarum intervallo continentur. In quibus parochiis, ratione superioribus annis accurate subducta (peregrinis omnibus exceptis atque advenis Portugallis nequaquam annumeratis) fuerunt supra viginti novem millia familiarum; & centum & decem mille & octingentæ animæ; præter trecentos clericos in eisdem ecclesiis ministrantes. Sunt in eadem viginti monasteria religiosorum, in quibus variorum ordinum monachi mille trecenti sexaginta quinque; & octodecim religiosarum virginum, in quibus itidem variorum ordinum monachæ mille octingentæ & triginta.

In macello Olyssiponensi quotannis mactantur undecim millia boum, centum millia ovium, quindecim millia caprarum. ita ut vectigal carnium in macello veneuntium in annos singulos locetur quinquaginta quinque millibus ducatorum. Portu claret famosissimo, quem Tagus efficit, qui quindecim aut viginti milliaribus maximis navibus navigabilis est. Porro Lisbona in sedem Archiepiscopalem evecta est à Bonifacio IX P. M. anno salutis nostræ 1390, petente Iohanne I Portugalliæ rege; Archiepiscopus vero suffraganeos habet Episcopos in Portugallia Conimbricensem, Lerienſem & Portalegrensem, præter septem in Africa & America alios; possidetque reditus annuos 40000 ducatos.

Inter Civitatem hanc & Cascaiis quinque leuc. intervallo sex sunt arces; quarum prima, munitissima & splendidissima est Belem, in qua multæ machinæ bellicæ dispositæ.

Secunda maxima, multisque propugnaculis & machinis instructa, arx S. Iuliani, ad ipsum Tagi æstuarium, ubi mari miscetur; in qua septuaginta majora tormenta bellica, & præsidium quadringentorum militum.

Tertia quæ *Cabeca Secca* dicitur, in medio æstuario, situ à natura munitissimo.

Quarta arx S. Antonii, à monasterio ejusdem nominis illi vicino sic dicta.

Quinta denique in oppidulo Cascaiis, omnibus rebus ad propulsandas hostiles naves abunde instructa.

Braccara Augusta, nunc *Braga*, ad fluvium Cadavum, quinque à mari Oceano leucis sejuncta sita est civitas, Metropolitana sede jam ab anno 1067 conspicua, Archiepiscopo suo tam in temporalibus quam spiritualibus parens, & cum Toletana ecclesia de Hispaniæ Primatu jam multo à tempore certans; Præsuli suo 40000 ducatorum annuos confert reditus; celebrantur ejus incolæ, præsertim sequioris sexus, ob heroica gesta & victorias sæpius à Romanis relatas. territorium circumvicinum frumenti, vini, fructuum, olerum, leguminum, ferinæ carnis, pecorisque admodum ferax est. *Braga.*

Ebora sita est in medio regionis Trans-Taganæ, in loco campestri situ paulum elevato & plane amœno, in planitie ab impendentibus undique montibus cincta, qui densis venustisque nemoribus ornati sunt, campi subjacentes fertilissimi, utrique argenti fodinis excellentes: præterea eam illustrat Academia magis litterarum splendore, quam antiquitate conspicua, utpote quæ Henrico Cardinali *Ebora.*

Infanti Luſitaniæ Præſuli ſuo ortum ſuum debet ab anno 1559. Archiepiſcopali quoque ſede eſt inclyta, quam dignitatem ſatisfaciens petitioni Iohannis III, Portugalliæ Regis, in eam contulit Paulus III P. M. conſtituens primum Præſulem ſupra laudatum, D. Henricum Cardinalem Regis dicti germanum.

Coimbra. *Coimbra* Civitas ſeptem Portugalliæ Regum Patria, ad fluvium *Mondego* dictum, qui duas urbis partes pulcherrimi operis ponte conjungit, octo ab ejus oſtio leucis loco amœniſſimo ſita, undique olivarum ſylvis vinetiſque cincta. Academiam habet percelebrem, & omni genere litterarum clariſſimam huc Olyſipone, tertio & ultimo tranſlatam à Iohanne III, Rege anno 1553. Præterea Epiſcopatus dignitate gaudet, Epiſcopo luculentos 40000 ducatorum annuos reditus conferens.

Porto. *Porto* Civitas, à qua toti Regno nomen, ad Durium fluvium, non longe ab ejus oſtio, delitiis abundantem, fructuum aliarumque rerum neceſſariarum copia refertum ſitum occupat, portu tuto & fida navibus ſtatione conſpicua, unde à variis mundi nationibus frequentari ſolet, inhabitant eam 4000 civium, ampliſſimis privilegiis ab Alphonſo V, & Ferdinando I Caſtellæ Regibus & Iohanne I, Portugalliæ Rege dotati: Epiſcopum habet cujus reditus annui ſunt 15000 ducati.

Viſeo. *Viſeo* Eduardi Portugalliæ regis Patria digniſſima, in planitie amœna fructiferis arboribus undique conſita, hortis referta, omnibuſque rebus ad victum neceſſariis abundanti ſita eſt, Epiſcopali ſede nobilitata, è qua Præſul percipit ſingulis annis 16000 ducatos; porro & Ducatus eſt caput à Proceribus regio ſanguine oriundis poſſeſſi.

Lamego. *Lamego* non longe à Durio fluvio in territorio, vini generoſiſſimi, cujus plures provincias facit participes, abundanti ſita eſt Civitas, Epiſcopum habens cujus reditus annui 18000 ducatorum ſummam attingunt.

Guarda. *Guarda* aſpero & difficili in loco poſita, muris fortiſſimis cincta, caſtro ſpectabili defenſa, à D. Sancio I, Portugalliæ Rege ut propugnaculum contra Legionenſium fines extructa eſt anno 1199, in hanc Innocentius III, P. M. Epiſcopatum Igditanenſem tranſtulit, unde & hujus Eccleſiæ Præſul uſque ad hodiernum diem Igditanenſis nomine utitur, percipit è diœceſi ſua 22000 ducatos annuos.

Miranda. *Miranda* haud procul à Durio fluvio rupi impoſita, arce ſpectabili ornata, in Epiſcopatum erecta eſt à Paulo III, P. M. petente D. Ioanne III Rege; Epiſcopo reditus annui ſunt 10000 ducati.

Portalegre. *Portalegre* radices altiſſimi montis ſitu ſuo occupat, qui admodum amœnus, cæterum civitatem ipſam fontes limpidiſſimi, muri, turres duodecim, & arx non contemnenda ornant; fundatam ferunt à Lyſia Bacchi filio 1300 annis ante Chriſtum natum: Epiſcopatus dignitatem, petente D. Ioanne III, tribuente Paulo III, Pontifice Maximo, conſecuta, Epiſcopo annuatim reditus 8000 ducatorum confert. Porro D. Emanuel Portugalliæ Rex eam cum annexo Comitatus titulo Didaco de Silva conceſſit; verum hodie poſſidetur à Marchionibus de Govea.

Helvas in loco elevato & à natura contra hoſtiles impetus munitiſſimo, duabus à confiniis Eſtremaduræ Caſtellanæ leucis ſita eſt, cincta muris duplicibus, & à Caſtello pene inexpugnabili defenditur; fertilitate ſoli, nobilitate civium, & imprimis olei bonitate commendatur. Civitatis verò titulum ei D. Emmanuel Rex anno 1513 contulit, & Pius V. P. M. D. Sebaſtiano Rege petente, Epiſcopatus dignitatem conceſſit anno 1570. confert autem hæc diœceſis Præſuli ſuo quotannis 10000 ducatos. *Helvas.*

Leria munitiſſima Civitas medio fere Santarenum & Conimbricam inter eſt itinere, ad rivulos *Lis* & *Lenam*, ſita loco amœniſſimo, & admodum feraci, arcem habet fortiſſimam. Civitatis & Epiſcopatus dignitates conſequuta eſt beneficio Ioannis III, Regis, à Paulo III, P. M. anno 1545: ex ejus Diœceſi Prælatus percipit ſingulis annis 18000 ducatos: ſylvam pinis conſitam, & in ſex leucas extenſam habet vicinam: unde ligna extruendis navibus peti ſolent. *Leria.*

Bexa, Civitas jam Epiſcopalis, perantiqua, Romanorum Colonia olim Pax Iulia dicta, antiquitatibus ſuis conſpicua, in planitie eſt omnium rerum, & præcipue vini generoſiſſimi, feraci, arce ſuperba ſpectabilis. Ducatus cum titulo à Regii ſanguinis perſonis poſſideri ſolebat, nominatim à D. Emanuele, Ioannis II in Portugalliæ Regno ſucceſſore, poſt ab ejus filio D. Ludovico Portugalliæ Infante. *Bexa.*

Bragança duabus leucis à confiniis regni Caſtellæ diſſita, in planitie fertiliſſima ad rivum Fervença, & non procul à Sabore fluviolo, qui ei piſces ſubminiſtrat; licet non habeat Cathedralem Eccleſiam, civitatis tamen gaudet privilegio; Ducatus ampliſſimi caput eſt, cujus Dux, ditiſſimus & potentiſſimus, opera Luſitanorum, regnum à Philippo IV poſſeſſum, occupavit anno 1640. *Bragança.*

Idañia decantati Regis Bambæ patria celebris, non longe à terminis Eſtremaduræ Caſtellanæ ad fluvium Ponſul ſita, paucos admodum numerat cives, utpote qui numerum 600 non excedant. Romanos rerum dominos agnoſcit conditores, Egeditania dicta. olim ſede Epiſcopali illuſtris, quæ nunc Guardenſem in Civitatem tranſlata. Cæterum Ioannes III, Rex Civitatis honorem ei contulit. *Idañia.*

Præ-

oppida. Præter has Epiſcopali ſede conſpicuas, vel Civitatis honore decoras, plurima habet Portugallia oppida, quorum præcipua enumerare mens eſt, & primum quidem quod occurrit, *Zetubal* ſex ab Olyſippone leucis ad radices Barbarii promontorii, & oſtia *Zadan* fluvii ſitum, oppidum eſt opulentum & nobile, piſcium omnis generis abundans ob vicinum mare; ager vero optimi tritici, omniumque frugum feraciſſimus, clauditur altiſſimis montibus; qui à muris ſex tantummodo millibus diſtantes multis villarum ædificiis, & amœniſſimis hortis, fontibus denique limpidiſſimis nobiles, præterea pinetis aliiſque arboribus conſiti. arbuti etiam genus quoddam paſſim producunt, ex quo coccus colligitur ad tingendam purpuram; præterea oppidum incredibili ſalinarum proventu eſt celebre, ex quibus ingens candidi ſalis copia onerariis Belgicis & Germanicis in Septentrionales regiones quotidie aſportari ſolet. *Santaren*, oppidum pervetuſtum Tagi ripis appoſitum, duodecima ab Olyſippone leuca, in editiore colle ſitum: ager olei, vinique maxime fœcundus, tritici feraciſſimus, & licet arctis limitibus concluſum ſit territorium, ingentes tamen tritici acervos fundit, olim Scalabis dicta, poſt Romanorum colonia, nomine Præſidium Iulium, & conventus juridicus. *Cintra* digniſſima Alphonſi V, Regis Portugalliæ patria, antiquiſſimum & nobiliſſimum municipium ſeptem ab Olyſippone leucis eſt, ad montem cognominem ſita. *Alcaçar-doſal* olim ab Auguſto Cæſare jure municipii donata, & Salacia Imperatoria dicta, ad ripas fluvii Zadan ſitum eſt, in diſtrictu Setubalenſi, arcem habens rupi undique exciſæ impoſitam, natura loci & arte munitiſſimam; ſalis hic cogitur magna vis, juncique naſcuntur, ex quibus ſtragula conficiuntur ab exteris nationibus expeti ſolita. *Tomar*, ſeptem à Sanctareno leucis ad fluvium Naban in planitie admodum amœna & fertili ſitum eſt, Ordinis Equeſtris Chriſti ſedes & caput. *Abrantes*, in diſtrictu Tomarenſi ad Tagi ripas, melonum & pomorum excellentium, quos incolæ ſecundo flumine Vlyſipponem vehunt, copia nobile, Ducatus titulo eſt exornatum à Philippo IV, collato in Alphonſum Alencaſtrium Portus Securi Marchionem, & Ducis Averii filium. In oppoſita Liſbonæ Tagi ripa *Almada* eſt, unicæ leucæ ſpacio à civitate diſjuncta, ſitu altiori & munito, qui proſpectum amplum & amœnum undiquaque præbet; fontem habet calculos renum conſumentem. *Villa Vizoſa* octo leucis Ebora diſſita, in diſtrictu *Eſtremoz*, eſt non longe à Caſtellæ limitibus in planitie amœna, & omnium fructuum, ferarum, pecudum fertili, argenti fodinis & latomiis lapidum viridium feraci. Palatio ſumtuoſo & hortis amœnis, antequam Regnum occupaſſent, habitatione quotidiana Ducum Braganciæ, nobile; Marchionatus titulo gaudet, quo filii dictorum Ducum fere uti ſolebant. *Eſtremoz*, duabus leucis tantum à dicto diſtat oppido in colle elevato, cujus culmen arx ſat munita occupat; ſplendidiora urbis ædificia, ex marmore, pulcherrimis coloribus variegato, nativo conſtructa ſunt, inter quæ eminet turris ſpectanda à D. Dionyſio Portugalliæ rege, ædificata & expolita, quæ radiis ſolis illuſtrata, mirificum ſplendorem etiam longum ad ſpatium repercutit. marmor illud quam maxime in conſtruendis Eſcuriali & Belem inſerviit. Cæterum vaſa figulina hic conficiuntur miro artificio, odoris ſuaviſſimi, per totum Orbem expetita. Porro non longe ab oppido fons eſt adeo copioſus, ut in ipſo ſtatim initio molas circumagitet, qui contra cæterorum fontium naturam hyeme totus exareſcit: præterea quidquid in eo injicitur, tractu temporis in lapidem commutare compertum eſt. *Avis* ad fluvium cognominem in prædicto diſtrictu eſt, arce munita defenſum, Ordinis Equeſtris d'Avis dicti ſedes & caput. *Torres Novas* quinque ab oppido Sanctaren, & unica à Tago leucis, in planitie amœna & omnium rerum fertili, cujus medium Almonda fluvius ſecat, viſitur, muris cinctum & caſtro novem Turribus exornato, unde oppido nomen, ſpectabile; à Philippo II Marchionatus titulo donatum eſt, quo primogeniti Ducum d'Aveyro inſigniri ſolent. *Povos* ad Tagum eſt, in ſitu lætiſſimo; hinc innumera malorum aureorum vis in Septentrionaliores Europæ partes aſportatur. *Caſtiñeyra* ad eundem fluvium eſt, Comitatus dignitate conſpicuum, & omnibus rebus abunde proviſum. *Alenquer* ſeptem Vlyſippone leucis diſjunctum, ſitum eſt ad fluviolum, qui non longe ab eo ſe in Tagum exonerat, vina profert ejus territorium laudatiſſima; cæterum Comitatus titulo à Philippo III Rege ornatum, poſſidetur à Ducibus de Hijar. *Torres Vedras* non longe à maris Oceani littore, ſeptem ab Vlyſippone leucis ſpectatur, arce ſat munita inſtructum, olim dos Reginarum erat, nunc titulo Comitatus dotatum à Philippo IV, & D. Iohanni Suarez d'Alarcon in remunerationem fidelitatis donatum. *Olivença* ad Anam fluvium & limites Regni Caſtellani ſita, nomen à frequentibus oleis conſecuta eſt, arcem habet probe munitam, & agrum fructuum omnis generis feracem. *Porto de Mugen* ad Tagum eſt, & octavum ſuper Vlyſſiponem lapidem; nomen ei dedit piſcium, quos Mugens vocant incolæ, frequens & non inutilis piſcatio. *Moura* in diſtrictu Bejenſi trans Anam Andaluziam verſus, in planitie ſpacioſa & Arditæ aquis, nec non innumeris fon-

fontibus irrigua conſpicitur arce munitiſſima ornatum. Palmela haud longe ab oppido Setubal ſita eſt ad latus montis, cujus verticem fortalitium inexpugnabile in rupe viva tuetur. ſedes eſt Ordinis Equeſtris S. Iacobi. *Villa Verde* à viriditate prati circumjacentis nomen ſortitum eſt, in monte vulgo Montejunto dicto. *Redondo* eſt in diſtrictu Eborenſi, arce non contemnenda, & pannificio celebre. *Azumar* Comitatus titulo à Philippo IV ornatum, ſpectat ad D. Franciſcum de Melo, Marchionem Turris Lacunæ, haud ita pridem Regium in Belgio Gubernatorem. *Louriñaa. Benavente* ad Tagum & *Alcañede* in diſtrictu Sanctarenenſi, Ordinis Equeſtris Aviſii ſunt. *Arruda* in diſtrictu de Torres Vedras: prope hoc oppidum locus eſt, *Antas* vulgo dictus, qui certum lapidum genus elargitur, è quibus furna piſtorum conficiunt incolæ, ea virtute præditos, ut calefacti ſemel, per duos dies integros calorem conſervent coquendo pani ſufficientem. exportatos vero qualitatem eam perdere, communiter aſſeverant. *Orem* in diſtrictu de Tomar loco alto & difficili ſitum, & Comitatus titulo clarum, poſſidetur à Duce Bragançæ. *Cecimbra* ad mare Oceanum ſita eſt cum fortalitio probe munito. *Figueyro* vino generoſiſſimo, & Comitatus titulo nobile, eſt Franciſci de Vaſconcelos, beneficio Philippi IV regis. *Villa Franca* prope Vlyſipponem innumeros paſcit pecudum greges. *Allandra* ad Tagum eſt. *Atalaya*, in diſtrictu Tomarenſi, loco eminentiori & fertili ſita cum arce haud contemnenda; Comitatus caput eſt haud ita pridem à Philippo IV Rege D. Petro Manueli donatum. *Salvatierra* prope Liſboam in diſtrictu Sanctarenenſi, frumenti, vini, fructuumque ferax. *Sartan* in diſtrictu Tomarenſi eſt, ortum ſuum Sertorio debet. *Pedrogan* in eodem diſtrictu ſitum inter fluviolos Zezare & Pera, admodum ſalutifero gaudet aëre, & fertiliſſimo territorio, ducentis fontibus limpidiſſimis irriguum, Regum Portugalliæ, dum Conimbræ degerent, deliciæ & ſeceſſus. *Almeyrin* in diſtrictu Sanctarenenſi in oppoſita Tagi ripa viſitur, in territorio fertilitatis ſummæ, & aëris optimi, nec non feras omnis fere generis venationibus regiis ſubminiſtrante; quamobrem Portugalliæ Reges non pauxillam æſtatis partem hic conſumere conſueverunt: præterea arce ſat munita & Palatio Regum ſumtuoſiſſimo ſpectandum eſt. *Zambuja* in eodem diſtrictu ad Tagum eſt. *Serpa* cum arce in diſtrictu Bejenſi, jam à Romanorum tempore eo nomine nota, non longe à limite Andaluſiæ Anæ fluvii aquis alluitur. *Soure*, Equitum Chriſti proprium, in diſtrictu Tomarenſi eſt. *Puñete* in eodem diſtrictu ad confluentes Tagum & Zezaram fluvios arce ornatum eſt. *Campo Mayor* territorii Elvenſis municipium eſt, haud procul ab Eſtremaduræ Provinciæ terminis. arce munitiſſima ſpectabile, cælo gaudet admodum clementi; feminæque pulchritudinis laudem cæteris vicinis præripiunt. *Viana* quatuor Ebora leucis diſſita, caſtellum habet ſat munitum. *Porto de Mos*, in diſtrictu Lerienſi eſt cum arce. *Pombal* Territorii Tomarenſis. *Atouguja* ad mare Oceanum eſt, forti caſtro defenſum. Alphonſus V, Alvaro Gonçales d'Atayde id ſub Comitatus titulo poſſidendum dedit; idque D. Sebaſtianus in perſona Ludovici d' Arayde renovavit. *Monte Mayor el Nuevo*, Patria Beati Iohannis à Deo, in diſtrictu Eborenſi eſt, olim Marchionatus titulo clarum. *Alcobaça* in diſtrictu Lerienſi ſita, nomen ſortitur à fluviolis, Alcoa & Baca, eam præterfluentibus, quamque exornat arx ſpectabilis, ſed præcipue monaſterium ſive Abbatia regia ordinis S. Bernardi ibidem exiſtens, plurium Regum Luſitanorum ſepulchris clara: eam fundaſſe dicitur Rex Alphonſus Henricus I anno 1147, voti ſolvendi gratia quod in expugnatione Sanctareni voverat. Primus ei Abbas ab ipſo S. Bernardo præpoſitus eſt Raulfus, quem primæ dignitatis viri ſecuti ſunt, nominatim D. Alphonſus Cardinalis, & poſt Henricus Emanuelis Regis filii: nec non Sereniſſimus Hiſpaniarum Infans D. Ferdinandus S. R. E. Cardinalis, Philippi III Regis filius. Cæterum Prælatus hic, oppidi ſpiritualis & temporalis dominus, Epiſcopalibus utitur inſigniis; redituſque ejus duodecim ducatorum millia excedere feruntur. *Portel* diſtrictus Eborenſis municipium in colle eſt, cujus verticem arx non contemnenda occupat. *Eboramonte* cum arce munita eſt in territorio d'Eſtremoz, paſcuis, campis, montibuſque amœnis juxta ac fertilibus undique cinctum. *Iurumeña* ſitum pauxillum elevatum tenet ad Anæ fluvii ripas, arcemque habet à Dionyſio Rege exædificatam, & ſeptendecim turribus munitam. *Monforte* in monte prælto & fere inexpugnabili viſitur, arcem habet in ejuſdem ſummitate circumjacentibus campis late dominantem. *Caſtelo de Vide* duobus à Portalegre leucis, inter duos montes in planitie admodum fertili eſt. *Veyros* diſtrictus d'Eſtremoz oppidum ad Anhalouram fluvium eſt, qui piſces incolis ejus abunde ſubminiſtrat, arcem oſtentat à Laurentio Alonço nono Ordinis Equeſtris d'Avis Magiſtro fundatam. *Alegrete* in territorio Portalegrenſi, nomen à ſitu amœno & pergrato conſequutum eſt, conditorem Dionyſium Luſitaniæ Regem veneratur. *Marvan* in eodem diſtrictu eſt. *Arroaches*, ejuſdem quoque territorii oppidum, ad montem eſt. *Coruche* ad fluviolum cognominem, qui campos circumjacentes rigans, mire fertiles efficit, in diſtrictu Sanctarenenſi quatuor ab ea leucis viſitur.

tur. *Arroyolos* tribus Ebora leucis ſejunctum, arce pulcherrima ornatum, & Comitatus titulo gaudens, Ducum Bragancæ in patrimonio eſt. *Borba* duabus à Villa Vizoſa leucis, in diſtrictu d'Eſtremoz eſt ſitu plano, olim Comitatus titulo inſigne, quem Ioannes II, Portugalliæ Rex, Vaſconi Coutinhæo Mareſcalci D. Franciſci Coutinhæi filio, in præmium detectæ conjurationis à Didaco Viſei Duce in perſonam regiam machinatæ, conceſſerat. *Monçaraz. La Batalla* diſtrictus Lerienſis oppidum, ob Monaſterium Regium Ordinis Prædicatorum, & plurium Portugalliæ Regum Mauſolæum famoſum. Id ortum ſuum debet D. Iohanni I Regi, qui illud in ſignum devotæ gratitudinis, (poſt prælium hiſtoricorum ſcriptis admodum celebratum, & communiter Allubarrota dictum) exædificavit. *Acençeyra. Monte Argil. Noudar* cum arce ad Anam fluvium. *Alandroal* in diſtrictu Elvenſi, ad rivulum piſcibus abundantem, ſitu paulum elevato cum arce eſt, omnibus fere rebus neceſſariis proviſum. *Peniche* ad littus maris Oceani duabus à Barlengis Inſulis, quatuordecim Vlyſſippone leucis eſt, piſcatione nobile, & fortalitio egregio à Philippo II, Rege extructo, probe munitum. *Mertola* olim Iulia Myrtilis, ad confinia Algarbiæ & Anam in territorio Bejenſi eſt, ſitu à natura admodum munito & elevato, Romanorum temporibus municipium erat opulentum, quod ruinæ, ſtatuæ, columnæ aliaque antiquitatis veſtigia abunde teſtantur. Anno 1239 eam Sancius Secundus Rex Mauris eripuit, & Ordinis S. Iacobi in Portugallia ſedem conſtituit, quo privilegio gaviſa eſt, uſque dum Palmela eum conſequeretur honorem. *Faro* tribus à Beja leucis in colle ſitum, Comitatus titulo inſignitum. *Mourao* cum arce in diſtrictu Elvenſi eſt. *Berengel* ad rivulum Gallego in diſtrictu Bejenſi. *Ouguella* cum arce munita in territorio Elvenſi, montem occupat expugnatu difficilem & pæne inexpugnabilem, cujus radicem lambit fluvius Chebora; fons hic viſitur prodigioſus, duabus qualitatibus præditus, nimirum quod animal quodcunque, exceptis ranis, vita privet, & carnes leguminave coquere reſpuat. *Fronteyra* territorii Eſtremacenſis oppidulum ad fluvium Avis, arcem habet aliquantulum deſolatam. In eodem diſtrictu *Cabeça de Vide* eſt, cum arce in colle eminenti, natura loci & arte contra hoſtiles inſultus probe munitum. in diſtrictu Portalegrenſi viſitur *Alter de Chaon*, in planitie læta & admodum benigna, nec non multis fontibus irrigua, Romanis ortum ſuum debet nominatum eorum qui temporibus Elteri vixere. *Barbacena* in diſtrictu Helvenſi eſt. *Seda* diſtrictus Eborenſis eſt. *Penela* in territorio Conimbricenſi, arcem habet fortiſſimam. *Tentugal* in eodem territorio non longe à fluvii Mondego ripis; nec procul ab hoc oppidulo prodigioſus ille fons viſitur *Fervenças* dictus, qui quamvis profunditas ejus unius pedis non excedat menſuram, nihilominus quævis immiſſa abſorbet, arbores, animalia &c. cujus experimentum factum eſt coram Ioanne III, Portugalliæ Rege, & Henrico Cardinali poſtmodum Rege. Cæterum oppidulum Comitatus titulo poſſidetur à Marchionibus de Ferreyra. *Penacova* ejuſdem diſtrictus finibus continetur, non longe à fluvio Mondego. *Cantañede* in eodem diſtrictu, Comitatus eſt à D. Alphonſo V, Rege, in Petrum Meneſium collatus, & à Philippo III in alio Petro Meneſio confirmatus. *Fos d'Arouce* & *Miranda del Cuervo*, ſunt quoque hujus diſtrictus oppida, quorum hoc Comitatus titulo inſigne ad Souſas pertinet. *Gois* in valle duobus montibus cincta, & adeo profunda eſt, ut quam parciſſime tempore hyberno eam Solis illuſtrent radii: fluvius Seira oppidulum alluit, & piſcibus ſuis providet. *Zarcedas* cum arce in diſtrictu Tomarenſi, Comitatus à Philippo IV, Roderico Lopes de Silveyra conceſſus eſt. *Obidos* diſtrictus Lerienſis oppidum, ſitu elevato eſt, arcemque habet rupi impoſitam & fere inexpugnabilem, frumentum, vinum, fructus territorium vicinum benigne profert; lacus vicinus & mare haud longe diſſitum piſces ſuppeditat: tribus ab eo leucis balnea ſunt *Caldas* dicta, ad quæ variis morbis impliciti confugiunt: cæterum Comitatus titulo eſt inſigne, quo Philippus IV, Rex, D. Vaſconem de Maſcarenhas donavit. *Santa Chriſtina* territorii Conimbricenſis oppidum eſt. *Aveyro* diſtrictus ſui caput, novem Conimbricâ abeſt leucis, in planitie ſpatioſa, portu fido & ſalinis ſuis celebre, omnium rerum neceſſariarum copia abundat, fontibus tam artificioſis quam naturalibus ad uſum & delicias irriguum. Ducatus titulo ſuperbit, privilegio gaudet à D. Alphonſo III rege anno 1265 conceſſo, quod nequidem regio natis ſanguine, niſi oppidanis conſentientibus, in eo pernoctari liceat. *Ceyra* ad fluvium Mondego. *Monte Mayor el Viejo*, ad eundem fluvium in diſtrictu Conimbricenſi, arce ſpacioſa & probe munita ornatum, incredibili frumenti, vini, piſcium, avium, ferarum, pecudum, fructuum, leguminum, & lini optimi copia affluens, hortiſque admodum delicioſis cinctum. Ramirius Primus Legionis Rex oppidum hocce Mauris eripuerat anno 848, cum ecce paullo poſt Barbaros incredibili numero, ſub Abderramen Cordubæ Rege & Zulema belli Duce oppido iterum circumfuſos. aſt oppidani poſt egregiam defenſionem rem deſperatam rati, liberos & uxores ſuas, ne in barbarorum manus, & periculum renunciandæ fidei Chriſtianæ inci-

derent, desperato, sano inceptu jugulare instituunt. Post, duce Ioanne Abbate Lorbanensi, eruptione facta, & septuaginta Maurorum millibus cæsis, victores jam miserandam suorum mortem ingemiscunt, culpantes nimis præcipitata in sua damna consilia: ferunt authores Hispani unanimiter, Deum Opt. Max. miseratum oppidanorum, cadaveribus recens occisis, portentoso miraculo, vitalem reddidisse auram, omnibus eorum jugulum circulo sanguinei coloris notatum, in memoriam tanti miraculi ostentantibus. *Feyra* arce & Palatio dominorum suorum sumptuoso ornatum in districtu Aveirensi est, gentis de Pereyra Comitatus. *Arrifana de Sousa* Portu quinque leucis abest. Quatuor ab eadem Civitate leucis est *Zurara*, ad fluvium Ave. è Regione Portus ultra Durium qui intermedius fluit, est *Villa Nueva*, Episcopi Portuensis peculium. *Neyva* in territorio Vianensi est ad fluviolum cognominem, Comitatus Ducum Bragançiæ. *Prado* in eodem districtu est, Comitatus honore insigne. *Guimarañes* Portugalliæ Regum olim sedes & aula, nec non Alphonsi, Henrici I, & Sancti Damasi Pontificis Maximi, quidquid in contrarium disputent nonnulli, patria; tribus Braccarâ leucis distat, oppidum lautum est & perpulcrum, arce, Palatio, ædificiisque sumptuosissimis insigne, frumenti, vini, fructuum, ferarum, pecudum, aviumque abundans, fontibus limpidissimis irriguum. tela hic texuntur maximi pretii, nec non filum quod per omnes fere Europæ regiones distrahitur. Non contemnendis porro privilegiis à Regibus Portugalliæ concessis, nec non tributorum per universum Portugalliæ regnum, immunitate beneficio regis Dionysii gaudet: & aliquando à personis Celsissimæ stirpis titulo Ducatus possessa est. *Conde* ad ostium Ave fluvii & Oceani maris littus est, defensum à fortalitio omni apparatu bellico probe instructo; piscatu incolæ victum & quæstum quæritant. *Viana*, quam *de Foz de Lima* vulgariter nominant, quod ripas & ostium Limæ fluvii occupet, oppidum lautum est, & portus maritimus celeber, caput districtus Vianensis constituens: arcem habet munitissimam, & contra hostiles insultus optime omnibus ad defensionem rebus instructissimam, ac pæne inexpugnabilem; ædificia præterea tam publica, quam privata sat magnifica; sex Braccarâ leucis abest, cui incorporatus, quo gaudebat olim hoc oppidum, Episcopalis titulus. *Camiña* tribus Viana leucis abest ad littus Oceani, ubi aquas suas Minius fluvius in eum exonerat, Ducatus titulo possidetur à Menesiis Marchionibus Villæ Regalis. Duabus ab hoc oppido leucis, *Villa nueva de Cervera* ad Minium Galæciam & Portugalliam dividentem est. *Valencia* in districtu Vianensi ad Minium fluvium, in cujus opposita ripa Tuy Galæciæ civitas visitur, Comitatus est ad Marchiones Villæ Regalis pertinens. in eodem districtu ad eundem fluvium est *Monçon* oppidum arce ornatum, & Comitatus titulo insigne, quem Philippus IV, Rex, Roderico Lobo Exercitus Portugallici Duci donavit. *Melgazo* ejusdem territorii cum castro quod Minius aquis suis alluit. *Ponte de Lima* famosum Portugalliæ oppidum, ad amœnissimas Limæ fluvii ripas est, nomen à pulcherrimi operis ponte, ei superstrato, consequutum; Palatio admodum sumptuoso superbit, & fertilitate fere incredibili luxuriat. *Barcelos* quoque in hoc Vianensi est districtu ad fluviolum Cavado, nomen à conditore Amilcare Barcinone, 230 ante Servatorem humani generis natum annis, accepisse dicitur; Comitatus titulo clarum à diversis regio sanguine oriundis fuit possessum: Tandem D. Sebastianus Rex Ducatus honore oppidum illustravit, estque hodie primogeniti Ducis Bragançiæ titulus. *Amarante* in districtu Guimaranensi ad ripas Tamagæ visitur, oppidum sat lautum. *Villa Nueva de Sande. Chaves* ad Tamagam binis à Galæciæ termino leucis est, olim Aqua Flavia dicta: *Torre de Moncorvo. Villa Real* districtus sui caput est, sita ad fluviolos Corgo & Ribera, Metellinæ in Castella Comitibus paret sub titulo Marchionatus. *Villa Flor* amœnissimum oppidulum. *S. Iuan de Pesqueyra* Comitatus Ludovici Alvares de Tavora. *Britiande. Frexo Espadacinta*, ut præcedentia oppida, in districtu Turris montis Corvi est ad Durium & Regni Castellani limites. *Alfandega* & *Mirandela* cum arce ejusdem territorii sunt. in districtu Villæ regalis sunt *Murça, Ermelo, Abreyro* & *Alijo. Viñais* à vino, quod generosum ibi magna nascitur copia, dictum, est in territorio Mirandensi. *Namam* in Comarca Pinelensi oppidulum à paucis inhabitatum. in eadem sunt *Castelo Millor*, *Villar Mayor*, *Castelo Bom*, oppida quæ singula centum tantummodo inhabitatores numerant; nec non *Almeyda* 300 civium oppidum, cujus expugnatio Payo Gutierrez expeditionis duci, Almeydæ cognomen communicavit, unde illustrissimæ illius familiæ nomen & origo. Districtus Lamecensis oppida sunt *Mundin*, *Granja de Tedo* & *Aroca. Castelo Rodrigo* districtus Pinelensis, à Turdulis 500 ante Christum natum annis, conditum est, Palatio superbit à D. Christophoro de Mora ædificato. Dominati sunt huic oppido D. Petrus, Alphonsi Sapientis Castellæ Regis Filius, & D. Ferdinandus Emanuelis Portugalliæ Regis filius. Philippus II titulum Comitis Castelli Roderici D. Christophoro de Mora donavit, quem post Philippus III, Marchionis ejusdem Castelli

ſtelli nomine honoravit. *Pinhel* diſtrictus ſui caput eſt à Turdulis conditum, & à Portugalliæ Regibus eximiis privilegiis dotatum. *Sabugal* ad fluviolum Coa in diſtrictu Caſtrobrancenſis eſt, arce munitiſſima ornatum, Comitatus hujus oppidi titulo, beneficio Philippi II, Regis, gaudet gens nobiliſſima Caſtro-Brancenſis. *Alfayates* non longe à prædicto oppido in territorio Pinhelenſi viſitur, arce non contemnenda conſpicuum. *Sortella* Caſtrobrancenſis territorii oppidum ſub Comitum titulo diu poſſedit gens illuſtris de Silveyra, nunc per matrimonium ſubſecutum pertinet ad Caſtrobrancenſes. *Caſtelo Mendo* cum fortalitio agri Pinelenſis eſt. *Valleltas* Guardenſis eſt, ut & *Penamacor* cum arce, olim Comitatus prærogativa inſigne. *Cubillan* oppidum eſt famoſiſſimum ob natales Florindæ, à Mauris Cabæ dictæ, Iuliani Comitis filiæ à Roderico, ultimo Gothicorum in Hiſpania Rege adamatæ & ſtupro affectæ, quod everſionem totius Regni cauſavit; olim Caba Iuliani dicta, nomen corruptum hodie adhuc quodammodo refert, ſitum eſt in diſtrictu Guardenſi ad fluvium Zezere, eximiiſque privilegiis à Sancio I, Portugalliæ Rege dotatum, inter quæ hocce emicat, quod ſervus quilibet per anni integri ſpatium in hoc oppido commoratus, eo ipſo libertatem acquirat, liberoſque ſuos omnium honorum & dignitatum capaces reddat. *Monſanto* Caſtrobrancenſis diſtrictus, oppidum in loco eminenti, & difficilis admodum aditus eſt, Comitatus gentis de Caſtro. *Idaña* in eodem diſtrictu eſt, cognominata nova, ad diſcrimen Idaniæ veteris, quæ ejuſdem territorii eſt Civitas. *Celorico* in monte Herminio, diſtrictus Guardenſis eſt oppidum, à nobilis ſtirpis hominibus inhabitatum; vini generoſiſſimi, quodque Cretico comparari ſolet oleo, fructuum, ferarum, herbarumque ſalutiferarum copiâ beatum; Arcem habet munitiſſimam. *Trancoſo* in diſtrictu Pinelenſi, tribus leucis à ſupra nominato oppido diſtat, arce ſpectabili ornatum, olim Ducatus titulo clarum. *Marialva* ejuſdem territorii oppidum, olim Comitatus. *Sarrancelle*, Guardenſis diſtrictus eſt. *Liñares* ad montem Herminium, Comitatus titulo inſigne, & nobiliſſimæ gentis de *Noroña* patrimonium. *Melo* unicæ tantum leucæ ſpatio à præcedenti ſejungitur oppido, conditorem ejus ferunt fuiſſe Suerum familiæ nobiliſſimæ de Melo progenitorem. *Fulgoſiño* in eadem Comarca eſt, ut & *Govea*, Marchionatus à D. Philippo IV, D. Manricio de Silva Comiti Portalegrenſi donatus. Paullo ulterius *Seya* conſpicitur ad radices montis Herminii, qui quovis anni tempore nive tecti, ipſa æſtate horridam oſtentant hyemem: in diſtrictu Viſienſi oppida ſunt *Boucela*, *San Pedro de Sul*. *Trapa* & *Fereyra*, Marchionatus titulo inſigne.

Multis fluminibus irrigatur Luſitania. Id ſilentio non præteriit Strabo. *Regio*, inquit, *de qua loquimur, felix eſt*, & amnibus magnis & parvis irrigua. Qui omnes ab Oriente pariter disjuncti à Tago ſunt, & majori ex parte navigabiles: atque *Anæ*, *Tagi*, *Mundæ*, *Vaccæ*, *Durii*, *Avi*, *Limiæ ac Minii* tanta claritas eſt, ut in eis explicandis operam inſumere ſupervacuum videatur. Sunt tamen in ſingulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, ut opinor, non injucunda ſunt futura. Veluti *Anæ*, tanto flumini, cuniculis ſe totum condere non ſemel, alicubi interſtitio quadraginta mill. paſſ. rurſuſque impetu majori renaſci. Potu ejus ac paſtu, ingenita naturæ vi adeo grandeſcere pecudes, ut Ananis armentis, ac bobus, prima ex magnitudine palma in Hiſpania tribuatur. Cumque piſcoſiſſimus amnis ſit, piſces tamen ejus non tam jucunditate ſaporis, quam proceritate commendantur. Myrtilin uſque à mari ſubeunt aloſæ & lampetræ: ſubeunt & ſub idus Martias ad jam adultam æſtatem aſturiones juſta magnitudine, ſed raro majores, quam ut bini mulum onerent clitellarium. *Flumina.* *Guadiana.*

Callipodis meminit ſolus Ptol. eſtque is qui in Cetobrigenſem ac Salacienſ. ſinum ingreditur, ad XII mill. paſſ. ſupra Salaciam, onerariis navigiis & celocibus navigabilis. vulgo Sadanum appellamus. Familiares huic flumini ſunt mugiles, tum cephali, tum labiones, barbi & anguillæ, egregio ſapore. Bocæ quoque & minores alii piſces, atque ubi ſalſis intermiſcetur undis, cammarorum pectinumque proventus ingens.

Miſcetur *Tagus* marinis aquis in intimo ſinu ad oppidum Villamfrancam. Latitudinem oſtii Strabo ſtadiorum eſſe viginti tradidit, altitudinem vero permagnam, ut à navigiis millia decem vectantibus navigari facile poſſit. Hoc verum eſt: navigatur duplici canali veteri ac novo: & quod ait, in ſuperioribus campis æſtus acceſſione duas diffundi inundationes, ut ad ſtadia centum & quinquaginta facies extet pelagi, reddaturque planicies tota navigabilis; hoc nos experimur ab ipſo oppido Villa franca uſque Beneventum. multæ in eo ſunt inſulæ, frumentariæ omnes, aut paſtionibus ſervatæ. Amnis quidem piſcium feraciſſimus eſt, oſtreorumque redundans: inter quos principatum tenent aloſæ, & propter bonitatem, & propter copiam.

Mondego olim *Munda*, in medium fere ultimi promontorii latus effluens, ut Mela tradidit. Inter Durium atque Tagum æquis fere ſpatiis ab eo ſeparatus. Non longe oritur, aurifer & ipſe, minoribuſque navigiis aliquatenus, cymbis vero fluviaticis uſque Conimbricam hodiernam, & ſupra, navigabilis. Abundat

dat aloſis, lampetris autem ubique ſcatet laudatiſſimis, in ſuperioribus etiam troctis. Rapax eſt ac modicis imbribus excreſcit ad inſaniam.

Vouga olim *Vacca*, influit in mare medio fere inter Mundam & Durium intervallo: non niſi parvis navigiis navigabilis; nec longe ortus: aloſarum, lampetrarum, troctarumque ferax.

Durius claritate ſua & ſcriptorum teſtimonio celebratiſſimus, aquarum mole Tagum ſuperat, niſi quod compreſſiore, ut fere inter montes, alveo fluit, Tago per liberos & planos campos ad oſtentationem ſe dilatante. Navigatur adverſo amne M. paſſ. fere centum uſque ad cataractam, ubi ex rupe magno fragore præcipitatur. Ceteris amnibus, *Minio* excepto, grandiores fert aloſas, lampetras & troctas, ſalmonum parcior & aſturionum.

Celandus fluvius ad oppida Læciam & Matuſinos mare ingreditur, æſtu juvante, etiam navigiis aptus.

Avo ſive *Avus*, ut Ptolemæo placuit, notior eſt & navigiorum capacior.

Nabis is eſt, qui & oppido & ponti Næbiæ (cujus mentionem facit in itinerario Antoninus) nomen dedit, ſed ubi

Cadavo jungitur, ſub *Cadavi* appellatione exit in mare, ad oppidum Fanum.

Limia nomen retinet. non longe oritur ex paluſtribus quibuſdam locis inter Aquicaldenſem urbem & oppidum Montem regium; tractuſque ille vulgo *Limia* dicitur, & incolæ *Limici*, ut ex columna Aquiflavienſi apparet. Sequitur *Minius*, quem Iuſtinus lib. ultimo à minii frequentibus venis ſic vocatum prodidit.

Ceterum omnes hi fluvii piſcium lautiorum feraciſſimi ſunt, lampetrarum, aloſarum, troctarum, Trocti-ſalmonum, iridum, atque ſalmonum, inprimiſque ipſe Minius. Atque hi omnes veteribus Coſmographis noti fuere; ſunt & alii & perquam multi, neque ignobiles: qui quoniam in majores influunt, nec ſuo alveo in mare ingrediuntur, Geographiæ ſcriptoribus aut ignorati ſunt, aut ſuppreſſi. Horum aliquot, dignos qui in notitiam veniant hominum noſtrorum, referam. Nominibus uti licuerit priſcis ac Latinis, ubi minus iis, quibus modo appellantur, quam maxime potuero, barbarie, ſi quæ inerit, mitigata. Cujus modi ſunt *Cuda, Tamaca, Naban, Ozecarus, Ancus, Caja, Cania, Seila, Subur, Thera, Seta.*

Cudam Luſitani *Coam* vocant. *Cudam* autem vocari, ex inſcriptione pontis Alcantaræ, ubi *Tranſcudani* notati ſunt, animadverti.

Tamacæ nomen ex Aquiflavienſi columna accepi, ubi Tamacani populi recenſentur.

Nabanem & *Ozecarum* hiſtoriæ S. Virginis & martyris Irenes, quæ ante annos octingentos ſcripta eſt, acceptos refero. *Ozecarus*, eſt quem Luſitani *Zezarum* vulgo dicunt: is *Nabanem* excipit, & ipſe in Tagum erumpit, tanta vi ut Taganas aquas ad alteram uſque ripam proſcindat & quaſi indignatus, quod à majore fluvio exſtinguatur, fere ad mille paſſ. prono alveo contumaciter mixtioni reſiſtens, à colore dignoſcitur. Nam *Tagus* ſubalbas ac flavas vehit aquas, hic autem cæruleas, ad nigrorem tendentes.

Anci nomen ex vita S. Martini Saurienſis presbyteri, abhinc annos ſupra quadringentos quinquaginta ſcripta, accepi.

Subur Luſitanis Seor dicitur: qui poſtea *Racæ* junctus, Suburrajæ nomen accipit, quod perfert, donec exeat in *Tagum*, ibi aloſarum mercatura trans-Taganis factus celebris.

Seilia nomen priſcum ſortitus eſt, ab oppido quod præterfluit ditionis Vrbanenſis cœnobii: ingrediturque *Mundam*, iiſdem quibus *Munda* piſcibus abundans.

Montes. In hac regione protuberant excelſi montes. Ex iis illuſtrior ille cui à *Stella* nomen, quod ſidera propior obſervet. Tutus eſt lacu atque tenebris nemorum. Illius aqua inſipida communicatur ab Oceano, licet viginti leucis diſſito. Lacus & Oceani communio oſtenditur ex æſtuum reciprocatione quotidianâ, annotante Texeira ex accolarum teſtimonio. Procellæ fatigantes maria, lacus undas concutiunt & alterant; quas ſæpe fragmentis navium per ſubterraneos aditus excuſſis donant, & incolas admiratione. Nec huic abſimilis habetur *Chaves:* qui mons eſt aquis flavis adhærens in Territorio transmontano.

Mons Sintræ ſatis navigantibus notus eſt: apprime viridis & amœnus, ſi ibidem æſtum velis ſuis menſibus declinare. Plurima in hoc monte viſuntur non curſim attingenda; quorum aliqua tantum perſtringemus: In ſummo, mirumque in modum acuto vertice, videre eſt affixum prærupto ſaxo monaſterium S. Hieronymi, cujus ædificationem numquam ſatis admireris, ſi locum, ſtructuram & ædificii magnitudinem contempleris. Eſt illud S. Mariæ à Rupe dicatum, opus univerſum lapicidarum opera & ferro incuſſorio duro in lapide excavatum, ita ut pergulæ cubiculares Monachorum & domus reliquæ Monaſterii uſui neceſſariæ, quin & templum ipſum, ac vicinæ excipiendis hoſpitibus ædes ſatis amplæ, ob aſſiduam frequentiam eorum, qui ad novendiales preces illuc ventitant, in rupe ſint exciſæ. In atria & alia monachorum viridaria, ubi plurimæ pomorum feraces coluntur arbores, nec non ſuaves herbæ, terra aliunde convecta fuit. Monaſterium efficit ſpectabile jucundiſſimus undi-

undiquaque proſpectus: quem, qui plurima videre prælta loca, omnibus amœnitatibus anteponunt; parte enim alia ſeſe præbet Oceanus: ad montis latera valles apparent oculis jucundiſſimæ, in quibus omnis generis arbores, tam pomis quam frondibus commendatæ: è radicibus longiſſimæ extenduntur planicies pecoris & tritici feraces; qui proſpectus adeo multiplex & varius, neſcio quam incondito ac lapidoſo monti conciliat venuſtatem. Ad latus aliud, infimo in monte prope maris oram, qua aliquantulum mare ſubintrat, olim fuit antiquum templum Soli & Lunæ conſecratum, cujus adhuc extant veſtigia. Montem verſus continentem attingit vallis leucæ ſpatio in longitudinem, Luſitani vocant *Collares* (quaſi dicas monilia) ab oppido hujus nominis juxta Oceanum ſito. Vallem hujus magnitudinis, aut viſui pulchriorem aut uſui commodiorem univerſa in Europa non facile reperies. Eſt undique pomiferis arboribus conſita, quæ adeo ſunt fertiles in eo ſolo, ut ſeſe undique certatim rami permiſceant, & vix infra ambulantibus liber pateat ſuſpectus cœli, foliorum diverſitas conſimili in viredine mirifice intuentium oculos oblectat. Ex hac una valle maxima ex parte alitur Vlyſippo: inde enim diebus ſingulis, tam hyeme quam æſtate onuſta pomis & oleribus jumenta, civitatem ingrediuntur; ut omittam, quæ vinum ac triticum ex eadem valle ſolent aſportare. Decimæ pomorum quæ Regi ſolvuntur (*cizas* vocant Luſitani) in annos ſingulos, quingentos aureos ſupra duo millia efficiunt.

Ingenia & mores.

Regnum hoc Portugalliæ reliquis Hiſpaniæ regnis populi multitudine & incolarum atque advenarum frequentia multum præſtat ſingulis. Id ex agrorum cultura, & maximis decimis, ex coloniis quas in varias mundi partes ſine ſui diminutione emiſit, facile colligi poteſt. Advenas autem alliciunt opulentiſſima commercia & portuum opportunitas & ſecuritas. Ita ut extra dubium ſit Regnum hoc longe populoſiſſimum eſſe. De gentis moribus difficile judicare, quum obnoxii aut ipſi ſe nimium forte laudent, infeſti aut ignari varie culpent. Laude bellica ſuperioribus annis quum ſuis Regibus parerent, plurimum excelluiſſe, hiſtoriæ faciunt fidem. Navigandi induſtriam quoque & periculorum contemtum ex vero quis æſtimet, ſi recordetur quæ ante & tempore Emmanuelis & ſucceſſorum ejus Regum navigationes ab ipſis fuerint ſuſceptæ, primum ad oram Africæ, dein ad ultimum uſque Orientem; quin & orbis circumnavigati prima laus ipſis debetur. Mercaturæ autem jam à multis annis deditiſſimi fuere, atque inde incredibiles opes, quæ tamen ſuperioribus annis multum ſunt acciſæ: Præcipua ipſorum laus fuerit quod ſemper amantiſſimi Regum ſuorum fuerunt, & obſequentiſſimi etiam tyrannis. Induſtriæ facile palmam vel reliquis Hiſpaniæ incolis præripiunt, aut ſaltem dubiam reddunt. Uti magnæ virtutes, ita & vitia; nec hoc illis proprium, omnibus pene nationibus hoc commune: & nemo niſi in ſuis contemnit, quæ aliis exprobrat. Ioannes Barrius Ic. & graviſſimus Hiſtoriæ Luſitanicæ ſcriptor, ſe teſtem fatetur oculatum, in oppido Villæ Regalis quandam Iſabellam Ribeiram agnoviſſe, quæ ſuperſtites ſibi filios, nepotes ac pronepotes ſexaginta viderat ſupra centum. Addit & aliud exemplum Vaſconcellus è fide ſocii ſui, ſenis cujuſdam centenario majoris, qui quadringentos numerabat. Loquitur autem de provincia Interamni, atque ita proſequitur. Tanta igitur indies plebis multitudine ſuccreſcente vix homines natale caperet ſolum, niſi eorum quotidie examina in Regnum undique prodirent, ad alienos agros mercede colendos & maturas ſegetes demetendas; quo fit ut Regnum univerſum iis hominibus ſit refertum. In omnes item Luſitaniæ expeditiones diſcedunt, ubi & labore, cujus ſunt admodum patientes, & armis egregiam Reip. navant operam. Cæteros inter in re militari, animis & manu promtos præcipuam ſunt adepti laudem, quos oppidum educat Valdeves, ex quo milites magni nominis ſunt egreſſi. Ex nobilioribus hujus provinciæ hominibus, tam armis, quam literis præſtantes plurimi huic Regno decus maximum & gloriam attulere. Antiqua ſi tempora repetamus, ab hac una provincia ferme omnes & Luſitaniæ & Caſtellæ illuſtriores familiæ trahunt originem, & noſtra adhuc ætate ſua ibidem ſervant gentilitia. Ludovicus Vertemanus Venetus Senator, quum toto pene orbe luſtrato ad Luſitanos in India belligerantes veniſſet, hoc eis teſtimonium dedit: *Ego univerſum terrarum orbem peragravi, multis ſæpe bellis interfui, ſed hac gente Luſitanorum fortiorem vidi neminem.*

Alphonſus Mendoz S. I. in Oratione ad Philip. III: Fidei in Deum pediſſequa eſt fides erga Regem, quæ ſic eluxit ſemper in Luſitano, ut nihil ſupra poſſit excogitari. Pro tempore ſufficiat illud præconium. At cujus hominis? Non domeſtici, ſed externi, ſed Belgici, ſed Salmanticenſis Profeſſoris & diligentiſſimi Chronicon Hiſpanicorum contextoris. *Quæ nam gens*, inquit, *toto reperitur orbe Regi ſuo obſequentior, quam Hiſpani, quos cum quotidie reges ſui in remotiſſimas regiones, & alio, ut ille ait, ſole calentes, ad oppugnandos barbaros mittant, ea accinguntur alacritate, quaſi ſine pulvere & ſanguine rem eſſent domi geſturi; cujus rei meo judicio, merito palmariam ſibi laudem vendicant Luſitani,*

tani, adeo Regi ſuo dediti, quaſi ex unius vita, vita penderet omnium; ita ille conceptis verbis.

Duarte autem Nunez do Leano, Fidelitatis & obſequii Portugallorum erga Principes ſuos legitimos exempla repetit inde à principio Regni; quum & Sancium primum ignavum Regem & rebus gerendis imparem; totumque in aliena poteſtate; ideoque à Pontifice in Concilio Lugdunenſi regno imparem declaratum; ad extremum vitæ obſequenter coluerint, & ne metu quidem dirarum pontificiarum ab obſequio & veneratione Regis ſui potuerint abduci. Plura exempla ibidem recenſentur, ſed ea producere non eſt opus, quum nemo hanc gloriam ipſis hactenus demſerit, quod Principum ſuorum ſint amantiſſimi & obſequentiſſimi: modo ſint ex ſua gente.

Hujus fidelitatis & obſequii in Principes occaſione, commemorat idem author Regum viciſſim in obſequentes & fortes liberalitatem: Portugalli, inquit, ſerviunt Regi ſuo tanquam filii, atque ad eundem modum ab illis habentur. Primo Regum Portugalliæ conſuetudo non ſolum eſt alere ſuos miniſtros, ſed & liberos eorum ad idem miniſterium in aula aſſumere; ubi ad ætatem duodecim annorum venerint, ſuccedunt parentibus ſuis in locum quem in aula tenebant, & recipiunt eandem mercedem (*Moradiam* vocant:) & matricula conſervatur in illum finem, ut conſtare poſſit quando filius parentis mercedem acceperit: datur autem ſingulis trimeſtribus; & dicitur Moradia, quia miniſtri regii morantur in ipſius palatio. Ita ut omnes generoſi (*Fidalgos*) regni teneant ejuſmodi moradiam, & filii eorum, etiam nothi, ſed cum quadam diminutione. Iſtæ autem *Moradiæ* non ſunt æquales; ſed alii plus, alii minus recipiunt: ratio hujus inæqualitatis eſt, quod ſuperioribus temporibus omnibus domeſticis Regis victus ſuppeditabatur in Aula; quibus autem non libebat in Aula cibum ſumere, dabatur commeatus panis, vini, carnis, piſcium, fructuum, quo domi ſuæ utebantur. Hujus quoque diſtributionis ratio in libro erat deſcripta, una quum nominibus perſonarum; quæ proportione generis aut amplitudinis familiæ multum differebat. Deinde mutata eſt ratio iſta, & pro victualibus, argentum dari cœpit, manente eadem inæqualitate. Et quia Moradiæ quantitas indicium erat nobilitatis aut meritorum familiæ, ejus augmentum ſupra modum ambitur; licet ægre à Regibus, & raro obtineatur.

Idem Author celebrat ſingularem pudicitiam virginum Portugallicarum, quæ ita educantur ut non prodeant in publicum, niſi forte ad Eccleſias, & ne ad eas quidem niſi velatæ, ut facies earum conſpici non poſſit. Et matronarum quoque caſtitatem & fidem erga maritos: ita ut ſupra modum abhorreant ab adulteriis, & abhorreant ab iis quæ ſe coinquinarunt, eaſque, quæ vel male audiant, à conſortio ſuo ſegregent. Quin etiam eas minus amant quæ crebro nubunt, aut quæ numeroſæ prolis parentes, vel ad ſecundas nuptias transeunt. Grande quoque probrum ducunt maritatæ, maxime nobiliores, abſente marito chartis aut alea ludere cum alienis, nec facile hoc agunt niſi cum germanis aut conſanguineis. Indecorum quoque exiſtimant vinum bibere. Oeconomæ ſunt diligentes, & in omnibus domeſticis officiis admodum induſtriæ; in veſtitu decoræ & ſplendidæ, & munditiæ ſingularis.

Portugalliæ regimen quoque regium eſt & abſolutum, non minus quam reliquæ Hiſpaniæ.

Regimen politicum & civile.

Regiam autem aulam comitantur aliquot tribunalia, quorum primum & principale appellatur *Tribunal Relationum*, & domus ſupplicationum, vulgo *Caza de Supplicaçon:* cujus Officiales reliquos omnes authoritate ſuperant; ii jam in civitate Olyſiponenſi fixas habent ſedes. Conſtat autem hoc tribunal decem Iudicibus, quos vulgo vocant *Deſembargadores*, duobus *Corregidoribus* in cauſis criminalibus, totidemque in civilibus; duobus Iudicibus, qui de cauſis Fiſcalibus & vectigalibus Coronæ cognoſcunt; quatuor Auditoribus, qui de ſententiis criminalibus judicant; uno Procuratore Fiſci, binis vectigalium, uno Iudice Cancellariæ, uno Promotore ut vocant Iuſticiæ, & quindecim *Desembargadoribus* extraordinariis, uno Sollicitatore Iuſticiæ, octo ſcribis appellationum, uno Diſtributore, uno Theſaurario depoſitorum in Curia, aliquot Præconibus, & quadraginta ut plurimum Procuratoribus literatis; denique uno Præſide, qui ex majoribus proceribus Regni aſſumitur, & vulgo *Regedor da Iuſticia* appellatur. Porro Desembargadores hi cognoſcunt de omnibus cauſis, quæ per appellationem ad ipſos devolvuntur à Tribunali Portuenſi, quæ ſuperant valorem centum mill. *rees* in bonis mobilibus, & octingenta mill. in bonis fundi, præterea de cauſis, quæ ad ipſos deferuntur à Iudice novarum acceſſionum tribunalis Portuenſis, quæ prædictum valorem excedunt; denique de cæteris quæ ab aliis tribunalibus ad ipſos deferuntur. Habet denique hoc tribunal unum Cancellarium, qui ſigillum ſuum omnibus ſententiis appendet; & de erroribus Scribarum, eorumque ſtipendiis cognoſcit.

Alterum tribunal appellatur *Caza de Civel*, id eſt, rerum civilium, quod cum diu in civitate Olyſiponenſi fuiſſet, Philippus I,

Por-

Portugalliæ R. ad oppidum Portuenſe transtulit : auctis ſtipendiis non modo hujus tribunalis judicum, ſed & ſuperioris, ut cum majore integritate ſingulis juſtitiam miniſtrarent. Conſtat autem duplo pluribus officialibus quam prius : judicant hi abſolute de omnibus cauſis, quæ valorem centum mill. rees in rebus mobilibus, aut octingenta mill. in rebus fundi non excedunt.

Eſt & tertium Tribunal majoris, quam duo ſuperiora, authoritatis, quod appellant *Deſembargo de Paco*, id eſt palatii; quod conſtat uno Præſide è præcipua nobilitate, quinque Deſembargadoribus, ſeptem ſcribis, aliiſque minoribus miniſtris: hoc Tribunal ſemper aulam Regiam comitatur, & ſupremam obtinet jurisdictionem. Nam & appellationes concedit iis, quorum cauſæ jam à ſuperioribus tribunalibus judicatæ fuere, & cauſam in judicio à novem Deſembargadoribus denuo cognoſcendam committit. Itemque in omnium totius regni judicum actiones inquirit, & coram ſe earundem rationem jubet reddere, ſi quiſquam ſe ab ipſis injuſte gravatum aut oppreſſum in judicio conqueratur.

Idem & privilegia omnia quæ à Rege petuntur, promulgat, legitimos declarat, de adoptionibus & aliis donationibus facit fidem; famæ & honoribus reſtituit: Iudicio ordinariorum electiones confirmat: eos qui cauſa ceciderunt, in poſſeſſione rerum aut conſervat, aut ſi jam exciderunt poſt judicium latum, in eandem reſtituit; vindicias dat ſecundum libertatem, & ætatis prærogativam concedit: homicidis & aliis condemnatis veniam poteſtate regia indulget; de controverſiis inter duo ſuperiora tribunalia cognoſcit: denique Rex communicat huic tribunali omnes caſus juſtitiæ & juriſdictionis, quæ incidere ſolent.

Eſt & aliud Tribunal permagnæ dignitatis, licet non tantæ quam præcedens, cujus judices cognoſcunt & judicant de omnibus cauſis, quæ ad Coronam pertinent, ſive Rex actor ſit, ſive alii qui quid à Rege in judicio petant.

Præterea eſt & Cancellarius major, qui aulæ ſive Palatii appellatur, qui juriſdictionem habet in omnes curiæ ſcribas, & ſigillum cuſtodit, quod omnibus omnium Tribunalium ſententiis ſubnecti ſolet. Idem & privilegia, & donationes Regias ſigillo munit.

In eadem aula quoque Tribunal eſt Quæſtorium, ipſi vocant *da Fazenda*, quod conſtat tribus proceribus principalibus, qui *Veedores da fazenda*, id eſt, uti opinor, Quæſtores ærarii appellantur, & totidem judicibus, qui ſex conjunctim ſententias ferunt de omnibus cauſis, quæ ærarium Regis ſpectant: nam & patrimonii regii & redituum atque vectigalium rationem habent, tam intra regnum quam extra in ditionibus, quæ coronæ ſunt acquiſitæ; & dant operam, ut non modo Regi de iis quæ ipſi debentur, ſatisfiat, ſed ut ipſe quibus debet, ſatisfaciat. Tres autem illi Veedores maximæ ſunt dignationis, tum propter eminentiam earum cauſarum quas tractant, tum quia fere Conſiliarii ſunt regii, eique non modo in ærarii rebus, ſed & omnibus quæ regimen regni principale concernunt, inſerviunt.

Præter hæc Tribunalia eſt hic conſilium quod vocant *Status*, in quo ſunt perſonæ proſapia & nobilitate eminentes, ſed numero indefinito prout Regi placuerit, in quo principalia negotia pertractantur, quæ regimen concernunt, & bellum juxta atque pacem. Ad eoſdem & præſentatio pertinet omnium Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum & Comendarum tam in ipſo Regno, quam in Provinciis Coronæ bello acquiſitis.

Eſt & Tribunal Rationalium, quæ vulgo *Caza dos Contos* appellatur, cui omnes & ſinguli, qui ubicunque reditus & bona regalia adminiſtrarunt, rationem reddunt, ſive eadem conduxerint, ſive alio modo collegerint.

Hujus Tribunalis caput appellatur quæſtor maximus, vulgo *Contador major*, qui rationes inter inferiores rationales diſtribuit, qui fere ſunt duodecim; ſcribæ autem illis ſerviunt ſedecim, & alii miniſtri inferiores. Hoc Tribunal in ſumtuoſo ædificio celebratur, quod *Cazam dos Contos* vocant.

Iuxta hanc rationalium domum viſitur alterum magnificum ædificium, quod vocant *Alfandegam*, id eſt, Horreum ſive promtuarium publicum; vel fortè Telonium. id conſtat partibus quatuordecim; quarum una dicitur *menza do deſpacho de Madeira*, ubi vectigal ſive portorium ſolvitur pro materie omni, quæ foris importatur, uti ſunt corbes viminales, & aſſeres doliares, & ſimilia, itemque de nucibus, juglandibus, & avellanis, aliiſque ejuſcemodi fructibus. Altera dicitur *menza do deſpacho dos portos ſecos*; & ita de cæteris.

Reditus annui.

Ordinarii reditus Regni Portugalliæ annui aſcendunt ad 1.100.000. ducatorum. Reditus autem Magiſtratuum ordinum militarium, quorum Rex ipſe hodie magiſter eſt, quique poſſident Inſulas Azores, Maderam, Inſulas Capitis Viridis, S. Thomæ, del Principe, reddunt quotannis 200.000. ducatos.

Reditus Caſtelli de Mina in Guinea, qui ad ordinis Chriſti magiſterium pertinent, 100.000. ducatos.

Reditus Braſiliæ 150000. ducatos.

Vecti-

Vectigalia aromatum aliarumque mercium, quæ ex India Orientali quotannis in Portugal. invehuntur, 600000. ducat. ſive 18. tonnas auri, ut Belgæ vocant: nam quæ in ipſa India è vectigalibus aut tributis quocunque modo percipiuntur, ibidem rurſus impenduntur, ita ut Rex nullum emolumentum illius capiat.

In ſumma, reditus annui Regni Portugalliæ ſunt 2. 200. 000. ducat. vel 66 tonnæ auri, ut Belgæ vocant.

SERIES REGVM PORTVGALLIÆ.

HEnricus, Portugalliæ Comes, Patrem habuit Henricum Burgundum Roberti Burgundiæ Ducis filium,& Hugonis Capeti nepotem. Is Henricus ad bellum ſacrum tendens in Hiſpaniam appulit, & Alfonſum VI Caſtellæ Regem, qui Imperator etiam dicebatur, cum Raymondo Burgundo & Raymondo Toloſano Comite adverſus Saracenos juvit. Illi vero propter ſanguinis claritatem & res præclare geſtas, Alfonſus Taraſiam filiam notham locavit, Portugalliamque nomine dotis & jure clientelæ dedit; hoc eſt, illud, quod intra limites interamnis provinciæ, Lamecæ, Conimbricæ & Viſei continebatur; & tractum etiam illum Galleciæ, qui ultramontanus dicitur, cum jure recuperandi eam Luſitaniæ partem quæ à Saracenis occupabatur, uſque ad Bœticæ confinia: qua ſcilicet Anas provincias dividit. Suſtulit è Taraſia *Alfonſum Henricum*, & duas filias *Vrracam*, quæ Veremundo, Comiti Traſtamaræ: & *Taraſiam*, quæ Ferdinando Menendo in Gallecia nupſere. Mortuus eſt Aſturicæ A. C. 1112, Bracaræ ſepultus.

Alfonſus Primus, Henrici F. primus Portugalliæ Rex, poſt prælium Orichienſe appellatus. Duxit Mahaldam filiam Amedei II, Sabaudiæ Ducis. ex qua illi natus *Sanctius*: & *Vrraca*, quæ Ferdinando II, Legionis & Galleciæ R. nupſit, ſed poſt natum ex ea Alfonſum ab illo fuit ſeparata ſententiâ Romani Pontificis ob conſanguinitatem: & *Taraſia* quæ Philippo Flandriæ Com. fuit conjuncta, & Mathildis fuit appellata. Hic in agro Orichienſi inſigni victoria parta de quinque Sarracenorum Regibus, crucem cæleſtis coloris, quæ Portugalliæ inſigne erat, in quinque ſcutula diviſit, eaque argenteis reſperſit denariis. Olyſſiponem, Leiriam, Sanctarenam, Turres novas, Sintram, Maforam, Cezimbram, Eboram, Pacem Iuliam & totam fere Portugalliam, quanta nunc eſt, à Saracenorum tyrannide liberavit, & Chriſtianis reſtituit. Et rebus multis tam bello quam pace præclare geſtis, obiit Conimbricæ anno Chriſti 1185. Vixit annis 91.

Sanctius primus duxit in uxorem Dulciam ſeu Aldonzam Raymundi Berengarii Comitis Barcinonenſis, & Petronillæ Arragonum R. filiam; ex qua ei natus *Alfonſus*; & *Fernandus*, qui duxit in uxorem Ioannam filiam Balduini Imperatoris, Flandriæ Comitiſſam; Et *Petrus*, qui Comes fuit Vrgellenſis nomine uxoris Aurembiagis; & *Henricus*, itemque *Taraſia*, quæ Alfonſo Legionis & Galleciæ R. nupta, ab eo poſtmodum fuit ſeparata. *Mahalda* quæ Henrico I, Caſtellæ Regi nupſit, ſed ab eo fuit ſeparata. *Sanctia*; & Blanca Guadalaiaræ Domina, *Berengaria*. Habuit & plures liberos è concubinis. Obiit anno 1212, ætatis ſuæ 58.

Alfonſus II, cognomine Craſſus, uxorem duxit *Vrracam*, filiam Alfonſi IX Caſtellæ R. & Leonoræ Henrici II, Angl. R. filiam; ex qua ſuſtulit *Sanctium*; *Alfonſum* Bononiæ Com. *Fernandum*; *Leonoram*, quæ Daniæ Regi nupſit. Obiit Conimbricæ anno 1223, ætatis 38.

Sanctius II, qui Capellus vocabatur; duxit Mentiam Lopidem ab Haro, filiam Didaci Lupi Cantabriæ Dynaſtæ: qui ob animi mollitiem, vicarium accepit fratrem Alfonſum. Obiit Toleti anno 1246, regni 22.

Alfonſus III, Sanctii frater, duxit uxorem *Mathildem* Bononiæ Comitiſſam, filiam Reginaldi Com. Dampmartini & Idæ Comitiſſæ Bononiæ, deinde *Beatricem* filiam notham Alfonſi X Caſtellæ Regis. ex qua illi nati *Dionyſius*; *Alfonſus*, Dominus Portalegrii & aliorum oppidorum. *Blanca*; *Conſtantia*. Hic Algarbii regnum à ſocero Alfonſo jure clientelæ conceſſum, cujus pars ad id tempus à Sarracenis tenebatur, liberum ab eorum jugo reddidit: poſtea cum clientelam in gratiam nepotis Dionyſii Socer remiſiſſet, pro Algarbii ſymbolo, Portugalliæ Regni inſignibus clypeum purpureum addidit, aureis caſtellis reſperſum. Obiit Olyſipone anno 1279, ætatis 70, regni 32.

Dionyſius uxorem duxit *Iſabellam* filiam Petri III Arragoniæ R. ex qua ſuſtulit *Alfonſum*; *Conſtantiam* Fernandi IV Caſtellæ R. uxorem. Hic Academiam Conimbricæ inſtituit. Obiit Sanctarenæ anno 1325, ætatis 64, regni 46.

Alfonſus IV Ferox dictus; uxorem habuit *Beatricem*, filiam Sanctii IV Caſtellæ R. ex qua liberos habuit, *Alfonſum* qui puer obiit, & *Dionyſium* qui anniculus deceſſit; *Ioannem*, qui item puer obiit; *Mariam*, quæ Alfonſo XI Caſtellæ R. nupſit; & *Petrum*, & *Leonoram* Petri IV Arragoniæ R. uxorem. Obiit Olyſipone anno 1357, ætatis 67, regni 31.

Pe-

Petrus Alfonſi IV fil. Crudelis dictus, duxit uxorem *Conſtantiam* filiam Ioannis Emanuelis Infantis: è qua ſuſtulit liberos, *Ludovicum* ſtatim extinctum, *Fernandum*, *Mariam* uxorem Fernandi Arragoniæ Infantis. Obiit Eſtremotii anno 1368, ætatis 47, regni 10.

Fernandus, Petri & Conſtantiæ filius, uxorem duxit Leonoram Telliam à Mendoza, à viro abductam, contra regni procerum ſententiam. Obiit ſine legitimis liberis Olyſipone anno 1383, ætatis 43, regni 16.

Ioannes primus, qui ob multa memorabiliter ab eo geſta, Rex bonæ memoriæ fuit cognominatus, filius fuit illegitimus Petri Regis. Duxit in uxorem Philippam filiam Ioannis Ducis Lancaſtrenſis; ex qua ſuſtulit *Blancam*, *Alfonſum*, qui juvenes obierunt: *Eduardum*: *Petrum* Ducem Conimbricenſem, virum bello & pace clariſſimum: *Henricum* ducem Viſeenſem: *Ioannem* S. Iacobi militiæ magiſtrum: *Fernandum* magiſtrum militiæ Aviſienſis: *Iſabellam* quæ Philippo III cognomine bono, Burgundiæ Duci &c. nupſit. Obiit anno 1433, ætatis 76, regni 48.

Eduardus Ioannis filius duxit uxorem Leonoram Fernandi I, Arragoniæ & Siciliæ R. filiam; ex qua ſuſtulit *Alfonſum*: *Fernandum* Ducem Viſeenſem; *Philippam*; *Leonoram*, uxorem Frederici III Rom. Imperatoris; *Catharinam*: *Ioannam* Henrico IV Caſtellæ regi nuptam. Obiit anno 1438, ætatis 37, regni 5.

Alfonſus V duxit in uxorem Iſabellam Petri Infantis filiam, ex qua ſuſtulit *Ioannem*, qui infans obiit: *Ioannam*: *Ioannem* alterum: Obiit anno 1481, ætatis 49, regni 43.

Ioannes II, habuit in matrimonio Leonoram filiam Fernandi patrui, Ducis Viſei, ex qua ſuſtulit *Alfonſum* principem, qui interiit Sanctareni anno 1490. Obiit anno 1495, ætatis 40, regni 14.

Emmanuel, Viſei Dux, Eduardi Regis nepos ex filio Fernando, & multorum fratrum ultimus, Ioanni II. patrueli ſine legitimis liberis decedenti ſucceſſit. habuit tres uxores, primam Iſabellam, Fernandi & Iſabellæ Caſtellæ Regum filiam natu maximam; ex qua ſuſtulit *Michaelem*, qui puer obiit. Secundam, *Mariam* Iſabellæ ſororem, quæ illi peperit *Ioannem*, *Iſabellam* Auguſtam Caroli V Imper. uxorem, ex qua natus Philippus II, Hiſp. Rex. *Beatricem*, quæ Carolo Sabaudiæ Duci nupſit: *Ludovicum* Ducem Pacenſem, Antonii Prioris Cratenſis genitorem. *Fernandum*: *Alfonſum* Cardinalem & Archiepiſcopum Olyſiponenſem &c. *Henricum* Cardinalem poſt Portugalliæ Regem: *Eduardum*, (qui duxit Iſabellam Iacobi Bragantiæ Ducis filiam, ex qua ſuſtulit *Mariam*, quæ Alexandro Farneſio Principi Parmenſi nupſit: & *Catharinam* quæ Ioanni Duci Bragantiæ) *Mariam*: *Antonium* qui infans obiit: Tertiam uxorem duxit Leonoram Philippi R. Caſtellæ & Archiducis Auſtriæ &c. filiam; ex qua ei nati Carolus brevis vitæ; Maria quæ cælebs vixit. Fuit feliciſſimus princeps & rebus præclare geſtis illuſtriſſimus. Obiit Olyſipone anno 1521, ætatis 52, regni 26.

Ioannes III, Emmanuelis filius, duxit uxorem Catharinam Philippi I Caſtellæ R. filiam, Caroli V Imp. ſororem, quæ illi peperit *Alfonſum* in cunis defunctum: *Mariam*, quæ Philippo II Caroli F. nupſit, & à partu primogeniti principis obiit; *Iſabellam*, *Beatricem*, *Emmanuelem*, *Philippum*, *Dionyſium*, qui omnes immature obierunt: *Ioannem*, qui Ioannam Caroli V Imp. filiam duxit, & ex ea poſthumum reliquit *Sebaſtianum*; *Antonium* qui infans obiit. Ipſe denique obiit Olyſipone anno 1557, ætatis 55, regni 35.

Sebaſtianus, Ioannis III è filio Ioanne nepos, avo ſucceſſit trium annorum puer, ſub tutela aviæ Catharinæ Auſtriæ; quam tamen Henrico Cardinali patruo magno pueri Regis ceſſit. 14 ætatis anno Regni gubernacula ſuſcepit; & anno 1578, in Africa cæſus cum exercitu, occubuit cælebs adhuc, ætatis anno 24.

Henricus, Cardinalis titulo Quatuor SS. Coronat. ſucceſſit, qui cum ſenex admodum eſſet & cælebs, proximam in regno poſſeſſionem petiverunt Philippus II, Hiſpaniæ Rex, Emanuelis ex Iſabella primogenita nepos; Ioannes Braganciæ Dux, nomine Catharinæ uxoris ſuæ, filiæ Eduardi ex Emanuele nati; Ranuccius Farneſius Alexandri Ducis Parmenſis filius, è Maria dicti Eduardi primogenita & Catharinæ ſorore natus; Antonius Prior Cratenſis, Ludovici fratris Regis Henrici filius, qui ſe non nothum, ut vulgo credebatur, ſed è legitimo matrimonio natum dictitabat; Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, & Catharina Medicæa vidua Henrici II, Galliæ Regis. Sed hiſce omnibus prævaluit Philippus II, Hiſpaniarum Rex. Interea temporis Antonius Prior Cratenſis à populo adamatus, à Regni Ordinibus, & populo Rex declaratur & Lisbonæ recipitur, ſed brevi poſt tempore à Philippo II ejicitur, & regno privatus exul in Gallia moritur anno 1595.

Philippus II, Caroli V, Imperatoris filius.

Philippus III.

Philippus IV, cognominatus Magnus & Pacificus. Poſtquam hic per 19 annos regni habenas moderatus eſſet, anno 1640, Luſitani cæſo Vaſconcellio Hiſpanos toto ex regno expulerunt, regemque ſalutarunt Ioannem Braganciæ Ducem, Catharinæ filiæ Eduardi, filii regis Emanuelis filium; obiit autem is ante paucos annos, & regno potitur hodie Alphonſus ejus nominis VI.

ALGARBIA.

Nomen. ALgarbia ultima Portugalliæ pars, Regni titulo decorata, antiquorum Turdetanorum fuit ſedes: à Mauris nomen Algarbiæ huic regioni inditum, quaſi Campus fertilis. Ad Septentrionem Por-

Termini. tugalliæ eſt vicina, Oceanum habet ad Occidentem & Meridiem, ad Orientem ab Andaluſia Guadiana fluvius eam ſeparat: longa eſt

Qualitas. 27 leucis, lata 8. Qua magis ad Auſtrum excurrit, ita ficetis eſt occupatum & vinetis (præcipuus eſt illo in Regno hic terræ cultus) ut aliquando à vicinia victum exigat, ſi annorum minus faveat clementia; ſed vicinum oppidum Mertola (antiqua olim Myrtilis Romanorum colonia) opem facile præſtat tritico, quod abunde ſuo ex agro legunt coloni; nec minus etiam opitulatur Orichienſe arvum, quod proximo eſt in confinio. Eſt quidem verum, quod annis modice fertilibus, ſibi abunde triticum colligunt incolæ, & quod ad S. Vincentii promontorium feritur, cum optimo quolibet ex Hiſpania de bonitate contendit. Abundat vino nobili, & oleo, quæ ſimul cum fico, uva paſſa, amygdalo, Thynno ac Sardinia (communis eſt merx illius regionis) in exteras regiones transferuntur. Ad oram maritimam diverſi generis piſcatu & abundanti conchylio victum facile parant incolæ.

Civitates. Continet quatuor civitates ſub uno Epiſcopatu *Tavira*, *Lagos*, *Silves* & *Pharo Tavira* Regni Metropolis ad Oceanum ſita eſt, in loco admodum fertili & amœno, portum habet ſat capacem & inter meliores regni merito numerandum, arcem quoque munitiſſimam à Sebaſtiano Rege extructam, habitatur à 2000 civium. *Faro* in littore maris Oceani poſita Civitas ſitu admodum opportuno, Epiſcopi ſedes ordinaria, cujus annui reditus ſunt 15000 ducati; piſcatio hic fructuoſa, præſertim thynnorum, quos in longe diſſitas regiones avehunt exteri. *Silves* paulum à Mari diſſitum eſt, paucis admodum civibus inhabitatum, quamvis regio circumvicina, arboribus fructiferis undequaque conſita, nil niſi amœnitatem ſpiret, & ſpeciem quandam Paradiſi terreſtris referat, unde ab incolis *Parayſo* nominari ſolet; Epiſcopatus ſedes fuit uſque ad annum 1590, quo Farum tranſlata eſt, cæterum in diſtrictu Lagenſi eſt prædita eo privilegio, ut cujuſvis criminis reis eò confugientibus tutum præbeat aſylum. *Lagos* veterum eſt Lacobriga, ad ſinum Oceani, qui piſcibus, præſertim thynnis ſcatet; muri rupi duriſſimæ impoſiti, & arx haud contemnenda civitatem ab injuriis hoſtium tutam defendunt.

Oppida. Oppida hujus regni ſunt, *Albor* ad littus maris in diſtrictu Lagenſi, & planitie ſpacioſa vinique generoſiſſimi feraci ſitum; ab Annibale Carthaginenſi ferunt conditum. *Alcoytin* Territorii Tavirenſis oppidum eſt collem ad Anam fluvium occupans, arcem habet munitiſſimam, titulumque Comitatus primogenitis Marchionum Villæ Regalis tribuit. *Caſtro Marin* ad oſtium Anæ fluvii oppoſitum Ayamontium reſpicit, olim Ordinis Equeſtris Chriſti ſedes. *Loulé* in diſtrictu Tavirenſi Comitatus titulo clarum, aliaque minoris momenti.

AÇORES INSVLÆ.

Nomen. INsulas in Oceano Atlantico ſive Occidentali, quas Hiſpani *Açores* vocant, ab accipitrum avium genere, quod iſti *Açor*, multitudinis formula *Açores* nominant, nomen ſortitas, ſunt qui credunt. Eſt qui eas ab *Eſſorer*, Gallico vocabulo, quod ſiccare vel areſcere ſignificat, ſic dictas ſcribit, ineptitque. Accipitrarias Latine eas quis vocare poteſt. Et qui Græce mallet, ἱεράκων. Noſtrates *de Vlaemſche Eylanden* vocant, quaſi Flandricas inſulas, quod ab iis, Brugenſibus mercatoribus nempe, primum detectas creditur. *Qualitas.* Nihil in iis id temporis præter arbores (inter quas plurima cedrus) ſilvaſque & varia alitum genera, inventum perhibent, eoſque ibidem colonos miſiſſe & cultas reddidiſſe. Poſtea ſub Luſitanorum imperio ſe dedidiſſe, cui hactenus parent. Inventas circa annum quinquageſimum quintum ſupra milleſimum quadringenteſimum, refert Ludovicus Marmolius fol. 48. Veteres has minime noviſſe, certum eſt; nominaverintne, incertum. Nam an eas ſub nomine Caſſiteridum deſcripſerint ſubdubito. Naves Hiſpanicæ mercibus Indicis onuſtæ in redeundo ſolent ut plurimum ad has accedere inſulas, priuſquam Vlyſſiponam aut Gades appellant. Mirandum autem quiddam de harum inſularum ſolo aut cœlo, ne dicam, genio, hoc accepi: ſolventes utpote ex noſtro hemiſphærio verſus Americam, aut novum, ut vocant, Orbem, quam primum *Açores* à tergo reliquerint, continuo liberari à cimicibus pulicibuſque, atque omni pediculorum hominum infeſtantium genere, quod ſtatim, præternavigatis his inſulis, moritur exſtinguiturque. *Numerus.* Numero ſunt novem, his vernaculis nominibus: S. Michaelis, Terçera, S. Georgii, Pico, Fayal, Gracioſa, las Floras, del Cuervo, & S. Mariæ, quas ſingulatim enarrabimus.

S. MICHAELIS.

Situs. S. MIchaelis Inſula à Tercerâ ad Notapelioten 27 aut 28 milliaribus diſtat, ambituque ſuo centum pæne milliaria complectitur, 20 milliaria in longitudinem patens. Ager Inſulæ glaſti feraciſſimus, cujus ſupra bis centena millia quintalium ſingulis annis evehi perhibent, itemque tritici, ut ſæpe aliarum inſularum inopiam ſublevet; cæterum importuoſa eſt inſula, & tempeſtatibus hyeme præcipue obnoxia. Aër ejus ei quem Tercera experitur ſimilis. Pars autem Meridionalior Inſulæ oppidis viciſque plurimis habitatur; primum vero quod occurrit eſt *Villa Franca*, quingentas domos continens. *Aqua de Palo* & *Villa de Laguna*, paucos admodum numerant cives. Quartus locus eſt *Punta del Gada*, præcipuum & majus totius Inſulæ oppidum, arcem ab Occidentali parte habens non admodum capacem, ſed mediocriter firmam & præſidio cohortis militum Luſitanorum defenſam. Regio Septentrionalior Inſulæ, excepto pago unico quem *Riviera* vocant, deſerta jacet & cultoribus vacua. Porro littus hujus Inſulæ diverſis Promontoriis in mare ſe extendit, nominantur vero *Punta de Garla*, *Punta de Galera*, *Punta de Punete* & *Roſtro de Can.*

Qualitas. *Oppida & vici.* *Promontoria.*

S. MARIÆ.

Situs. APrædicta inſula D. Michaelis verſus auſtrum 12 mill. Inſula S. Mariæ jacet, 10 aut 12 milliaria ambitu ſuo complexa. Loci præcipui ejus habitati ſunt *Villa de S. Maja*, *la Prainha*, *Caſtillo Bodes*, aliique, quorum nomina non occurrunt. *Oppidula.* Portus præcipuus eſt Meridionali Inſulæ parte. *Qualitas.* Glaſtum hic nullum eſt, cæterum reliqua ad ſuſtentandam vitam neceſſaria deſunt, nullo porro commercio, quam figulinæ terræ celebris, & nullo militum præſidio cuſtoditur, quod à natura ſatis munita ſit.

TERCERA.

Nomen. ASorum præcipua Tercera eſt, ſic dicta, quod tertia ſit ordine ex Hiſpania venientibus, complectitur autem milliaria quindecim aut ſedecim. *Oppida.* *Angra* præcipua hujus Inſulæ urbs, & reliquarum Inſularum Metropolis, Gubernatoris & Tribunalis juridici ſede nobilis; adjacet torrentibus binis, quorum unus in mare ſeſe præcipitans octo molas circumagitat, alter quotidiano civium uſui inſervit; mare ante Angram ſemilunari

Insula del Cuervo

Puerto del Cuervo

Punta del gada

Villa de la punta del gada

Puerto de la Amarora

La Calauera

Puerto y Ville de las lagoas

Punta de las lagoas

Insula de las Flores.

Insula Graçiosa.

Insula Fayal

Insula S.Ge orgij.

Insula Terçera

Insula del Pico

Insula S. Michaelis

Insula S. Maria

Las Hormigas

INSULÆ
AÇORES
delineante
LUDOVICO TEISERA
Reg. Ma. Cosmographo.

Milliaria Hispanica.

Milliaria Germanica.

Amstelædami,
Excud. Joannes Blaeu.

ambitu patens, ſeſe in portus ſpeciem ſinuat, ſinum hunc defendit arx mediocriter munita. Tribus ab hac civitate leucis alterum eſt oppidum, quod *Villa de Praya*, id eſt littorale vocant, eo quod in littore ſitum ſit, muris cinctum eſt, ſed incolis infrequentibus, quia portu caret. Præter prædicta ſunt quoque oppidula S. Sebaſtiani, ſex Angra milliaribus diſſitum, nec non *Aguala* ſex à Praya milliaribus: cæterum regio Septentrionalior inſulæ, quamvis incolis non deſtituatur, nullum habet locum conſiderabilem, ſed agricolarum tuguria hinc inde abſque ordine ſparſa; unicum ſolummodo minimi momenti oppidum ſeſe oſtentat, prope Promontorium Occidentalius, idque *Altares* vocant. Præterea *S. Barbaræ* & *Villa nova*, vici à paucis inhabitantur.

Aëris ratio. Aër inſulæ, quamvis ſanitati non officiat, humidior tamen eſt, ventique adeo penetrantes, ut ferrum, muroſque domuum, tractu temporis haud ita magno, exedant, quemadmodum Linſchotanus oculatus teſtis ſe vidiſſe affirmat; hancque ob rem incolæ exteriores domuum partes, lapidibus, in littore ſub aquis repertis, qui melius aëris inclementiæ, ventorumque violentiæ reſiſtere poſſunt, tegere coguntur. Aër hic malignus, ventique nocivi, quamvis in ſpecies adeo duras, dicto modo, deſæviant, hominibus nullum damnum adferunt, utpote qui non multis morbis divexari ſolent. Porro aëris conſtitutio *Morbi.* nonnunquam peculiares huic Inſulæ morbos cauſat; quemadmodum is eſt, quem vulgo *Oax* dicitur; hæc paralyſeos ſpecies nominari poſſet, cum homini uſum membri alicujus, vel etiam totius corporis adimere ſoleat: præter hunc alius eſt *Oſangue* appellatus: eſt autem ſuffuſio ſanguinis in vultu circa oculum, vel in alia quadam corporis parte orta.

Fontes. In inſula hac fontes ſunt tanto calore præditi, ut facillime ovum immiſſum coquant: nec non tribus à Civitate Angra leucis fons eſt qui tractu temporis ligno admirandam tribuit duritiem.

Soli qualitas. Territorium Inſulæ cavum eſſe judicatur, quia in modum cavernarum reſonat, ſiquis in eo incedat; hinc eſt quod Inſula terræ motibus non raro ſit obnoxia; ignem quoque incluſum eſſe fumus quandoque prodit; cæterum frumenti & vini fertile eſt, omnibuſque rebus ad vitam neceſſariis abundans: quamvis vinum tenue ſit & potui vulgi inſerviens; Opulentiores vero Canarienſe, vel Maderenſi potare ſolent. Oleum & ſal aliunde huc ferri ſolet, nam iis caret Inſula; fructuum egregie ferax eſt, inter quos excellunt Batatæ radices, ob abundantiam nullius fere pretii. ſolum porro altiſſimum eſt, & rupibus aſperrimis undique cinctum; rupes vero omnes vineis conſitæ, adeo ut mirum ſit ubi arbores in ſolo adeo ſaxoſo radices egerint. Planities frumentum glaſtumque abunde proferunt, præcipue circa oppidum *Villa de Praya*. Cedris Inſula abundat, iiſque incolæ ad naves conſtruendas, imo focum ſtruendum utuntur. Præterea arbores aliæ ſunt, quarum ligna ſanguineo & pulcherrimo colore relucent; aliæ flavo & albo coloribus admodum vivis diſtinguuntur. Sylvis & arboribus omnia plena; ferarum tamen, præter cuniculos non ita magno numero, nihil. Armenta boum, qui pulcritudine ac ſpecie Europæos longe ſuperant, hic fere innumera, ſinguli propriis nominibus diſtinguuntur, & protinus magiſtro vocante adſunt. Avium ferarum nulla fere hic copia, niſi eas excipias, quas Canarienſes appellamus, quæ innumeræ ſylvas cantibus implent: hiſce inſidiandis, capiendis, rurſusque divendendis non pauca occupatur Inſulanorum manus. Æſtate piſcatio hic ſatis fælix, ſed hyberno tempore maris inclementia, quominus retia expediant piſcatores, obeſt.

Incolæ. Incolæ fere omnes aut Luſitani, aut Hiſpani ſunt, quique patrio viventes modo. id iis peculiare, quod venatione non delectentur; cæterum gnaviter agriculturam exerceant, remque domeſticam diligenter adminiſtrent; neceſſitate forte coacti; quemadmodum ex eo patet, quod, cum hujus inſulæ frumentum corruptioni ſit obnoxium, nec anni ſpatio integrum ſervari queat, ut id conſervent, foſſas effodere, iiſque dictum frumentum quatuor ſexve menſibus credere ſolent. præſertim in oppido de Praya, ſinguli fere cives ſingulas habent cavernas, adeo largas ut hominem intrantem intromittere poſſint, eaſque cooperiunt, ſigilloque quiſque ſuo muniunt: Menſe Iulio frumentum condiunt, & ad feſtum Nativitatis Salvatoris noſtri integrum recipiunt, facileque deinceps conſervant incorruptum.

Munitiones. Inſula rupibus undique velut aſpero cingitur muro, portum vero ſinumve defendendis navibus aptum non habet, ante Angram tamen mare ſemilunari ambitu patens portum exhibet: huic imminent duo alti montes, quos vulgo *Breſil* vocant, quibus duæ lapideæ ſpeculæ ſuperſtructæ; è quibus vigiles certis ſignis ex alto appellentium navium numerum & qualitatem obnuntiant: ad radices horum montium ad portus munitionem extructæ ſunt arces firmiſſimæ ſibi invicem oppoſitæ, adeo ut nulla navis iis nolentibus portum intrare queat. Præſidium inſulæ quondam è militibus Portugalenſibus conſtare ſolebat; poſt ultimam vero Portugallenſium defectionem, inſulæ cuſtodia ſolis Hiſpanis creditur, exteris autem inſulæ gyrum facere haud licitum eſt, olim ne quidem iis urbe excedere permiſſum, nunc paululum re-

remiſſi rigores. Inſulam regit Regio nomine Gubernator, Angræ domicilium habens, ubi quoque tribunal juſtitiæ eſt in hanc & reliquas Inſulas juriſdictionem exercens. Cæterum Angræ Epiſcopatus eſt, ſuperiorem agnoſcens in ſpiritualibus Lisbonæ Archiepiſcopum.

GRACIOSA.

GRacioſa diſtat à Tercera verſus Circium 7, aut 8 milliaria, ambitu ſuo quinque tantum aut ſex milliaria complectens: amœniſſima eſt, nec minus fertilis, unde nomen ei inditum, à Luſitanis inhabitatur; nulliſque præſidiariis cuſtoditur, quod ob exiguitatem ſumtus ferre non poſſit; loca ejus præcipua ſunt, *Villa de la Plaja* & *Sancta Crux*.

S. GEORGII.

OCto novemve milliaribus verſus Corum à Tercera eſt Inſula S. Georgii, duodecim in longitudinem, vix tria milliaria in latitudinem extenſa; loci ejus præcipue qui habitantur ſunt oppidum *S. Georgii*, *S. Ioannis*, *Faxan*, aliique minoris momenti, montibus & ſylvis frequens eſt, glaſtumque, nec non fructus ſat abunde profert; nonnihil vini hic quoque colligitur.

PICO.

PIco inſula duodecim milliaria à Tercera verſus Meſolibonotum eſt, quindecim milliaria in longitudinem patens. Nomen accepit hæc inſula à monte, quem habet, in formam rotundæ pyramidis acuminato faſtigio in altum deſinente. Quicquid namque à natura talem ſortitur formam, à Luſitanis *Pico* vocatur. Mons hic altitudinis eſt trium millium paſſuum. Intus cavernoſus eſt, multiſque antris obſcuris excavatus. Solet nonnumquam ejaculari flammas, Ætnæ inſtar. Ad pedem hujus montis, Orientem verſus, fons conſpicitur aquæ dulcis, qui interdum ignea fluenta, lapideſque ignitos effundit: tantaque violentia atque impetu, ut eos veluti torrens, per declivia & ſubjecta loca ad mare uſque protrudat, itidemque ex horum lapidum mole promontorium effecerit, quod *Miſterii* vulgo nuncupant. Diſtat hoc à dicto fonte 12 mill. paſſ. Hodieque ad mille quingentos paſſus ſolito ulterius in mare extenditur, ex continuata nempe lapidum hinc devolutorum congerie. Nugantur qui ſcribunt hanc inſulam à Pico Martio ave nomen ſumere. Loca hujus inſulæ præcipua ſunt *Sancta Crux*, *las Lagoas*, *S. Sebaſtiani*, aliaque minoris momenti. Cæterum Inſula cedris abundat: alterum quoque quoddam ligni genus copioſe fert, quod *Teixo* vocant, pulcherrimum ſane maximique pretii, rubro colore mirabiliter variegatum, quod cædere ſine officialium permiſſione illicitum; pecora præterea habet, multumque vini, fructuumque delicatiſſimorum incredibilem copiam.

FAYALA.

FAyala à S. Georgii inſula jacet verſus Africum, & 17 aut 18 milliaria ambitu complectitur, à Fago arbore denominatur hæc inſula. Luſitani enim fagum *Faya* & *Fagutal* (ſive locum fagis conſitum) *Fayal* vocant. Supereſſe etiamnum in hac inſula ex poſteritate Flandrorum, qui eas primi inhabitavere, familias quaſdam, uti ſunt qui vocantur *Bruyn*, *Vtrecht* &c. ex viro quodam Luſitano fide digno percepi. Lindſchotanus quoque teſtis oculatus ſcribit in ſuo itinerario noſtrate lingua edito, in hac eadem torrentem fluere, quem Hiſpani *Ribera de los Flamengos* (id eſt Flandrorum rivulus) nominant, additque omnes hujus inſulæ incolas è Belgio oriundos, atque Belgis hactenus bene favere. Glaſtum colunt inſulani quod ſat feliciter hîc provenit, cujuſque cauſa potiſſimum aditur, pecore, piſcibusque abundat, iiſque ipſam Terceram quandoque providet, portum nullum habet, aſt unicum oppidum quod *Villa Dorta* vocant, cui arx parum firma adjacet, præſidio Hiſpanico defenſum.

FLORES & CVERVO.

FLores Inſula, à florum copia ſic dicta, diſtat à Tercera, verſus Occidentem mill. 70, ſeptem milliaria ambitu continet; nihil commercio dignum præter glaſtum fert; paſcuis vero & pecorum gregibus & armentis abundat: patet pene omnibus advenis, quia nullo præſidio cuſtoditur.

Cuervo inſula admodum exigua eſt, utpote quæ vix tria milliaria ambiat, unius milliaris intervallo à *Flores* inſula diſtat. Hæ duæ inſulæ proprie è numero Aſorum non ſunt, illis tamen annumerari ſolent, eidemque Gubernatori parent.

AFRICA,

QVÆ EST

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

PARS TERTIA;

LIBER VNVS.



AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus

IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.

GEOGRAPHIC

AFRICA.

EXplicatis omnibus Europæ partibus, tempus eſt Interno mari trajecto Africam ingredi, maximam Orbis terrarum peninſulam. Illa variis Libyæ, Olympiæ, Oceaniæ, Heſperiæ, Ortygiæ, Æthiopiæ, Serpentariæ, Aëriæ, Ophiuſæ, Cepheniæ, Cyrenes, Ammonidiſque apud Græcos inſignita nominibus, Latinis Africa vel Libya duntaxat appellatur, priori nomine ab Epaphi filii Iovis filia ducto; poſteriore vero ab Afro Libii Herculis filio. *Nomen.*

Arabes, quibus complures Africæ regiones nunc parent, Ifriquiam dicunt à vocabulo Faraca, quod diviſum gentis lingua ſignificat: ſeparat quidpe Africam ab Europa Mediterraneum mare fretumque Herculeum ſive Gaditanum; ab Aſia vero exiguus iſthmus Internum mare, & Sinum Arabicum interjacens, cujus intercapedo eſt milliarium tantum xxv: ſeu *Ifriquiam*, à *Meleco* ſive *Meletio Ifirico* Felicis Arabiæ rege, qui cum reliquiis exercitus ſui in hunc terrarum tractum metu hoſtium ſe abdens, partem ejus excoluit. Turcæ, ut quidam nos docent, Africam *Magrib* nomine indigitant; etſi id nominis Occiduo Africæ mari ſit proprium.

Limites. Finibus clauditur ab Oriente mari Rubro; qua medius dies eſt, Æthiopico; qua ſol occidit, Atlantico; ab Septentrionibus Interno, quod Africum ſeu Libycum dicitur, qua Regionem alluit.

In univerſum vaſta eſt magis quam frequens. *Vaſtitas ſive amplitudo.* Longitudo ſumma computatur ab Herculis freto ad promontorium Bonæ Spei milliarium IↃCC. Latitudo inter duo promontoria, *Heſperium* vulgo *C. Verde*, & *Aromata*, quod eſt juxta fauces Arabici ſinus, vulgo nunc *Coarda fui*, milliarium IↃL. Terra ipſa, niſi qua interno mari accedit, obſcure veteribus nota. Vltra autem Nili fontes ac montes Lunæ prorſus incognita.

Diviſio. Regiones atque gentes in quas diviſa fuit quondam, ſunt, Ægyptus, Cyrenaica, Africa Minor, ſeu proprie dicta, Troglodytæ, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya Interior, Arabia, Troglodytica & Æthiopia. Nunc autem univerſa in ſeptem potiſſimum partes ſive regiones ſecatur, quarum nomina ſunt hæc: Ægyptus, Barbaria, Biledulgerid, Sarra deſertum, Nigritæ, Æthiopia Interior, ſive Superior, quod Abyſſinorum eſt imperium, & Æthiopia Exterior ſive Inferior.

Inſulæ. Inſularum ad Africam terram maxima eſt in Rubro mari Menuthias, Cerne Plinio dicta; nunc vulgo inſula D. Laurentii, & incolis Madagaſcar, id eſt Lunæ inſula, felici aromatum proventu dives, longitudine milliar. German. CCI. Latit. LXXX occupans. At in Atlantico Oceano contra Heſperium promontorium, quod nunc eſt *Cabo Verde*, *Heſperides* ſunt inſulæ duæ, ultraque *Gorgades*, Gorgonum quondam domus: nunc in univerſum *Iſlas de C. Verde* Hiſpanis dicuntur, hoc eſt, inſulæ promontorii Viridis. Contra Mauritaniam ſunt Fortunatæ, VII numero, quarum una Canaria vocitata, à multitudine canum ingentis magnitudinis, ut auctor eſt Plinius. Vnde univerſi Fortunatæ nunc Canariæ dicuntur, Hiſpaniarum Regi ſubjectæ. Vltra verſus Septentrionem eſt *Cerne* nunc *Madera* dicta. In Interno mari ſunt *Melita*, *Goza*, *Comin*, *Lampaduſa* & *Linoſa* inſulæ, contra Tripolitana littora ſitæ. Plures univerſam Africæ inſulæ circumſident, de quibus ſuo loco fuſius agemus.

Montes. Montium clariſſimi maximique ſunt, Atlas uterque, montes Cryſtalli, Solis, Nitri, Serra Leonis, montes Amara, Lunæ, & quos *Picos Fragoſos* Luſitani appellant. Porro, Atlas Major, incolis *Ayduacal*, *Anchiſa* & *Majuſta* dictus, ſic per Africam diſcurrit, ſicut per Aſiam Taurus, per Europam Alpes. Hunc totius Africæ vel fabuloſiſſimum è mediis arenis in cœlum uſque attolli prodiderunt celebrati autores, aſperum, ſqualentem, qua vergat ad littora Oceani, cui cognomen impoſuit: eundem opacum nemoroſumque, & ſcatebris fontium riguum; qua ſpectat Africam, fructibus omnium generum ſponte ita ſubnaſcentibus, ut nunquam ſatietas voluptatibus deſit.: Incolarum neminem interdiu cerni: ſilere omnia haud alio quam ſolitudinem horrore: eundemque noctu micare crebris ignibus; Ægipanum Satyrorumque laſcivia impleri; tibiarum ac fiſtulæ cantu tympanorumque & cymbalorum ſonitu ſtrepere. *Atlas Major.*

Cæterum ex Marmarica ortus ab Oriente Barbariam inter & Biledulgerid regionem in Occaſum late ſe ſpargit, ac juxta fauces fuſi amnis, qui Meſſam tergeminam urbem alluit, in Oceanum procurrit Atlanticum, qua is juxta fretum Herculeum paulatim ſe contrahit, terraſque, ſciſſis utrimque (id veteres credidere) ab Hiſpania Calpe, ab Africa Abyla montibus, irrumpit. Dividitur, ut & Atlas Minor, in varia nomina, pro ut per diverſas regiones ſua juga pertexit. Vtrumque vero Atlantem nonnulli Hiſpanico *Montes claros* nomine intelligunt, vel quod procul conſpicui ſint, vel quod ſuis candeant verticibus. Strabo refert Atlantem in Mauritania incolis *Dyrin* vocari; at qua Ægypto accedit, triginta circiter ab urbe Alexandria milliaribus, nomen *Meyes* invenit; quam tamen Montis partem Straboni Aſpidem dici, Curio ſuſpicatur.

Atlas Minor. Atlas Minor, quibuſdam *Lant* dictus, in littore Interni maris, qua id *Errif* nomen ſortitur, inſigni altitudine conſurgens, à Gaditano freto Bonam uſque provehitur.

Abyla mons. Qua Oceanus Atlanticus ab Occaſu ſolis per fretum Gaditanum inter Europam, & Africam Aſiamque diffunditur, Abyla mons, quem nunc vocant *Ceutam*, altera ex columnis Herculeis, ſeu metis laborum Herculis, Hiſpanis hodie *Sierra*

TANGER

CEVTA

ALGER

TVNIS

Goleta nunc diſtructa

ALEXANDRIA

ALCAIR

MOZAMBIQVE

S. GEORGIVS della MINA

CANARIA

AFRICÆ nova deſcriptio.

Auct: Guilielmo Blaeuw.

MARE ATLANTICVM

Canariæ Insulæ olim Fortunatæ

Insulæ de Cabo verde olim Hesperides sive Gorgades

TROPICVS CANCRI

TROPICVS CAPRICORNI

ÆQUATOR sive LINEA ÆQUINOCTIALIS

OCEANVS AETHIOPICVS

MARE MEDITERRANEUM

NATOLIA

ASIAE PARS

ARABIA

OCEANI ORIENTALIS

BARBARICUS SINUS

PARS

MADAGASCAR, quę et S. LAURENTII INSula dicitur

Cum privilegio ad Accentium.

Marocchi

Senaganſos

Mercatores in Guinea.

Cabo lopo Gonſalvi Accolæ

Milles Congenſis

Ægyptij

Abiſſini

Caffres in Mozambique

Reſs in Madagaſcar

Capi bonæ Spei habitatores.

Ximiera, ſive *Sierra de las Monas*, hoc eſt, Mons Simiarum dictus, ex Hiſpanico littore Calpe montem, alteram Herculis columnam, habet obverſum.

Mons Cryſtalli. Mons Cryſtalli, ſive Cryſtallinus, in Orientalibus Congo regni finibus inhoſpitalem ſtupenda altitudine verticem erigens, Cryſtalli venis totus ferme ſcatet.

Mons Solis. Vlterius mons Solis occurrit, cui incredibilis ſublimitas, & viduata arboribus juga cognomen dedere; ab eodemque Orientali latere mons à nitro, quo abundat, cognominatus, quem Sarbelus amnis utrimque ſalutat.

Mons Leonis. Mons Leonis, Luſitanis *Serra Lioa*, Hiſpanis vero *Sierra Leona* vocitatus, integro regno de ſuo nomen imponit, evehiturque in Guineæ confinio altitudine prorſus ſingulari. Is communiter accipitur pro eo, quem deorum Currum Ptolemæus dixit, quod à vertice ejus intra nubes abſtruſo crebra fulmina deſcendant.

Mons Amara. Amara mons, unde hodieque vaſtiſſimum regnum appellatur, editiſſimas inacceſſasque rupes ſuas in orbem cogit, cujus in medio cognominis arx eſt munitiſſima condita; in qua regis filii ſub validiſſimo præſidio educantur, donec patre defuncto heres producatur.

Montes Lunæ. Montes Lunæ parem cum reliquis Africæ montibus obtinent claritatem. Ex horum viſceribus Nilum amnem produci, celebrati autores falſo credidere; Nilique lacus ex eliquatis eorum nivibus augeri, Ptolemæus memoriæ prodidit. Cæterum *Bravaghut* fluvius, qui Mataman regnum perlabitur, ortum ex Lunæ montibus ducit, quos Tropicus Capricorni verſus Polum Antarcticum ab eodem regno diſterminat. Superatis hiſce montibus, regio, cui à promontorio Bonæ Spei eſt nomen, conſpicua eſt, compluribus regulis ſubjecta. Situm igitur Lunæ montes habent inter prædictum Tropicum, Bonæque Spei promontorium, ſuntque prorſus inhabitabiles. Porro Lunæ montes hodie incolis *Beſth* dicti, nihil aliud ſunt, quam longiſſima quædam rupium altiſſimarum, & perpetuis obſitarum nivibus ſeries, ad regiones Ceva & Goyame uſque protenſa.

Montes Picos Fragoſos dicti. Sunt & prope Bonæ Spei promontorium montes, quos Luſitani *Picos Fragoſos* nuncupant; minus vero recte Italis Pici Fragoſi dicuntur, cum prius nomen aſperrimas, præruptaſque cautes, ex quibus ſunt compoſiti, ſignificet. Ceterum cacumina eorum ipſas nubes attingunt; ipſi vero haud procul à promontorio Aiguilles, de quo infra, in erectam altitudinem ſe parant.

Radices copioſus amnis rapidusque è Mediterraneis profectus ſubterfluit. Sunt alii præterea montes in Africa, partim altitudine ſua, partim etiam metallis, queis ſcatent, cenſendi; quos hic ſtudio prætereo, pluribus de iiſdem in ſingularum deſcriptionibus regionum acturus.

Lacus. Lacus complures reperias longe lateque diffuſos, quorum præcipuus eſt, qui *Zaire* vel *Zembre* dicitur, à quibuſdam pro veterum lacu Tritonum acceptus. Ex eo ortus ſuos ducunt *Coanza*, & *Lelunda*, haud ignobiles regni Congo amnes. Indidem nonnullorum opinione *Nilus* & *Zambere* ſive *Covama*, aquarum copia & curſus longitudine inſignes fluvii, de quibus ſuo loco diffuſius, naſcuntur.

Flumina præcipua ſunt, *Nilus*, *Niger*, qui & *Rio grande*, hoc eſt, ingens amnis, Hiſpanis Italiſque dicitur; *Sanaga* ſive *Senega*, *Gambra*, *Zaine*, *Covama*, amniſque, cui à S. Spiritu eſt nomen. Omnes hi amnes ferme ejuſdem naturæ ſunt; ſuis namque inundationibus terram fœcundant. De *Nilo* quod eſt, qui eſt ex Africæ fluviis omnium Europæis notiſſimus, ſeparatum de eo in Ægypti deſcriptione, ob uberes quas in hanc regionem derivat utilitates, ſermonem faciemus; quanquam idem longiore Æthiopiam tractu pervadat. *Fluvii.*

Niger, incolis *Hued Nijar*, nobis regionem Nigritarum explicaturis tangetur, quo etiam Senegam, Gambeam ſive Gambram amnes referemus.

Aquæ. Africam licet haud tenues fluvii varie interſecent; plura tamen in ea loca ſunt ob ſitim cæli terrarumque ac aquarum malignitatem deſerta. Sol quippe, cum ardentior exiſtit, naturali ratione humorum vaporumque plus, cum iiſque ſæpe ſordes innumeras attrahit; quæ deinde per imbrem pluviamve delapſa, non ipſas ſolum aquas ſeu flumina coinquinant, ſed etiam corpora, quæ attingunt, ſic afficiunt, ut ulceroſiſſima reddantur.

Soli qualitas. Quædam Africæ partes eximie ſunt fertiles. Cætera tamen inculta, & aut arenis ſterilibus obducta, aut ſerpentibus uſque adeo ſcatentia, ut non niſi ab ocreatis agricolis proſcindi poſſint, aut infeſtantur multo ac malefico genere animalium. Quas partes diligens cultura ſubigit, credita ſemina centuplici fœnore reddunt. Iſta frugum ubertas Magnum Hetruriæ Ducem, ipſosque adeo mercatores Gallos non ſemel induxit, ut hac via annonæ in Thuſcia Galliisque gravitatem tentarint levare; quæ tamen navigatio poſtremis aliquando minus proſpere ſucceſſit. Fruges Africæ ſunt ſiligo, oriza, millium, triticum, frumentum Turcicum: fructus vero ejuſdem generis habet hæc regio, quales Europa producit; niſi quod ſingulari terræ ſuæ munere ex arbuſculis, queis longa ſunt lataque folia, proferat pomorum quoddam genus ſapore inſignium dulciumque, & mala citrea minora magnitudine æquantium. Atque hunc fructum doctores Mahumetani credunt ipſum illum eſſe, qui primis Parentibus noſtris in Paradiſo vetitus, ut primum curioſe fuit guſtatus, inexploratæ hactenus nuditatis eoſdem admonuit, quam prædictorum latitudine foliorum illico tegere conati ſunt. *Fruges fructusque Africæ.*

Quæ caſſiam ferunt arbores, non abſimilia mororum foliis habent folia, floribus latis albisque diſtincta; fructum vero prælongis valvis incluſum ea copia gignunt, ut ad tollendum pondus, frequens ante adeptam maturitatem decerpatur.

Creſcit item in Africa fructus, qui communiter ficus Ægypti, incolis vero *Guimeiz* dicitur; cujus arbor ſe ipſa, & foliis noſtratibus ſunt ficis ſimillima: at Africana noſtram altitudine vincit ficum, & denſitate; nec è ramuſculis fructum demittit, ſed ipſa ex ſtirpe protrudit, noſtratibus ficu-

ficubus ſapore eundem, ſed violaceum colore, & craſſiore circumſeptum pellicula.

Computantur quoque in Africanarum mercium numero dactyli, goſſipium, ſaccharumque, & id genus alia, quæ in regionem Africæ, aut Aſiæ, atque Indiarum peculiari deſcriptione enucleatius recenſebimus. Abyſſinorum regio picem Græcam ſuppeditat, qua ad phlegmata expellenda Medici utuntur. Quæ in Orientaliore Africa Nilum verſus, Rafin & Cuco oppida interjacet regio, naphtham bituminis ſpeciem, Medicis petrinum oleum, reſinamque aliunde allatam paucorum dierum ſpatio ſecreta quadam vi odoriferum in balſamum convertit. Eadem regio certum genus arborum educit, incolis *aud-Altaſſavyt* dictum, dantium vimina ſeu ramuſculos virgularum cannabis ſpecie, queis millies licet humeros percutias, franguntur nunquam, ſed dulcem continuatis ex ictibus harmoniam continuant.

Eſt etiam in Africanis arboribus *Ettalchus*, procera, ſpinoſaque, foliis junipero perſimilis, & gummi ferax, ſpecie odoreque maſtichen referentis; quamobrem mercatores Afri hujus admiſtione ipſam maſtichen non raro adulterant. Ceterum hic ſuccus in Numidiæ, Libyæque deſertis, atque adeo in ipſa Nigritarum regione excipitur.

Argan arbor, ex qua oleum colligunt incolæ, in Maurocani regni provincia *Hea* naſcitur; de qua ſuo loco dicemus.

Inter radices laudem meretur illa, quæ incolis *Terfez*, Medicis *Camha* dicta, tribulo ſimilis eſt, ſed magnitudine inſignior, & ſupra quam credi poſſit, delicata. Hac Arabes in Numidiæ deſertis copioſe reperta tam libenter veſcuntur, quam ſi ſaccharum eſſet. Alia radix Occidentali in littore effoditur, *Tauzarghente* appellata, ſuavem exhalans odorem.

Eam è Barbaria mercatores in Nigritarum regionem exportant, qui hac nec incenſa, nec calefacta, ſed ultro gratiſſimum odorem ſpirante ſuffimentorum loco utuntur.

Neque harum numero radicum excludenda *Addad*; cujus herba amara, radix vero adeo venenoſa exiſtit, ut liquor ex ea ad drachmæ pondus duntaxat expreſſus, hauſtuſque ore humano horario vitam terminandi ſpatio vix habeat.

Surnag radix, quam Occidentalior Atlantis pars gignit, in Venerem proclivibus Afris dilecta, libidinem exſtimulat, mareſque confortat, quo diutius poſſint in creandorum officina hominum perſiſtere. Mala igitur hæc radix, quæ ventrem incontinentem, luxuriam reddit exercitam.

Euforbe, gummi quodpiam eſt, ſpinoſa è planta protruſum, habenſque ſylveſtris cardui ſpeciem. Eadem planta prægrandem fructum, cucumeris magnitudine haud imparem, ſed longius, auctiuſque tuberoſum, illico à terra, qua ramuſculorum ſuorum aſparagi in modum agit divortia, producit, ſemetipſum vicenario, aut etiam tricenario ſæpe multiplicantem numero. Incolæ hoc ex fructu maturo punctim aperto ſive diſſecto, lacti ſimillimum, viſcoſumque liquorem eliciunt, elicitumque cultro demunt, & corio caprino exſiccandum involvunt. Succinum vero aquei coloris magna copia Meſſanum in littus mare egerit.

Pix in Africa alia eſt naturalis, quorundam fontium ſaxis adhæreſcens, graveolentemque aquam efficiens: artificialis alia, quæ ex juniperis piceiſque exprimitur. Exprimendi modum Leo oculatus teſtis hunc eſſe commemorat: fornacem rotundam profundamque exſtruunt, in eamque minutatim conciſos dictarum arborum ramos immittunt, poſtquam per relictam in eo feneſtram moderatum ignem ſuppoſuere, ut lenta diſtillatione incluſum gummi eliciant; quod per foramen in caveam, vaſis in modum ſubtus formatam, dilapſum coriaceos in ſaccos colligunt.

Pluribus in locis non alio ſale quam foſſili utuntur, eoque vel rubro, vel candido, vel cinereo. Is copioſe in Barbaria effoditur, affatimque ejus in Numidiæ Libyæque regionibus invenitur; Nigritis, & Interioris Æthiopiæ colonis hoc ipſo carentibus. Africani quoque marinis ex aquis, quas effoſſis in hunc finem canalibus ſervatas vehementior ſol uſſit, alteravitque, ſalem cum ipſa Alpina nive candore certantem conficiunt. Alibi locorum, in plumbifodinis nimirum, antimonium inveniunt, quod à plumbo vi ſulphuris operarii ſecernunt. *Sal.*

Sed inprimis auri, argenti, aliorumque fodinæ metallorum notandæ, quæ in Nigritarum regione præcipuè, Guineæ regno, Æthiopiaque frequentes occurrunt. Ad hæc inutilia terræ pondera capienda, tam longinquas & periculoſas Europæi navigationes profectioneſque inſtituunt, ſæpe non alio conſilio, quam ut avaritiæ ſuæ modum ponant; cum quo plus ſint potæ, plus ſitiantur aquæ.

In Limenſi regione, Abeno Hezaro teſte, lapillos reperias, Hiſpanis *de los hechizos*, Arabibus vero *Hajar Aceht* dictos, humanorum ſpeciem membrorum referentes; adeo ut in quibuſdam forma pedis appareat; in aliis brachii, capitis, cordis, &c. quidam integri etiam hominis ſpeciem exhibeant. Lapillis hiſce ad effaſcinandum variis modis utuntur, habentque præcipuo quodam in precio, in quibus effigiata humana ſpecies integra cernitur; iis quippe ineſſe vim rentur conciliandi geſtatoribus quorumlibet etiam virorum Principum animos. Montes *Alard* & *Quen*, qui inter Nubiam Zinchamque vertices attollunt, lapidem habent, *Beth* Arabibus dictum, ea præditum virtute, ut mutos efficiat, qui paulo eundem diutius fuerint intuiti. Incolis perſuaſum hoc ex lapide Alexandrum Magnum, quem *Eſcandrum* nuncupant, de conſilio Ariſtotelis, qui *Arçato Talis* dicitur Arabibus, illud Admirationis conſtruxiſſe palatium.

De Africanis animalibus quod eſt, in hoc genere plurima ſunt à noſtratibus nihil admodum diverſa; quamobrem hæc ipſa volens prætereo. Illa ſolum accuratiore deſcriptione ſignabo, quorum noſtra Europa eſt expers; quæque à curioſis duntaxat, aut à mercatoribus invehuntur, aut per regiones Europæ ab hiſtrionibus circumducuntur lucri cauſa. *Animalia.*

Prima autem Africanarum belluarum ſerie Elephanti, Africanis *El Fil* dicti, ſe offerunt, quorum vaſtus numerus ad utramque Nigri fluminis ripam, inque Superiore Æthiopia & in regno Monomotapa Inferioris Æthiopiæ conſpicitur. Ineſt illis clementiæ bonum; quippe ſi per deſerta vagabundum hominem viderint, ductus uſque ad notas vias præbent; vel ſi confertis pecoribus occurſitent, itinera ſibi blanda & tacita manu faciunt, ne quod obvium animal interimant. Duo eorum genera ſunt, nobiliores indicat magnitudo, qui rarius ad noſtras avehuntur partes; minores nothos dicunt. Majoribus ad bellum ituri Æthiopes turres ligneas imponunt, ex hiſque deni, aut duodeni miſſilibus depugnant. Porro oberrant agminatim: natu maximus ducit agmen; ætate proximus cogit ſequentes. Flumen tranſituri minimos antemittunt, ne majorum ingreſſus alveum atterant, & profundos depreſſis vadis gurgites faciant. Propter fœminas nunquam dimicant; nulla enim noverunt adulteria. Candore dentium intelligitur juventa, quorum alter ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur; ne hebetatus aſſiduo repercuſſu minus vigeat, ſi fuerit aliquando dimicandum. Cum venatu premuntur, pariter affligunt utroſque, ut ebore damnato non requirantur. Non annis decem, ut vulgus; ſed biennio, ut Ariſtoteles definit, utero graveſcunt, nec amplius quam ſemel gignunt, nec plures, quam ſingulos.

Vivunt præ cæteris omnibus quadrupedibus diu: linguam perexiguam habent, atque introrſus poſitam: longiſſima illis naris contra omnium reliquorum animantium formam, utunturque illa quibuſcunque manuum officiis: ea namque cibos tam humidos, quam ſiccos capiunt, & ori admovent, ſed & eadem nari arbores proſternunt, fructus ac folia colligunt. Pedibus omnibus digiti ſunt, ſed indiviſi, ac leniter figurati. Pedes lati diametro palmum cum dimidio; ambitu palmos quatuor: quin dentem elephantinum unum pondo fuiſſe 323, memorat apud Taprobanam Ludov. Barth. rer. Indic. lib. 3.

Cameli. Corporis vaſtitate, & interna manſuetudine ad elephantos proxime accedunt *Cameli*, Arabibus ſinguli *Gimel*, greges vero eorum *El Bil* appellati. Frequentes ii in deſertis Libyæ Numidiæque, atque in Barbariæ regione viſuntur. In his Arabum opulentia conſiſtit; quippe ſi iſthîc locorum quempiam locupletem ſignare velint, tam amplum, inquiunt, camelorum poſſidet numerum, loco, quod nos dicimus, tot poſſeſſiones habet, aut tam largis eſt reditibus inſtructus. Cæterum camelus mite eſt, ac domeſticum animal, hominibus ad circumvehenda onera perquam familiare. Corpus illi procerum, & punctis interſtincto tergore maculoſum: caput cæteroquin amplum, paulatim ad cervicem gracileſcit, & ex eo geminæ cornuum ſpecies emergunt; ſupra vero tempora ſecundum aures, duo molliter conſurgunt apices. In ore lacteus prominet numeroſa ſerie dentium nitor; oculi jucundiſſima luminis face ſcintillant; terga lata, & inſigni colliculo protuberantia. Crurum non æqualis menſura; poſtici enim pedes anterioribus minores; ex quo nonnihil claudicare videtur. Cauda talis eſt, qualis cervis, aut damis, ſummis à tergo nigricantibus villis hirſuta. Ad ſummum talis eſt ingenio, ut onera quam maxima dorſo ferat, & longam viam continuo curſu devoret. Quod ſi quando conſiſtat, non vult flagris, & verberibus adigi, ſed ſuavi modulatione demulceri: hac itineris labores mitigat, & veluti novis animis ac viribus revireſcit.

Leones. Ex Africæ Leonibus ſæviores ſunt fortioreſque illi, qui Trimiſenum inter Feſſanumque regna, item qui in deſerto *Angep*, ſive *Angad*, & interjacentia Bonam & Zunchem loca ſolis ardoribus magis ſubjecta occupant; qui enim frigidiora montium tenent, minus terribiles, minuſque periculoſi exiſtunt.

Caput Leoni amplum, majeſtatem feræ præ ſe fert: magni & lucentes oculi inter villoſa ſupercilia ſcintillant; colla, armoſque effuſæ veſtiunt jubæ; magna vis laterum ſpirat; major pectoris firmitas protuberat; maximus ſævit oris terror, qui totus eſt immani dentium rictu ſeptus. Quid genua loquar? quid tibiarum compagem? quid nervorum denſitatem? quid ungues? quid inceſſum? quid ſaltum? quid curſus celeritatem? quid omnia.

Si quando venatorum ſenſerit impetum, abjecta omni mora exilit è ſpelunca, primum truculenta rugit immanitate; mox longam, villoſamque caudam explicans, terram plaudit; tum profundam voraginem aperit, dentes exſerit; in hoſtes ſumma velocitate involat; hos cauda atterit; illos pedibus conculcat; aliorum trementes artus cruentis faucibus fœdiſſima laceratione populatur.

Pantherа. Pantheræ quoque numeroſæ ſunt in Africa, minutis orbiculis ſuperpictæ, ita ut oculatis ex fulvo circulis, vel cærulea, vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Anterioribus pedibus quinque digitos habent, poſterioribus quatuor: fœmina majore, quam mas robore prædita eſt.

Semel tantum tota vita parturit. Nam cum in utero matris coaluere catuli, maturiſque ad naſcendum viribus pollent, oderunt temporum moras. Itaque oneratam fœtibus vulvam tanquam obſtantem partui unguibus lacerant; effundit illa partum ſeu potius dimittit dolore cogente. Ita poſtea corruptis & cicatricoſis ſedibus, genitale ſemen non hæret infuſum, ſed irritum reſilit. Ceterum ſæviſſima hæc beſtia ad perſequendum enecandumque hominem niſi irritata prorumpit. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mire affici, atque ubi eas perſentiſcant, properato convenire, nec terreri, niſi ſola oris torvitate. Quam ob cauſam pantheræ abſconditis capitibus, quæ reliqua ſunt ſpectanda præbent, ut pecuatos greges ſtupidos in obtutu populentur ſecura vaſtatione. Etſi autem carnium, præcipue hœdorum, panthera ſit vorax; nullum tamen animal æque ac canes odit.

Alces. Sunt & in Africa feræ, quæ Alces Latinis, Africanis *Lant* nuncupantur. Alces vero eſt animal ad bovis minoris accedens magnitudinem, cujus

cujus à media fronte intra aures unum cornu exiſtit excelſius, ad pectus retrorſum ac dein in rectam cuſpidem ſe vertens, tantaque vis in eo eſt, ut quæque obvia penetret aut confringat. Ceterum auribus cervo perſimilis, crura brevia habet; collum vero longum, colore per totum corpus magis ad albedinem tendente; niſi quod diſſecta pedum ungula ſit nigerrima. Eadem pernicitate curſus ſolis equis Arabicis Barbaricisque cedit.

Equi. Equos Italis aliiſque Europæis *Barbaros* ſeu Barbaricos dictos Barbaria nobiliſſima Africæ regio gignit. Hi validiſſimis ſunt unguibus, ac præ reliquis totius Orbis veloces perhibentur. Per Africam, Ægyptum omnemque Aſiam qui pernicitate diuturnitateque curſus valent, *Arabes*, ſive Arabici vocantur, quod Arabes primum hoc indomitorum genus equorum in deſertis ſuis repertum, ad manſuetudinem perduxerint, iiſque Africam progrediente tempore compleverint.

Boves. *Guahox*, Silveſtrium boum genus eſt, Hiſpanis Africam incolentibus *Vacas Bravas*, hoc eſt, vaccæ furioſæ, dictum. Hi velocitate cum cervis certant; magnitudine vero noſtratibus ſunt bobus inferiores. Color illis ſubfuſcus; cornua nigra acutaque: carnes ſaporitæ; corium vero ad conſuendos calceos ocreaſque durabile.

Aſini. Nec *Aſini* feri à Numidiæ Libyæque deſertis arcentur. Hi cinereo ſeu potius aquilino colore, ipſis equis Barbaricis velocitate curſus ſunt pares. Ejuſdem generis ſunt, ſed dorſo, reliquoque corpore humiliores, quos habet Sardinia noſtra.

Capri. In Orientaliore Abiſſini imperii latere ad utramque Nili ripam ingens caprarum copia cernitur, quarum, ut Horatius ait, olentes mariti prægrandem vitulum proceritate adæquant, piloque tam prolixo ſunt, in terram ut defluat; tam craſſo hirtoque ut equinarum ſuperet rigorem jubarum.

Vaccæ. Eadem regio vaccas alit inſigni magnitudine, ſed glabras ſive pilorum expertes, caudatiſſimasque, in quarum collis non ingrata colorum ludit miſtura. Atque hæ Ægyptiis vocabulo *Demniet* ſignantur.

Adimmain. *Adimmain*, animal Africanum, ſpecie arietis, ſed mediocris magnitudine aſini, auribus eſt prolixe defluentibus. Id Libyæ populis ovium vicem præſtans, lac copioſe ſuppeditat; unde butyrum eis & caſeus. Cornua ſunt fœminis; mares his carent: lana utriſque bona, ſed perbrevis.

Arietes. Arietes Africani cornibus duntaxat, caudaque rotundatim larga differunt à noſtratibus. Et quia ad caudæ craſſitudinem longitudo, totiusque animalis pinguedo accedit, jure quinquemembres vocitantur. Quorundam caudæ quindecim, & ſummum viginti libras adæquant; idque contingit, cum ſuopte ſaginantur ingenio.

Dabub. *Dabub* Arabum, Africanorum eſt *Leleſ.* Animal id eſt ad lupi ſpeciem magnitudinemque proxime accedens, niſi quod humanis ferme ſint pedibus cruribusque. Reliquo pecori nullum ab hoc exitium; cadavera tamen humana in eſcam exenterat, Mauris ad eam rem occaſionem præbentibus, dum mortuos mediis in agris ſepeliunt.

Zibethi. Habet item *Zibethos* frequentes hæc regio, quibus Zebides vocabulum ab Arabibus eſt inditum. Hi de Silveſtrium felium ſunt genere, quarum cruor circa umbilicum collectus, & Zibethum unguentariis dictus, ſingularem exhalat fragrantiam.

Simiæ. Simiarum vero non una apud Africanos eſt ſpecies; aliæ quippe ſilveſtres colore cinereo feles referunt, cauda prælonga, candidoque capite inſignes; aliæ prorſus nigræ, in Nigritarum regione vagantur. Rurſus aliæ ſunt ſine caudis, incolis *Babuyns* dictæ.

Gazeles. *Gazeles*, feræ ſunt, magnitudine coloreque damis perſimiles, cornibus nigris ſilveſtrium caprarum in modum, ſed rotundioribus acutioribuſque præditæ.

Dracones. Dracones nonnulli alatos finxerunt, ſcintillanteſque è faucibus; quod ad puerorum terrorem ab otioſis videtur confictum. Nam qui Atlantis ſpeluncas dracones incolunt, Arabibus Taybins dicti, prægrandi gravique ſunt corpore, nec in quamcunque partem verſatiles. Qua corpus eorum in caudam caputque deſinit, vehementer utrimque attenuatur.

Ceterum dracones è venenoſorum genere ſerpentum ſunt; quodcunque enim corpus ictu feriunt, aut morſu, ejus caro ſaponis inſtar molleſcens, perbrevem vitæ terminum annuntiat.

Porro capite atque alis volucrem referunt, cauda & verſicolore pelle ſerpentem; pedibus vero lupum, rigidis ſemper ſuperciliis.

Hydræ. Quin etiam Hydras in regionibus Africæ reperias, ſed non quales fabuloſa antiquitas lacui Lernæo adſcripſit; è quo, ſi quid fidei Poëtis habendum eſt, hydra una prorumpens, ſeptemque capita proferens, iiſdem abſciſſis, moxque ſubnaſcentibus ſibi diu victorioſo cum Hercule luctata eſt. Africanæ igitur hydræ ſerpentes ſunt modica longitudine, collo caudaque brevibus. Frequentes eæ in Libyæ deſertis, illico perrumpens ſerpensve venenum evomunt, ſine dubio allaturum exitium, niſi veneno imbuta pars, à reliquo mox corpore dematur.

Dub. In iiſdem Libyæ deſertis *Dub* animal eſt, ſtellionibus Apulis affine; at grandius, humani longitudine brachii, latitudine vero digitos quaternos occupans. Id tota vita aquam non bibit; ab eaque adeo vehementer abhorret, ut, ſi continuata ad breve tempus infuſione animalis fauces irrores, certo ſit certius moriturum. Idem omnis veneni expers, ova ponit teſtudinum ovis ſimillima. Carne ejus ranarum carnem ſapore referente incolæ aſſata veſcuntur.

Guaral. Huic ſimile eſt aliud animal, quod Guaral vocant; niſi quod aliquanto majus ſit, venenumque & capite & cauda recondat. Arabes igitur duabus his partibus abſciſſis, reliquum corpus ſuorum habent in numero ciborum.

Chamæleontes. Per omnem Africam plurimus item Chamæleon, Arabibus *El Lebuya* dictus. Animal id quadrupes, facie qua lacertæ, niſi crura recta, & longiora ventri jungerentur, prolixa cauda, & eadem ad vertiginem torta; hamati ungues, ſubtili aduncitate, inceſſus piger, & fere idem qui teſtu-

teſtudinum motus : corpus aſperum, cutis, qualem in crocodilis deprehendimus ; ſubducti oculi, & receſſu concavo introrſum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Viſum denique non circumlatis pupillis, ſed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus ejus æternus, ac ſine ullius uſus miniſterio ; quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, ſed hauſtu aëris Soliſque radiis vivat : color varius & in momento mutabilis; ita ut cuicunque rei ſe conjunxerit, concolor ei fiat : colores duo ſunt, quos fingere non valet, ruber, & candidus ; ceteros facile mentitur. Corpus pene ſine carne, vitalia ſine liene, nec niſi in corculo pauxillum ſanguinis eſt. Latet hyeme ; producitur vere : impetibilis eſt corvo, à quo cum interfectus eſt, victorem ſuum perimit interemptus : nam ſi vel modicum ales ex eo comederit, illico moritur.

Monocerotes. In montibus *Beth* Superioris Æthiopiæ creber Monoceros ſpatiatur, animal ferox, horribile, truculentum. Corpore eſt inſtar equi, non modo procero, ſed valenti ; capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, rictu leænæ ſimilis.

Eminet in media fronte album cornu duorum ferme cubitorum, nullam, ut cetera cornua, aut concinnitatem habens, aut levitatem, neque pari undique levore æquabiliter diffuſum, ſed ab imo ad ſummum flavo ſtriatum colore. Hoc inſolenter profuſam capitis jubam pendentemque ſubtus barbam quatiens, quaſi ſtrictum mucronem, longum, minacem, noxium protendit : currit autem quam velociſſime, & magno ſonitu, fremituque fertur, inacceſſas montium ſolitudines, & denſiſſimos ſaltus peragrans. Quod ſi aut laſcivia ſeminis, aut iracundia (ut ſolet) in ſuum genus exardeſcat, furit inſaturabiliter, fodicat, vellit, infringit, laniat, quacunque rapitur, huc furorem, huc inſaniam, huc ſtrages & funera ruere crederes : at ſi forte eximia virgo proceſſerit obviam, continuo furiales animalis iræ deferveſcunt ; miteſcit animus ; rectà ad virginem pergit, demittit ſeſe ; blanditur ; in ejus denique ſinu molliter conquieſcit.

Zorafes. Aliud animalium genus in Nubia viſitur atque Abyſſinorum regione, *Zorafes* ſive *Girafes* appellatum, tauri bimi magnitudine, colloque ad haſtæ dimidiatæ longitudinem porrecto. Capite animal refert, quod Gazeles nuncupant, quodque damarum ſimilitudine eſſe, jam ſupra monuimus. Pedes illi poſteriores anterioribus breviores, pilusque, qualis bobus eſſe ſolet, albo nigroque colore varius. Ceterum auribus cervum refert ; pectore vero ſplendeſcit.

Aves. Ad avium jam greges ſtylum converto, quæ in Africa varia magnitudine, figura multiplici, diverſisque inſignitæ coloribus cernuntur.

Struthiones. Struthiones primum video, *Naama* Arabibus dictos, forma ad anſeres cygnosve prope accedentes ; ſed ea magnitudine, ut nihil in avium genere majus reperias. Pedes eis longiſſimi ; longiſſimum item collum, quo mediante exporrecti, in elevata brachia hominis manibus cibum facile prehendent. Porro corpus illis pro avium ratione vaſtum ; alæ plumis duntaxat prægrandibus, non pennis ad volatum veſtitæ. Currunt itaque, ſed velociter, alarum adjuti remigio, quæ albicant nigricantque alarum exemplo, quibus ciconiæ utuntur. Amant Struthiones ſolitudines ſiccas arenoſasque, & nullis riguas aquis ; ova vero, quæ denario aut duodenario ſummùm numero pariunt, in arena locant prægrandia, longe minoribus exiſtentibus, quæ ſunt à junioribus ſtruthionibus profecta. Memoria porro tam labili ſunt fœminæ, ut loci in quo ſua repoſuere ova, illico eos capiat oblivio. In hæc autem ſi alia forte incidat fœmina, iiſdem donec animentur incubat, pulliſque excluſis, ad ſua revertitur.

Aquilæ. Aquilarum in Africa multiplex genus eſt, non ſolum magnitudine, ſed etiam colore ingenioque differentium. Quas magnitudo ſupra ceteras evexit, in Arabia *Neſs* vocantur. Hoc genus aquilarum proceritate ipſas grues anteſtat ; roſtro tamen id eſt, colloque breviore, & cruribus minus prolixis. Porro, aquila cum ſe nubium tenus altiſſime ſublimavit, evecta alis ſupra totum iſtud ſpatium, qua pluitur, & ningitur, pauliſper cunctabundo volatu quaſi pendula, quærit, quorſum potiſſimum in prædam ſeſe ſuperne ruat ; mox fulminis inſtar aut in meticuloſum leporem, aut in agnum incurioſum dilabitur.

Longæva adeo eſt aquila, ut eam ipſa ſenectus plumis exuat ; quamobrem ita nudata nidi diverticulum quærit, ut junioribus ab aquilis fomentum accipiat, alimentumque.

Pſittaci. Æthiopiæ in finibus, præſertim pſittacorum greges cohabitant, columbarum magnitudine majorum. Hi duplici in diſcrimine ſunt ; alii enim pennarum verſicolore micant ornatu ; aliis vero nec lacteus eſt color vel lividus, vel utrinque ſubluteus, aut ſparſus, ſed ex intimis plumulis viridis. Poſteriores ad diſciplinam humani ſermonis aptiores exiſtunt ; an quod illis latior quam cæteris lingua ſit, eo facilius verba hominis veluti patentiore plectro palatoque articulant? Diſcunt autem ſtatim pulli uſque ad duos ætatis ſuæ annos, dum tenera lingua, & formari os facile. Senes autem capti, & indociles ſunt, & oblivioſi. Cum ſermonem noſtrum coguntur æmulari, durum ferrea clavicula caput tunditur, imperium magiſtri ut perſentiſcant : hæc ferula diſcentibus eſt. Ceterum priores pſittaci multicoloribus licet pennis ad venuſtatem amicti, ipſa tamen vividorum eleganti miſtura colorum Barbaricis à corvis ſuperantur, quos ſpecioſiſſimos pſittacos diceres, niſi crocitatio generis proderet ignobilitatem, ingeſtumque vix oculis decorem aurium mox abnueret judicium.

Piſces. Ab aucupio cupido nunc eſt altum petere, ac piſces Africanos venari. Sed valde metuo, ut retia noſtra aut non ſatis firma ſint, aut nimis anguſta ; Ambaram quippe piſcem magnitudine, ac ſpecie terribilem, capite duriſſimum, longumque vicenos & amplius cubitos ſe volutare ſub undis adverto. Nunquam autem is niſi mortuus conſpicitur, nam tunc eum undabundum mare in littus expellit. *Ambara.*

Hippotamus. Flumina vero Africæ piſcem alunt, male equum marinum, rectius Hippotamum dicendum ; equus enim marinus perparvus piſcis eſt, unius longitudine digiti, quemadmodum ab expertis

pertis nautis ſeu piſcatoribus accepimus. At piſcis hic noſter non marinarum, ſed dulcium vivit hauſtu aquarum, præcipueque Nili ac Nigri; quibus in amnibus onuſta mercibus minora navigia ſæpiſſime evertit. Forma ſive ſpecie equum effigiat; jubis tamen piliſque caret, cuteque aſperrima eſt.

Ceterum ad magnitudinem aſini accedit, in amphibiis cenſendus; quod utriſque & terra & aqua utatur. Iidem amnes Crocodilum gignunt, ſævum animal amphibiorum in genere, quod ſuperiorem inter manducandum maxillam movet. Nigrum quoque Nilumque flumina piſcis incolit, quem vitulum marinum ſeu phocam appellant, quod forma & ſit magnitudoque, quæ vitulo ſemeſtri.

Crocodilus.

Phoca.

Teſtudo.

Teſtudo, communiter in aquatilibus, ſed minus recte cenſetur; cum terreſtrium animalium è numero ſit, & crebra inhabitet Libyæ deſerta.

Qua ſpecie externa ſint Afri.

Diviſerunt Afros nonnulli in Nigros Alboſque: verum, ut curioſitati Lectoris ſatisfaciamus, monendum eſt, Afrorum gentem inter ſe non una colorum varietate, contra ipſam locorum ſeu climatum, quibus ſubſunt, naturam diſtingui. Nam qui Guineæ regnum Nigritarumque regionem circumſident, ſub Æquatore Tropiciſque locati, atro colore ſunt: at qui Presbyteri ſeu Pretioſi Ioannis in terra degunt, hi omnes ex flavo nigreſcunt; qui vero Bonæ Spei promontorii, verſus polum magis, quam reliqua Africæ porrecti ſunt accolæ, longe omnium nigerrimi exiſtunt. Quod revera ita eſſe cum ſatis nunc compertum habeamus, jure damnamus errorem ſentientium, quo quaque gens ad ſolem propius accedit, vel longius ſalutari ab hoc ſidere recedit, eo vel albicare magis, aut nigricare hanc ipſam obſcurius. Itaque opinione iſtorum nigerrimi ſunt populi iſti quibus ſol imminet; ex adverſo candidiſſimi, à quibus is abit longiſſime. Et tamen experientia conſtat, naturam in eo probabilia doctorum judicia fallere, contrariiſque ſæpe ſub eadem poli elevatione locatos coloribus afficere. Exemplo ſit Patagonum ſtupendæ proceritatis gens, Magellanico freto affixa, vultu reliquoque corpore albicans; cum qui juxta Bonæ Spei promontorium incolunt, eodem ſub climate poſiti, omnino nigri ſpectentur.

Iſtam colorum diverſitatem nonnulli aut ſiccitati cœli terræve, aut ſtellarum qualitatibus, aut naturæ loci, aut ſimul his omnibus cauſis adſcribunt. Alii diſcernendæ rei alia quærunt cauſarum effugia; at hi, & illi intra conjecturas conſiſtunt. Vniuſmodi autem ſemper, ſuique ſimillimus Deus res creatas non ſolum ad pulchritudinem univerſi quadam ſecreta varietate miſcuit, ſed etiam ut inexplicabilem eſſe potentiam ſuam curioſis oſtenderet, quorum diſputationibus Mundum ſubjecit.

Statura diverſi.

Porro, ſtatura quoque differunt Afri; qui enim Magno Neguz parent, corpore procero ſunt, è contra Mozambicæ populi ſtaturam brevem obtinent, Barbariæ incolis in mediocritate conſiſtentibus.

Indoles.

Afri non videntur eſſe magno animo fortique; cum eorum pars magna à modico Luſitanorum numero brevi tempore ſubacta ſervitutem ſervire didicerit. Nunquid Monomatapæ rex vaſtiſſimum terrarum tractum occupans Portugalenſes in interiora regni vi armorum coactus admiſit? an non rex Angolæ, frequentem licet populis ditionem teneat, à parva manu Portugalenſium ſua patitur metalla auri atque argenti effodi? Sane tam parvus eſt Portugalenſium numerus, qui victis innumera multitudine Afris legem imponit, ut ſingulis brachia mille, hos & manibus & animis carere jurares. Arx unica, eaque nec valido munita præſidio, integræ regioni terrorem inculcat; legio vero ſola ex Europæis conflata ſolidum Africanorum fugat exercitum. Adhæc Turca adſiduo bello Abiſſinorum regi ditiones & non contemnenda munimenta extorquet, de quibus recuperandis ne cogitatio quidem Abiſſinis ulla eſt. Sunt quidem in Africæ quibuſdam partibus populi, qui omnem modum feritatis excedant, quoſque aggredi periculo non careat; ſed cum iidem militaris ſint diſciplinæ ignari, parum facit iſta hominum barbaries ad tam late patentem regionem tutandam. Ex omnibus autem Africæ regionibus bellicoſam unam dicas Barbariam, ut quæ jam inde ab antiquis temporibus Chriſtianorum armis petita exercitaque, indigenarum ſuorum, Turcarum ac Arabum incolarum virtute nixa, non facile ſit admiſſura, ſui aliquid ut Chriſtiani acquirant. Et tamen ab iiſdem Chriſtianis maritima in ora varia nunc tenentibus munimenta leges nonnunquam, aut gravia damna hæc populorum commiſtio accipit, recuperandorum ſpe omni ſublata.

Africanorum diviſio, & ſtudia.

Non una gens magnam illam Orbis peninſulam tenet. Eſt autem generalis tot populorum diviſio in indigenas ſeu *Afros Arabeſque*, qui inter ſe iterum nova *Nigrorum Alborumque* diſtinctione ſignantur. Vtraque hæc natio tam variis diſperſa ſedibus incolit, ut operæ precium facturi ſimus, ſi ad confuſionem deinceps vitandam, alteram ab altera locorum, morumque indicatione ſeparemus.

Qui igitur ex Afris amabilem illam vultus reliquique corporis albedinem obtinent, ab Ioanne Leone in quintuplici differentia ponuntur, *Zanhagianorum* videlicet, *Muſmudanorum*, *Zenetanorum*, *Haoaranorum Gumeranorumque*, duobus prioribus per Marmolium Zinhagianis, ac Muſmudanis appellatis.

Ceterum Ioannes Leo *Muſmudanis* Occidentale Atlantis latus aſſignat ab Hea regione ad Servium amnem uſque, iiſdem Auſtralem montis ejuſdem partem tribuens, & circumpoſitas locorum planities. Itaque Muſmudanorum nomen ad Heæ, Suſæ, Guzulæ, Maurocique regiones pertinet.

Gumerani montes Mauritaniæ tenent, qua internum mare Errifanumque littus ſpectant, quod ab Herculeo freto Orientem verſus ad Teleuſini regni fines pertingit. Atque hi duo populi diverſis ſedibus agunt, ceteris longe lateque per omnem Africam promiſcue confuſis. Sed inter ſe facile noſcuntur, ad eum modum quo indigenas nullo negocio ab extraneis diſcernis.

Nihilominus tamen mutuis ſe bellis laceſſunt, Numidici præſertim Zenetani, Haoarani, Zanhaganique Temeſinis in campis degunt; qui poſteriores quoque ad Libyæ deſerta pertinent.

Studia vero prædictorum Africanorum hæc ſunt: Ruricolæ alendo pecori attendunt, oppidanis & qui vicatim degunt ad mechanicas artes alioſque labores adhibitis.

Quini hi populi ſexcentas in tribus ſeu ramos, ſunt Ibnu Rachu (qui Marmolio Ibni Afraquiq dicitur) Africanæ gentis hiſtoriographo delineante, diviſi. Complures etiam ſcriptores Africani nos docent, regnorum Tombuti, Melli, Agadeſque moderatores, Zanhaganorum, qui deſertum incolunt, è radice profectos.

Arabum diſtinctio, moreſque.

Ad Arabes quod attinet, horum duo ſunt genera, eorum ſcilicet, qui vagi montes ſilvaſque peragrant, & eorum qui urbes ac oppida tenent. Qui ex illis Numidiam inter Libyamque incolunt, in vita ſua ſunt miſeri, feri atque agreſtes, parumque à Libyæ populis diverſi; niſi quod animoſiores ſint, negotiatoreſque camelorum in Nigritarum regione, ac equorum, quos Barbaros vocamus. Iidem ſilveſtrium venationi aſinorum, ſtruthionum aliarumque ferarum attendunt. Porro Arabes Numidici carminibus pangendis quaſi nati, contortis in rhythmos verbis ſua bella, venationes amoreſque mira ſuavitate decantant. Adhæc quædam in iis ſpecies magnificentiæ & liberalitatis apparet, quas virtutes exſerere rerum vetantur inopia. Indumentis operiuntur Numidarum in morem, muliebri ſexu excepto, qui variat nonnihil. Deſerta, quæ ipſi nunc incolunt, fuere ab Afris ante poſſeſſa. Verum Arabibus Africam ingreſſis Datorum regione coacti cedere Numidæ, ad vicina Nigritarum regioni deſerta abiere.

Qui ex Arabibus illud terrarum ſpatium occupant, quod internum mare inter Montemque Atlantem eſt medium, cultu, victu, tentoriis equiſque inſtructiores apparent; quos tamen qui in deſertis ſunt equi pernicitate anteſtant. Atque hi ſtivam ſedulo contingunt; unde fœcundo è ſolo frumenti copiam eliciunt: armenta iis gregeſque pene innumeri, quibus alendis à domeſticis ſæpe externa ad paſcua abeundum eſt iis fugientium ſimilibus. Ceterum æque ferum atque agreſte hoc genus eſt hominum, ac ipſa deſertorum incola gens; in iſta tamen barbarie ceteris agunt liberalius.

Lingua Africana.

Veteres Afri, quos Xilohas Bereberaſque appellant, in varias licet regiones populoſque diſperſi, una omnes lingua utuntur, quam Marmolius refert *Quellem Abimalic*, hoc eſt, Linguam Abimalic vocari, eo quod Abimalicus hic Arabicæ repertor Grammatices habeatur. Huic antiquam illam Africanam linguam, à Barbariæ regione Barbaricam Arabibus dictam, adjungunt, plurimum à reliquo ſermonis uſu differentem; ut quæ ex Arabum cum Afris commercio, quos conſtat diverſis in Africam migraſſe temporibus, Arabica vocabula multa habet admiſta. Ioannes Leo priorem linguam quinque illis Afrorum Alborum populis, Zanhaganis, Muſmudanis, Zenetanis, Haoranis Gumeraniſque attribuens, eandem *Aquel Amaric* nomine indigetat, aitque vocabula hæc linguam nobilem ſignificare. Poſterior lingua, Barbarica nuncupata, triplici dialecto diſtinguitur; alia enim Xilhani dialecto utuntur; Tamazegtani alia, & alia Zenetiani. Qui ex his frequentius cum Arabibus agunt, plurima vocabula Arabica, atque Abimalicana è lingua deprompta admiſcent. Gumerani Haoranique, quos Minor Atlas habet, omneſque Barbariæ in littore inter Atlantem majorem & Mediterraneum mare poſitarum incolæ urbium Maurico, ſive Arabico idiomate, ſed corrupto utuntur. In ipſa vero urbe Maroc ſive Mauroco, ut & in omnibus regni Maurocani provinciis, itemque apud Numidas Gætuloſque, queîs Occidua Africæ pars incolitur, Africanus ſive Barbaricus ſermo cultior viget, quem vetuſtiſſimis Xilha & Temazegt nominibus indigetant. Afrorum Barbaricorum reliqui quos Orientale latus Africæ tenet, quique Tunetano ſunt regno confines, ultraque Tripolim ipſis Barcanæ provinciæ deſertis innexi ſunt, ad unum omnes depravatum idioma Arabicum uſurpant.

Literarum elementa.

Elementa literarum Africanæ linguæ cum Latinis communia fuiſſe temporibus iis, quibus ad Mahumetanos Barbariæ pervenit imperium, celebrati Hiſtorici Arabes tradidere. Fatentur ii quidem veteribus Afris peculiare quoddam idioma vernaculum fuiſſe; ſed addunt tamen etiam ſcriptura eoſdem uſos fuiſſe Latina; adeo ut omnis iſta conſcripta de Arianis hiſtoria Latinis è fontibus tranſlata ſit, inque compendium redacta, accommodataque ad Aſſyriorum, Chaldæorum, Perſarum, Iſraëlitarum, Cæſarumque Romanorum tempora. Verum nunc ferme nihil ex Arianis monimentis eſt reliquum, Caliphorum Schiſmaticorum in Africa regnantium furore ſublatis; qui ut ſuæ libri ſectæ duntaxat in manibus eſſent, omne librorum veterum genus incendio mulctarunt. Ceterum ex Ibnio Alraquicio diſcimus, domita à Romanis Africa, vetuſtas inſcriptiones tituloſque per Africam paſſim repertos, ad obliterandam rerum Africanarum memoriam fuiſſe deletos, eorumque loco Romanum ubique nomen nova luce fulſiſſe. Hac ratione interiit Afrorum literaria res, qui hodie ſunt Arabica ſcriptura contenti.

Scientiæ.

Non ea eſt genti ſtupiditas aut rerum ignorantia, quam ſibi quis facile poſſet ex recitatis jam moribus perſuadere; è diverſo curſus aſtrorum & revolutiones, aliaſque magis neceſſarias ſcientias in ſcholis addiſcit. Porro eo valent ingenio ſtudioque diſcendi, ut etiam infima in plebe nationis utriuſque complures reperias, qui nunquam ludo literario appliciti, tamen Aſtrologiæ quædam myſteria comprehendant, deprompta, ut creditur, ex transfuſis Arabicam in linguam Latinis Aſtrologis. Menſes autem Afri iiſdem quibus Latini ſignant nominibus.

Opes.

Immenſas quorundam locorum Africæ vaſtitates atque deſerta aliarum fertilitas regionum ſolatur. Guinea, Sofala, Gago, Nubia, & plures

res aliæ regiones auriferæ ſunt; argentiferæ, Angola, Monomotapa, aliaque, quibus nec aurum deeſt. Dives eſt variarum rerum felici proventu regnum Neguz, & Turcarum in Africa ditio, corallia maxime rubentia Mare, quod alluit Barbariam; regnum vero Tombuli auri laminas ſuppeditat, aliaſque res precioſas regna alia in tam vaſta regione plurima, quæ inſignem reddunt Africam, & inter partes orbis terrarum haud poſtremam.

Vires. Nunc ad vires Africæ ſeu viros potius accedo, quorum virtute multitudineque patria ſervatur, & à limitibus hoſtis arcetur. Itaque ſi regum Mauroci Feſſique, & ſeparatos Arabum exercitus, Turcæque copias in regnis Tuniſi, Algier, Tripolis, atque in Ægypto excubantes, itemque ordinarium regis Neguz exercitum, ac pene incredibilem Angolæ regis multitudinem militum conſideres, invictam Africam eſſe concedas neceſſe eſt, niſi (quod verum) tantæ multitudini parum ſubeſſe animi inficieris.

Arma. Reliquum eſt, ut armorum genus, & uſitatum Arabibus pugnandi modum recenſeam. Maurocani igitur Feſſanique omnes haſta, ſcuto, lorica, ac galea ſeu caſſide utuntur. Gladios, queis latus armant, Chriſtianorum è terris accipiunt, magni ab illis æſtimatos ob chalybis atque artificii præſtantiam; quæ duo, præter Africanarum ineptitudinem ad arma fabricanda aquarum apud ipſos deſideres. Ceterum ex equis pugnaturi tela baliſtis mira dexteritate ejaculantur. Bombardarum apud eos valde rarus eſt uſus. Equis inſident poplite flexo, & cum pugnandum eſt, dorſuale tollunt, ne cætera phaleratos irretiant equos, ipſique ut firmius inſiſtant. Ex equitibus nonnulli ſex aut ſeptem miſſilia ad pugnam tela conferunt, eaque tam dextere vibrant, ut incitatiſſimo curſu ad minimæ circulum patinæ accedens, ſignum deſtinatum ſine errore percutiant. Ad pedeſtres Afri parum accommodati ſunt pugnas, quod ſint equeſtribus certaminibus magis aſſueti. Tremiſano quidem in regno, atque alibi locorum cohortes Sclopetariorum videas, nullo ordine pugnantes, ignoranteſque modum hoc armorum genere utendi, ad id ſolum utiles, ut Arabibus timorem incutiant, qui Bombardas & quidquid præterea fulminantium machinarum eſt, arma proditorum nuncupant, prius necantia, quam de viri robore poſſit conſtare.

Pugnandi modus. Pugnandi modum habent ab aliis gentibus omnino diverſum; quippe nullo ordine, ſed tumultuario ductu variis hoſtem locis aggrediuntur, ac ubi ſe perrumpendo impares agnoſcunt, accurritur à proximis: ſin autem ipſi laceſſuntur, de induſtria diſperſi, hoſtilem ex omni parte aciem conantur infringere.

Regimen diverſum. Parent Afri partim Regibus & Imperatoribus ſuis; partim Viceregibus, qui Turcico nomine præſunt; partim etiam Ducibus ſive Præfectis, quos Arabes ſibi impoſuere, reliquis aut Reipublicæ formam agnoſcentibus, aut libertinorum ſeu vagabundorum more, ſine lege ac capite per rapinas finitimorum graſſantibus.

Regiminis ſucceſſio. Variis olim Principibus ſubjecta Africa, dein in Romanorum ex parte conceſſit imperium, quibuſdam adhuc regibus ſumma rerum potitis. Romanorum in locum Vandali ſucceſſere, quibus expulſis, ad Græcos Imperatores Vandalorum ditiones venere haud magno per Africam ſpatio diffuſæ. Poſt hos Arabes magnam Africæ partem ſuæ poteſtatis fecere. Primi autem, qui poſt fundatam à Mahomete ſectam, migrarint in Africam, fuere Arabum coloni; contigitque res anno Salutis noſtræ ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, Othomanno dominante, qui duce Occuba Ben Naſic conſtantem viginti quatuor armatorum millibus exercitum miſit in Africam, cæſiſque aliquot præliis Romanis, *Cairaven* oppidum, quod nos corruptè *Carvan*, ſive *Cayrvan* dicimus, tricenis ab urbe *Tuneto* milliaribus Orientem verſus exſtruxit. Verum Africanarum rerum ſcriptores memorant, hos ipſos Arabes pleroſque tum ſpoliis opimis onuſtos domum rediiſſe; reliquos vero, quos ad novam urbem præſidio firmiore muniendam Barbaria retinuit, paulatim alia atque alia oppida ac munimenta condidiſſe, ſeſeque admiſcuiſſe Zinhagianis, Baraguatanis, & Zeneganis Barbariæ populis. Hi cum longo tempore Romanis paruiſſent, loquerenturque Italice, Arabes adſiduo commercio vernaculæ uſum amiſere.

Ceterum terni ex quinis ſupra memoratis populi, Zenetani nimirum, Muſſamudani & Zinhagiani diverſis tam Numidiæ, quam Barbariæ Libyæque regnavere temporibus, poſtquam Arabum Mahumetanorum defecit potentia, cum ante à Ducibus ſive Præfectis hæreditariis regerentur. Sciendum igitur, Barbariæ regno Arabes, gentemque ſive familiam *Idris*, quæ *Fez* oppidum condidit, Mauriſque imperitavit, à *Mequinecanis* Zenetana ex gente excidiſſe eo tempore, quo Abdarrahmani acquiſitis ditionibus inclaruere.

Conſecutis deinde temporibus Magaroani Zenetanorum Numidicorum populi Abdarrahmanos exuere ditionibus iis, quas iſti habebant in Africa, unitiſque auxiliis Mequinecanos devicerunt, à quibus in Barbaria, non autem in Numidia (cujus tamen magnam partem tenuerunt) complura erant regna fundata.

At non longo interjecto tempore elati rerum felici ſucceſſu Magaroani à Zynhagiæ populis, quos Lumptunas Afri, Hiſtorici Almoravidas appellant, fuere ſedibus ſuis expulſi. Atque hi Almoravidæ Morabitinorum (ſic eos Afri indigetant) qui Heximi Abdulmalici filii temporibus Mahometicam primi ſectam amplexi ſunt, immani multitudine ſtipati, in hunc terrarum tractum conceſſerunt.

Accidit deinde, ut quidam hujus ſectæ prædicator ſive aſſertor, Mehedius dictus, ſe Almoravidis opponeret, adjutuſque ab Hargiadibus (qui populi ſunt à Muſſamudanis profecti) bello illato eoſdem ſuperaret. Sic paulatim ad Mehodii ſucceſſores, quos à ſecta Mohavedin, quod legem unitariorum ſignificat, Mohavedinos vocavere, univerſæ Africæ pervenit imperium.

Beni-Merinis poſtea (quibus à Zenetanis origo eſt) Almohadas expellentibus, ſucceſſere ejuſdem originis populi Ben-Oatazii; quos Xerifi ſeu Cherifi dein regno privarunt. Trimiſenus,

nus, Tunetanuſque reges quoque ex prædictis quinque populis genus duxerunt; Bemzeijeni quippe, Abdelueti primum appellati, ex Zinhagianis Magoararum de ſtirpe, in urbe Tremiſen regnarunt, donec Trimiſenum Turca regnum in ſuam poteſtatem redigeret. Buhafcades vero, qui ipſi Henteti ſunt, Muſſamudani generis, Tunetanum regnum tenuere.

Reliquæ duæ gentes, Gomerani Haoranique, etſi regium apud eos nomen nullum fuerit, haud exiguæ tamen portioni Africæ regnarunt. Ex jam dictis liquido apparet, omnes Africæ reges, qui poſt inclinatam Arabum potentiam rexere, Africanæ originis fuiſſe, ex jam ſæpius memoratis quinque populis profectos.

Religio antiqua. Veteres Afri Barbariæ coloni idololatræ omnes fuere, ſolem ignemque Perſarum more Numina colentes, dedicatis utrique magnificis templis, aſſervatoque ad augmentum honoris igne perpetuo. In iſta cœcitate animorum perſtitere uſque ad annum reparatæ ſalutis 349, ſeu Æræ Cæſareæ 387, quo tempore ad Chriſti fidem converſos variis deinde erroribus Arabum Mahumetanorum dominantium irretivit impietas.

Numidæ, Gætuli Libycique planetas adoraverunt, iiſdem ſacrificantes: at Inferioris Æthiopiæ coloni prodigioſis fuere ſuperſtitionibus impliciti. Quibusdam ſol adorabatur, Luna aliis; aliis ſtellæ, aqua, ignis, &c. Nonnulli ſingulis diebus quodcunque domo exeuntibus primo obviam animal erat, divino honore afficiebant. Incolæ ſuperioris Æthiopiæ Guiguim, hoc eſt, cœli Dominum adorarunt, ſolo naturæ inſtinctu, nulla prævia Prophetarum, aut aliorum doctrina; indeque certis temporibus fuit apud eos lex Iudaica recepta retentaque uſque ad Sabæ reginæ tempora. Illa, quemadmodum Æthiopibus creditur, cum multa de Salomonis ſapientia audiſſet, profecta ad eum, Moſaicæ legis myſteria rituſque didicit, hauſitque Propheticorum cognitionem librorum.

Eadem lex Iudaica per Inferiorem Æthiopiam vulgata, utrique genti adhæſit, donec Iudica Candaces reginæ Eunuchus, à S. Philippo Apoſtolo inſtructus, Chriſti fidem prædicando plurimos horum regnorum incolas ad veræ ſapientiæ ſolem ab ignorantiæ tenebris convertit.

At anno redemptionis humanæ 1069, Heyræ 469, quando Yahaya, Abubequeri filius Nigritarum regionem Inferioremque Æthiopiam fuit ingreſſus, quidam ſectæ Mahometanæ doctores dulcedine ſermonis in ſuam ſententiam traxerunt incautos Genevæ Nubiæque populos, quæ ſunt regiones deſertis Libyæ atque Ægypto confines. Atque hi Mahometicæ falſitatem doctrinæ ad hanc diem ut veram aſſeruere, eandem jugiter propugnantibus Alcorani magiſtris ſive doctoribus. Nec eo in loco nova ſubſtitit impietas, ſed Mediterraneum mare, Nilumque amnem transgreſſa, in Hiſpaniam atque Ægyptum evaſit, quibus in locis Mahumetani poſtquam obvia quæque rapuiſſent, domum rediere, peſſimæ doctrinæ ſeminibus relictis.

Religio hodierna. Omnis, quæ nunc Africam longe lateque gens incolit, Religionem ſi ſpectes, in quintuplici diſcrimine eſt: alii quippe ſuperſtitioni Mahometicæ addicti ſunt; alii ſine ritu ac lege vivunt; idololatræ ſunt alii; alii Iudæi, alii vero Chriſtiani.

Mahometani. De Mahometanis quod eſt, non tenuem illi portionem Africæ poſſident, in Liberos, & Regibus ſubjectos diſtincti. Queis vivendi agendique libertas eſt curæ, hi Libyæ deſerta, regionumque Barcanæ ac Numidiæ incolunt. Ceteri aut regibus ſuis obtemperant, ut Maurocani, Feſſani, & quædam Æthiopum gentes; aut viceregibus præfectiſque Turcarum ſunt dicto audientes, ut Tunetani, Argelani, Tripolitani, Ægyptiique.

Habet etiam Africa, ut jam diximus, nullius religionis aut ſuperſtitionis reverentia ductos homines, quos à regione Cafros appellant, à pecudibus ſola ſpecie differentes externa, quales ſunt, quorum nomen à Mozambico uſque ad promontorium Bonæ Spei pertinet; quanquam & idololatræ littora Africæ, & mediterranea paſſim loca incolentes jure merito huc ſpectent. Ceterum Cafreria ſeu Cafrorum regio latiſſime patet, ab amne S. Spiritus ad Promontorium Nigrum uſque porrecta. *Cafri.*

Iiſdem tenebris Bornenſe in Nigritarum regione regnum involvitur, cujus incolæ nec lege, nec religione, nec ulla Deitatis imagine Cafrorum de more moventur.

Idololatræ. Idololatras magno numero habent Nigritarum regio, ac Æthiopia Inferior Superiorque; per quos terrarum tractus regna ſe integra populique diffundunt, omnis omnino religionis expertes, præterquam quos Portugalenſium convertit induſtria. Adhæc ipſos inter Albos deſertorum cultores populi plures exiſtunt idolorum venerationi addictos.

Iudæi. Iudæi haud parvo numero per omnem late Africam diſperſi, alii indigenæ ſunt, ab Abrahami nepotibus, qui varias cis & trans Nigrum colonias duxere, profecti, quorum rarior in Africa frequentia eſt, ſi ab his Æthiopiæ, inprimiſque regni Ximene Iudæos atque Ægypti disjungas. Reliqui advenæ ſunt, Aſia, poſt everſam à Veſpaſiano Hieroſolymam, vaſtitatemque à Romanis, Perſis, Saracenis Chriſtianiſque Iudææ univerſæ illatam profecti; partim etiam ex Europæ regionibus, ut Italia anno 1342, Belgio 1350, Galliis 1403, Anglia 1422, Hiſpania 1462, quod deſpicatui iſtis in locis haberentur, migrantes.

Chriſtiani. Chriſtianorum itidem in Africa indigenæ ſunt; alii pro advenis habentur. Rurſum ex his alii ſunt Turcico aut Barbarorum jugo ſubjecti; alii omnimoda libertate fruuntur. Porro alii Romani Pontificis tanquam veri paſtoris vocem agnoſcunt, incoluntque terras Hiſpaniarum regi in Africa, atque Imperatori Hegas ſubjectas; quibus tamen in regionibus etiam, ut & in Nigritarum regnis Schiſmaticos plures reperias. Ceteri Chriſtiani ſunt Armenianorum, Maroniſtarum, Georgicorum, Græcorum ac Chriſtianorum Thomiſtarum exemplo per varia loca Africæ diſperſi.

BARBARIA.

Nomen.

BArbariæ nomen veteribus cognitum fuiſſe, tributumque regioni iſti, quam nos hodie Barbariam vocamus, ipſa eorundem monimenta oſtendunt. Quin etiam nonnulli tractus terrarum à Meroë ad mare Rubrum uſque protenſi, Troglodyticæque facientes mentionem, Barbariæ nomine utuntur. Ceterum Troglodytæ crebris Africam infeſtantes excurſionibus, Tripolitana in regione primum ſedem fixere, manſeruntque, donec in Sardiniam relegatis Barbariſiorum nomen quæſitum eſt. Revera autem Tripolis Africæ hodie Barbariæ Tripolis nuncupatur. Troglodytarum ſedem melius expreſſit Oroſius, dicens, Tripolitanam regionem à Meridie Barbaris terminari.

Ibnius Alraquicius refert, Barbariam Arabibus nomine *Ber*, ſive ſolitudinis ſignari, quam Marmolius Barberiam appellat, antequam colonos acciperet; indeque poſtea Berberorum nomen incolis adhæſit. Alii vero narrant, quod, poſteaquam Romani Afros debellavere, victores hanc Africæ partem Barbariam à barbaris atque agreſtibus incolarum moribus vocitarint. Ioannes Leo vero aſſerit, Albos Africæ populos appellatos fuiſſe *Elbarbar*, à *Barbara*, voce, quæ gentis lingua murmurare ſignificat; eo quod Afrorum lingua Arabibus intortum murmur videatur, à belluarum ſtridoribus non multum diverſum, quas conſtat nulla vocum articulatione, ſed ſonis ſimplicibus motus ſuos aperire. Sed hæc jam de nomine ipſo plus ſatis.

Limites.

Initium porro Barbariæ nobiliſſimæ totius Africæ regionis ab Occaſu ſolis à monte Aiduacal ducitur, qui Atlantis Majoris primum jugum abſolvit; complectiturque Meſſam urbem omnemque regionem Suz. Inde primum Oceano Atlantico; poſt Gaditano freto, atque à Septentrionibus mari Mediterraneo Alexandriam uſque longiſſimo tractu prætenditur. Qua ſol oritur, terminos habet Barcanæ regionis deſerta, Ægyptum verſus porrecta; à Meridie juga Atlantis Majoris.

Dimenſio.

Longitudo ſumma ab Oceano Atlantico ad confines Ægypti, ſecundum quoſdam, eſt milliarium Germ. 600. Latitudo computatur ab Atlante ad Internum mare milliarium Germ. 82. Quæ tamen non eadem ubique eſt, littore variis ſe modis ſinuante.

Verum Marmolius longe aliter Barbariam metitur, cujus longitudinem à Meſſa urbe in littore Occidentalioris Barbariæ locata, Tripolim uſque ejuſdem regionem urbem, Maurocanum, Feſſanum, Trimiſenum, ac Tunetanum regna complectendo, cenſet implere milliaria Gallica 1200. Latitudinem vero uſque ad arenoſa Libyæ Interioris deſerta occupare leucas Hiſpanicas 180. At, ſi priori longitudini ſpatium illud quod Tripolim & Barcanæ regionis deſerta intercedit, adnectas, adhuc ducentis & amplius leucis majorem ſtatuas neceſſe eſt.

Regiones Barbariæ.

Complectitur hodie Barbaria Veterum Mauritaniam utramque, Cæſarienſem, quæ Numidiam contingit; & Tingitanam, quæ Oceano perfunditur. Adhæc in ejus provinciis ſive regionibus ſunt, Numidia recens, Africa Minor ſive proprie dicta, Libya, Marmarica ac Cyrenaica; aut ſi noſtrorum rationem temporum nominumque habeamus, regna Maurocanum, Feſſanum, Algerianum, Tunetanum & Tripolitanum. Nam qui tractus terrarum ſuperioribus temporibus Teleuſini & Trimiſeni regni nomine indigetabatur, nunc Algeriano annexus eſt regno; Barcana vero regio, quæ à Mefrate in Ægyptum uſque excurrit, hodie Tripolitanæ ditioni adhæret.

Cæli Solique ratio.

Non eſt (ut credi poſſet) Barbaria magnis Solis ardoribus ſubjecta; neque etiam ſingulæ ejus partes cæli temperie optata fruuntur; cum nec nimis prope ad Tropicos accedat, nec longius etiam ab iiſdem recedat. Nam pleraque Barbariæ loca maritima, monteſque in littus maris Interni vergentes, qui Gaditano à freto perpetuis ferme jugis littus ſecuti, in Ægyptum uſque procurrunt, frigoribus potius ſubjacent, quam nimio æſtu torreantur; certis quippe anni temporibus altæ in iis nives viſuntur. Pluviæ Octobri menſe ad medietatem perducto, omnem late Barbariam humectant; gelu vero Decembri natum, à Ianuario vires acquirit; ſed modicum hoc eſt, idque matutinis duntaxat temporibus, nec ad ignem ſuo rigore compellens. Februario menſe frigus ordinarie remittit, tempuſque varium eſt, ternæ in ſingulos dies mutationi pluribuſque obnoxium. Martius Zephyro impetuoſus ac Borea, fertilitatem agris nihilominus ac flores arboribus affert. Aprilis jam tum novos in fructus erumpit, Feſſanis, Algerianis ac Tunetanis idem cum ſeneſcit ceraſa matura ſuppeditans. Majus adultior iiſdem in regnis ficus maturas offert; Iunius vero exiens uvas flaveſcentes aut etiam purpureas. In Iulio pruna, poma, pyra ac ſimiles fructus humanis ſunt uſibus apti; ficubus autem, maliſque Perſicis & cæteris fructibus ſerotinis per univerſam Barbariam September affert maturitatem ac copiam.

Aquæ.

Aquæ ſeu flumina in Barbaria ſunt plura, quæ Majore ex Atlante, aliiſque locis exorta, ſe Atlanticum in mare devolvunt, aut in Mediterraneum influunt. Fontes autem, quos ſuis è viſceribus iidem montes protrudunt, aquis pleriſque ſunt turbidis, & ſapore rationem ſoli referentibus, præſertim Mauritaniæ in finibus.

Omne porro Barbariæ littus Atlantico Oceano perfuſum, campique, inter id, & Majorem intercedentes Atlantem, & ab extrema Meridiem verſus regni Suz provincia, uſque ad fretum Herculeum porrecti, abundant frumento,

BARBARIA

HISPANIÆ PARS.
Granada.
Granada
Mallaga
Beria
Vera
Cartagena
C. de Palos
C. de Gates
C. de S. Vincent
MARE IBERICUM.
MARE AFRICUM.
C. de Tenes
Monte de Senie
C. Falcon
C. Carbon
C. Tedlez
C. Ferrato
Gibraltar
Alboran
Alcudia
Melilla
Tanger
Ceuta
Tetuan
Larache
Arzila
Salé
Almadie
I. Fedale
Azamor
C. Cantin
Mazagan
Safi
Gibraltar
Tenes
Mostagan
Oran
Arzeu
Tigzirt
Tulzilma
Arschih
Algier
Metafus
Busia
Bugia
Stefe
Gigiari
Balfia
Gien
Mesleuria
Monte merola
Carbon
Biserta
Bichert
Tremisen
Tegdemen
Almedina
Canatudi
Constantia
Lambesa
Nichlusia
Medua
Calamath
Tremizen
Tesserin
Segelmesse
Mumunata
Tegda
Tmegent
Tbubasan
Guacde
Terchit
Tegorarin
Macara
Percara
Borgi
Bibla grand
Bibla
Tuat
Tegurt
Mesab
Ghir
Benigomi
Benigorai
Zuenziga
Ziz
Ziz Lacus
Tchort
olim
Targa
Egnid
Hair
Hair Puteus
Ghir pal. mare
Nigr. Alber.
Azanhaga
Tegarza ubi salis fodinæ sunt
Gualata
Grandia
Azahaid Puteus
GUALATA REG.
ZUENZIGA REG. olim HAIR.
TARGA REG.
BILEDVLGERID.
FESSÆ REG.
MAROCHI REG.
Dara Reg.
Segelmesse
Tesserin
Mumunata
Humeleleg
Tegda
Vmmelleffin
Tmegent
Tbubasan
Dara
Segaihil
Tebelbelt
Guacde
Feghig
Benigomi
Terchit
Tegorarin
Tuat
Tegurt
Mesab
Ghir
Macara
Percara
Bibla grand
Borgi
Nichlusia
Medua
Calamath
Almedina
Bichert
Tremizen
Tegdemen
Allari
Tefcf
Constantia
Lambesa
Bugia
Stefe
Gigiari
Balfia
Mesleuria
Monte merola
Carbon
Busia
Metafus
Algier
Alger Reg.
Stefe Reg.
Constantiæ Reg.
Tunis
Tucca
Tunis Reg.
Tripoli
Tripoli de Barbaria
Lebida
Mesurata
C. la Zuitcha
Ammonis
Tripoli Reg.
Cesar Mahometa
Cesar Soloco
Cesar Sorta
Cesar Tini
Cesar Tesset
Cesar Tesset
Cesar Tesset

paſcuisque. Atque hic tractus terrarum ob planitiem ſuam cælique temperiem, ac aquarum ex Atlante labentium copiam omnes regionum *Suz*, *Duquel*, *Temezen*, & *Azgar* agros antecellit. Cetera Barbariæ à freto Gaditano uſque ad Orientaliores Tripolitanæ regionis fines Mediterraneo prætexta, aſpera ſunt, ac crebris montibus horrida, qui nonnullis in locis in interiora ad triginta & plurium milliarium ſpatium ſeſe inſinuant. Inter hos autem montes, interque Atlantem Majorem vaſtiſſimi campi interjacent, modicis nonnunquam clivis elati, frumenti feraces, & paſcuis læti, ac fontibus fluviiſque rigui, qui Internum ad mare properant, utrimque multa arbore veſtiti. Et hæc terræ facies continuatur ad Cayraran oppidum, ultra ſiccis omnibus arenoſiſque.

Superatis hiſce campis, Auſtrum verſus paulatim terra in colles exſurgit, pergitque & hoc editiore ſitu, donec Atlanti jungatur, interpoſitis paſſim montibus herboſis, ſed frumenti minime feracibus.

Barbariæ littus, quod Errifanum nuncupant, quodque juga Minoris Atlantis ſequuntur, extra temperiem poſitum ad frigus propius accedit, hordeo magis, quam frumento fœcundum.

Iuga horum montium ſilvoſa ſunt, graminoſaque & ſuis umbris alendis gregibus per æſtatem aptiſſima; hyeme autem cum altis ſint nivibus obtecta, niſi tempori ad plana locorum pecus abigant, tabem contrahit, moriturque.

Atlas Major nonnullis in locis obſcuris vallis horrens, & denſis nemoribus invius, aſperitatis frigoriſque ob cauſam inhabitabilis exiſtit. Alibi vero grata rerum varietate amœnus temperatuſque à Berberis ſive Barbaris frequens incolitur. Aſperrima proxime Atlantis juga ſunt, quæ Trimiſeno regno accedunt; frigidiſſima, quæ Maurocano. Huc ergo paſtores ſolent æſtivis temporibus ſuos greges adducere; ſed eoſdem ante nives reducunt, quas Aquilonaris ſæpe ventus comitatur, non gregibus ſolum, ſed ipſis etiam paſtoribus nonnunquam fatalis. Eadem juga juxta Agmetum oppidum dant tranſitum Octobri menſe commeantibus in Barbariam Numidis cum Camelis dactylorum copia onuſtis. Atque hoc loco aliquando impedimentum ipſi à nivibus accipiunt.

Montes Trimiſeno & Tunetano in regnis conſpicui, minori quidem ſunt aſperitate; nihilo tamen fertiliores frumento.

Fructus. Ceterum quoſcunque Barbaria fert fructus, præſtantes ſunt omnino, ſaporiſque eximii. Vvæ, ficus, ceraſa, pruna, perſica, armeniaca, mala cydonia, granata, aurea, citrea neſcio quid nativi dulcoris habeant præ noſtratibus. Oleæ præterea proceræ ſunt craſſæque, præcipue Maurocanæ, Feſſanæ & Algerianæ, Tunetanis noſtratium vix excedentibus magnitudinem. Sunt etiam in Barbaria ſpinoſæ quædam arbores, fructum ad majorum olivarum Hiſpanicarum magnitudinem producentes, qui incolis *Argan* ſive Ergen indigetatur, cujus Maurocana in regno mentio fiet; itemque goſſipium ferentes, ac ſaccharum.

alia. Herboſis in locis, quæ paulo ante ſignavimus armenta gregeſque inſigni copia viſuntur; in montibus autem frequentes feræ diſcurrunt, inprimiſque ob arborum in iis craſſitiem altitudinemque magna ſimiarum copia, nec minor caprarum ſilveſtrium atque leonum numerus.

Abundat etiam Barbaria metallis auri atque argenti; electrum vero ſubalbi coloris marini in littora fluctus expellunt. *Metalla.*

Porro incolæ Barbariæ, curſu naturæ ſervato, vix ultra ſexageſimum quintum, aut ſeptuageſimum ætatis annum perveniunt; qui tamen montana incolunt, ætate provectiores eſſe feruntur. Ex his quippe multi ſæculum vivendo tranſcendunt, robuſto adhuc corpore, & mediocrium laborum patiente. Qui vero intra octogeſimum ac nonageſimum ætatis annum conſiſtunt, hos adhuc ſtivam ſæpe contingere videas, & juvenes pugnando laceſſere. Priorum igitur hyeme ſive naturæ termino adventante, horum autumnus primum ſive ſenectus agitur. Ceterum utrique mira valent & pedites, & equites alacritate. Maritimis in locis, quorum major habenda ratio eſt, minus ſunt homines morborum malis ſubjecti ob ventorum eos refrigerantium temperiem. *Incolarum mores ac ſtudia.*

Qui in urbibus Barbariæ habitant, bona ſunt indole, teſtantibus eorum ingenia operibus. Qui autem Mediterranei littora maris tenent, liberalium artium diſciplinis dant operam. Nulla in iis (ut Leo teſtatur) calliditatis aut vafritiei ſpecies advertitur; quanquam aliter eos quidam ex antiquis autoribus depinxerint. Nec animi magnitudine carent, montani præſertim; religionem vero omnes ſanctiſſime colunt, cum precibus, tum crebra viſitatione templorum. Omnem exiſtimationem in uxorum ponunt caſtitate, quam nullis patiuntur modis vel in minimo labefactari, in tentantes etiam cum vitæ periculo ſævientes. Divitiarum tamen cupiditate flagrant immani, nec mediocri honores ſtudio ſectantur. Commendat eos pudor ac modeſtia; abhorrent enim cum palam loquuntur, ulla verborum ſpurcitie ſermonem aſpergere. His accedit minorum ſingularis in majores, & filiorum in parentes obſervantia reverentiaque, quæ tanta eſt, ut nihil obſceni à filiis dici cantarive audias præſentibus parentibus. Habes hic civitatenſium mores tanquam in tabella quadam expreſſos; nunc pergo ad hos qui ſub tentoriis degunt.

Hi vel Arabes ſunt, aut agricolæ ſive paſtores; utrique ſunt, eodem Leone teſte, liberales, animoſi, patientes laborum, familiares cum ſuis, obedientes, optimæ denique indolis. Montanis id laudi datur, quod animo ſint magno, modeſtia ſingulari, & ingenio ad jungendas amicitias accommodato.

Verum cum nihil ſit ab omni parte beatum, & bonus plane vir rara avis in terris; ſic quoque prædictas incolarum virtutes eximias enormia vitia ſequuntur. Cives igitur ſunt importuni, ſuperbi, vindictæ cupidiſſimi, erga exteros immites, vitæ ſuæ non habentes modum, avari, inquieti, proclives in iram, ab honeſtis recreationibus alieni, congerendis ad victum rebus neceſſariis duntaxat opibuſque inhiantes, parum fidei

apud

apud exteros habentes, quod neque per cambia agant, neque per litteras notitiam ſeu amicitiam cum extraneis mercatoribus colant.

Quod autem Leo populares ſuos ſimplicitatis cultores appellat, id eorum auribus dediſſe videtur; cum perfidia atque inſtabilitate ceteras omnes nationes longo poſt ſe intervallo relinquant.

Neque vero commemoratis jam vitiis contenti, addunt prioribus jactantiam, ſuſpiciones, diffidentiam, ignaviam, facilem dubiis in rebus fidem, & in aſſerendo pertinaciam, denique in commerciis fraudem. Ceterum ſcientiis ſe dedunt, præcipue vero evolvendis Annalibus ſuis, addiſcendis literis humanioribus & patriis legibus interpretandis. Quondam etiam Mathematicæ, Philoſophiæ atque Aſtrologiæ ſtudia ſequebantur: verum à quinque jam ſeculis Doctores eorum Principesque hæc ipſa tractare vetuerunt. Merces ſuas in varias peregre regiones exportant: & quia, ut dixi, ſcientiarum amore tenentur, in Ægypto, Æthiopia, Arabia, Perſia, Turcia, India aliisque remotiſſimis regionibus magiſteriis ſeu traditioni artium liberalium adhibentur, ubivis gentium in precio habiti, quod eam, quam profitentur ſcientiam, calleant perfectiſſime. Equis inſiliunt exſiliuntque admirabili prorſus dexteritate, & modo à nobis diverſo ruſticoque, quem & Hiſpanorum plurimi à Mauris acceptum in hanc uſque diem retinent; pugnant vero haſtis longioribus, antrorſum in invaſione, ac retrorſum in defenſione uſum præbentibus.

Cultus in veſtibus. Plerique eorum indumentis operiuntur rudibus atque agreſtibus, mantilibus ſeu togis cucullatis contenti, galeroque, collum faſcia ex lino, goſſypio aut alia materia confecta circumligantes.

Matrimonii contrahendi ratio. In matrimonio opulentiores uxorum pluralitatem affectant; quas tamen (ut Turcarum fert mos) non precio dato accipiunt, ſed è contrario ipſæ uxores antiquorum more Romanorum, plures licet ſint, dotibus inſtructæ veniunt. Ceterum multorum adhuc rituum à Gothis Vandalisque relictorum ſunt retinentiſſimi; at eo zelo feruntur, ut nuptis filiabus maritorum prohibitione non liceat revelato vultu patrem aſpicere.

Merces. Plurima Barbariæ regioni rara & precioſa largita Natura eſt, quæ exteris communicando privatum haud parum amplificant ærarium. Hinc igitur petunt exteri cruda boum coria, pelles ovinas, caprinasque, & textilia è lino goſſypiove confecta, uvas paſſas, dactylos, ficus, ac multa alia, quorum catalogus tædio fortaſſis lectorem afficeret.

Opes. Divitias hujus regionis quibuſdam veluti ſignis oſtendam. Quidam Feſſanis è regibus aliquando unico collegio exſtruendo coronatorum impendit millia 480; alius condendæ arci, quam à fundamentis excitarit, ſeptingenties mille Philippæos; tertius inſtaurandæ urbi alicui quadruplo majores ſumptus fecit, nihil impenſis in graviſſima bella molitionem remorantibus. Verum hæc ipſa ſuperioribus ſæculis acta fuere; nunc cum veteribus comparemus præſentia.

Maurocani, ac Feſſani regum opes maximi eorum proventus annui loquuntur; quibus non mediocribus valent quoque Tripolitanus, Algerianus, Tunetanusque, aliique per Barbariam dominantium titulo inſignes.

Certiſſimum proinde eſt in ſingulos annos à Venetis & Genuenſibus mercatoribus, ipſos octo milliones auri, nec minorem à Gallis Anglisque pro Barbariæ mercibus expendi.

His accedunt merces, quas maritimi prædones Barbari in littoribus Hiſpaniæ Italiæque contra promulgatam hoc nomine legem (at Gubernatoribus ſive Præfectis locorum inſciis) divendunt, atque ingentem quotannis pecuniæ vim domum reportant. Sed jam ad alia Barbaricæ opulentiæ ſigna feſtino. Templa primum occurrunt & numero multa, & magnis pleraque reditibus annuis dotata; quippe in urbe Argel centena reperias; Tuneti trecenta; Mauroci totidem; Feſſæ vero ſeptingenta, quorum præcipua quotidianum reditum habent nummos aureos ducentos. Porro haud exile Barbaricarum divitiarum argumentum eſt Feſſanæ urbis direptio, quæ Argelanis audentibus laborum ac periculorum mercedem reddidit milliones 260; tanti enim accepta ſpolia æſtimata fuere. Tuneti à Carolo V, Imp. permiſſa militibus propter obſeſſorum pertinaciam expilatio, ternis Carolini exercitus ducibus milliones auri cuſi ſive ſignati tribuit triginta; Telentini regis theſaurus auri atque argenti pondo bis mille æſtimatus in Barbaroſſanam ceſſit pecuniam. Iam vero ſi Iudæorum (quorum præcipuum Africa refugium eſt, quod hic uſurariam liberrime exerceant) quæſtum, excurſiones piratarum in portubus Argel, Salé & Biſerte prædas opimas quotannis vendentium, ac Italorum, Hiſpanorum, Gallorum Germanorumque negociationis cauſa confluxum, tum ipſius regionis ſitum quoddam inter Orbis regiones centrum obtinentem, atque alia commoda multa diligentius inter ſe conferas, Barbariam non ſolum amplitudine ſua, ſed etiam divitiis maxime cenſendam, vel invitus fatearis neceſſe eſt.

Vires. Si Barbaria non eſſet tot regnis tamque variis ditionibus populisque diviſa, potentiſſimis quibuslibet hoſtibus arcendis ſufficeret. Nam ſi Maurocanum Feſſanumque militem conſideres, ſi Tripolitani, Algeriani, & Tunetani copias, quas re poſtulante conſcribere facile eſt, ſi denique Arabum, Afrorumque tributariorum, & liberorum non contemnendos perpendas exercitus, quid obſtet innumerabilem hanc multitudinem à littoribus finibuſque quosvis hoſtiles depellere exercitus? verum cum ipſi dominantes inter ſe diſſideant, & male tributariis cum Turca conveniat, nec Arabum Afrorumque regulos facile adducas, ut ſtabili cum aliis fœdere offenſivo, ut vocant, defenſivoque jungantur, ipſi præterea incolæ parum ſint gnari fulminantium tractationi armorum; hinc manus Europæorum non magna ingentem ſæpe multitudinem brevi tempore ſubegit, ditionibus eorum in poteſtatem redactis. Valent tamen tonantium uſu armorum Turcæ, quos ideo rarior divexat invaſio; Maurocani item Feſſanique, quibus machi-

næ quidem bellicæ ſunt in munimentis, ad ornatum potius quam ad læſionem locatæ; cum, ut Arachus perhibet, & globis ſæpenumero, & pulvere deſtituantur nitrato. Iſta igitur è bombarbis jaculandi imperitia ſæpe Maurocanos Feſſanosque numero majores longe minoribus numero parere coëgit. Adhæc cum bellaturis vix ullus militum habeatur delectus, confuſionem ſæpius inexercitorum multitudo peperit, quam pugnantium victoriam aut reſiſtentiam animoſitas.

Regimen. Paret Barbaria partim Regibus abſoluta dominandi poteſtate præditis, quales ſunt Feſſæ, & Mauroci Reges, aliique tam Arabum, quam Afrorum, Reges ac Domini; partim Viceregibus ſive præfectis prorogatam jurisdictionem habentibus, quales ſunt Algerianus, Tunetanus ac Tripolitanus, quos rectius Turcæ vaſallos appelles, cum hujus arbitrio eorum ſtetque cadatque poteſtas; partim Regibus, ſed ſtipendiariis, ut ſunt Congi Labezique Reges; qui Argeli Regem ſuperiorem dato annuo tributo agnoſcunt; partim Regulis ſive Principibus, quales Arabibus imperitant, quique Maurocano Feſſanoque Regibus tenentur non ſolum annuum tributum pendere, ſed & militum auxilia exigente neceſſitate ſubmittere; partim denique ſpecie bene conſtitutæ Reipublicæ gubernatur, reliquis ſine rege ac lege agreſti libertate gaudentibus.

Religio. Religio Barbariæ quadrifariam diviſa, Mahumetanos, Chriſtianos, Iudæos, & qui in agris vagabundi nulla religione ducuntur, complectitur. Mahumetanorum major eſt numerus, ex quibus Afri ſanctius iſtius ſectæ præcepta quam Turcæ obſervant. Hi, antequam ad templa ſua (quod officium quinquies in die ſedulo peragitur) preces effuſum contendant, totum corpus lavant, rati eodem tempore exteriore hac cerimonia animam vitiorum à ſordibus purgari. Singuli olim in vita ſemel Meccam iter adornabant, non alia ratione promiſſis in altera vita deliciis ſe gaviſuros putantes. Quæ tamen hodie viarum longinquitate ceſſat peregrinatio. In vino potando ipſis ſunt Turcis abſtinentiores, Alcorani legem ad amuſſim ſervantes. Potum ex melle dactylisque componunt; Arabes nihilo ſecius vinum liberrime bibunt, idque ab oculatis teſtibus referimus. Statum ipſis quadrageſimæ ſive jejunii tempus more Turcarum, quod pari religione obſervant, ſolidis diebus à cibo abſtinentes ac potu, donec aut Luna micet, aut ſtellæ in cælo, quo tempore primum cibo ſe reficere occipiunt, eaque cœna aut totam noctem traducunt, aut dimidia ante Solis ortum hora eandem jentaculo excipiunt. Quadrageſima hac ad medietatem perducta Camelum ligneum triceni aut quadrageni homines per vicos trahunt, ſtipemque pauperibus dandam opulentiorum è domibus colligunt.

Vagabundis ſeu qui vagi ſilvas montesque peragrant, hi nec Mahometanorum, nec Iudæorum aut Chriſtianorum è ritibus quicquam habent, ab omni lege, religione ſuperſtitioneque alieniſſimi, nec templa habentes, nec Deo, aut idolis ſupplicantes, beſtiarum ſimillimi ſunt. Si quis autem ex illis naturæ ductu divinitatis ſpeciem quandam concipiat, hunc vitæ communio illico intra ſphæram priſtinæ irrationabilitatis revocat, & duce, & regula carentem.

Iudæi quos Africa habet, ab Aſiaticis Europæiſque religione, feſtis ac cerimoniis nequaquam differunt. Eorum tanta per Barbariam multitudo habetur, ut ſola urbs Marocum quater mille contineat, qui Meſſiæ præſtolentur adventum.

In regnis Argel, Tunes, & in aliqua parte regni Fez 156000 Iudæorum familias invenies, quæ omnes à Conſulibus miniſtrisque Galliæ Regis in cauſis ad commercium ſpectantibus dependent. Lingua iiſdem Hiſpanica ad negociandi commoditatem familiaris. Reliquum eſt, ut Chriſtianorum ſive Catholicorum in Barbaria pertenuem ſortem deploremus, quibus niſi in Hiſpanica ditione vix ulla autoritas eſt. Reliqui per varia loca diſperſi Chriſtiani non omnes uniusmodi ſunt; in Tunetano quippe Maurocanoque regnis, itemque in Libya veterum Chriſtianorum reliquiæ ſunt, Miſſæ ſacrificium Arabico celebrantium idiomate. Græcorum quoque 179 familias prædictis in regnis invenias, qui plerique ſchiſmatici ſint, Menologiis ac Liturgia Græcorum utentes, cum ſacerdotis alicujus facultas eſt. Atque hi ſingulari quodam honore S. Stephanum proſequuntur.

Nunc de Chriſtianis mancipiis pauca quædam attexam.

Habet Barbaria ultra 120 mancipia Chriſtiana, quibuſcum agitur ſevere atque inhumane; quamobrem Chriſtianorum captivorum ferme quingenti ſingulis annis, præter violenter circumciſorum puerorum haud exiguum numerum, ad Mahometicam ſuperſtitionem traducuntur, partim quod tot vexationibus tormentisque in deſperationem inciderint; partim quod ad recuperandam libertatem anhelent; partim etiam quod hoc nomine à Turcis putent ſe conſecuturos ea, quæ apud homines habentur ampliſſima.

REGNVM ALGERIANVM.

ALgier regnum, Trimiſenum hodie regnum complectitur, quo ipſum olim cum Bugico & Conſtantino, aliisque regnis, de quibus infra, erat contentum.

Limites. Fines ſunt ab Occaſu ſolis Mauritania Tingitana, qua Orientalem Feſſani regni partem objicit, quam ab Algeriano amnes *Zis* & *Muluye* diſterminant; à Meridie Numidiæ deſerta; ab Ortu quædam Tunetani regni Provinciæ; à Septentrionibus vero Mediterraneum mare.

Dimenſio. Littus ſeu ora ejus Interno mari prætexta, inter Ortum ac Occaſum ab Oſtio amnis Muluye uſque ad oſtium amnis Sufgemar occupat ſpatium leucarum Hiſpanicarum centum ac quinquaginta. Latitudo ſumma, qua Numidiæ innectitur eſt leucarum 50, eadem inter Atlantem & mare Interius ad vicenas duntaxat leucas porrecta.

Provinciæ. Ioanni Leoni univerſum treis in partes dividitur, quarum nomina ſunt *Tenez*, *Gezair* ſive *Algier*,

gier, & regio Montana; Marmotius vero quatuor ejus regiones conſtituit, *Tremezen, Tencz, Algier & Bugie.* At Turcæ, ut Gramaus perhibet, denis omne regnum Portubus ſeu præfecturis maritimis, totidemque mediterraneis diſtinguunt.

Fluvii. Fluvii in eo celebres ſunt, *Ziz, Hued Abra, Tefne, Mina, Xilef, Ceffaye, Hued el Harrax, Hued el Hamix, Hued Icer, Hued el Quibir, Suf-Oëmar, Marzoch, & Yadoch.*

Ziz ex Atlante Majore profluens, deſerti Angued partem perlabitur, quo loco Feſſanum Trimiſeno regno accedit; deindeque *Hued Abra* amne comitante in mare devolvitur Internum, profundo quidem alveo piſcoſoque, ſed nativæ claritatis retinentiſſimo.

Hued Habra apud Mohaſtar oppidum ditionis Beniraxid ſeu Beni Arrax Trimiſenum ad regnum ſpectantis ortus, cumque Ziza Ciranis in campis alveum committens in loco, quem Xamurra nuncupant, mutuato à campis per quos decurrit nomine, cum Ziza Mediterraneum in mare influit juxta dirutum oppidum Arzeo, cujus littus potentes Arabes tenent, crebris excurſionibus Oranum littus infeſtantes.

Tefne, qui Ptolemæi *Siga* eſt, tenuis eſt amnis ex quibuſdam Majoris Atlantis jugis emiſſus in Numidiæ confinibus, curſu Septentrionem verſus directo, Angued deſertum peragrat; inde Tenzegzet vicum ſubterfluens, ſeptimo verſus Occaſum ab Orano oppido milliari Interno mari miſcetur. Recentiores huic amni *Harelgoi* nomen indunt.

Mina fluv. ſat lato profundoque alveo, ortum itidem ex Atlante Majore ducens, diviſis quibuſdam apud Bathaha oppidum ſterilibus campis, tamdiu in Septentrionem vergit, donec apud Arzeo urbem jam Mediterraneo inſtans, eodem mergatur. Is Mauris hodie *Cenæ* nomine indigetatur, Ptolemæo *Chilemath Xilef*, quondam *Cartena* ſpectabilis amnis, è montibus Guanecexis profectus, per deſerta camporum, quæ regiones Tremezen & Tenez interjacent, feſtinanter decurrens, ad latus Orientale Moſtagan oppidi ſe in Mediterraneum exonerat. Ripam ejus utramque Arabes incolunt prædivites potenteſque, *Vled-Sueid* dicti, qui equitatu valent millium duûm, peditum vero trium, & ultra.

Nec mediocris amnis eſt *Celef*, quem pro Ptolemæi *Chinalaf* communiter accipiunt, & recentiores vicinum jam mari *Safran* appellant. Is Majore ex Atlante progenitus, vendicatis ſibi ex parte Metigiæ ſive Motijæ campis, quinis ab urbe Algier milliaribus Internum mare ſubit, denſa arborum, longaque ſerie utrimque veſtitus.

Ceffayo, ſive *Soffayo* amni quoque ex Atlante Majore origo eſt, qui pro Ptolemæi *Savo* vulgariter accipitur. Hic poſtquam ex alto delapſus Metigiæ campos interſecuit, ad Orientale latus Alger oppidi prope Metafux Mediterraneum ingreditur.

Hued el Harrax & Hued el Hannix, flumina duo ſunt hibernis imbribus intumoſcentia, per æſtatem vero modicis aquis contenta, atque ex eodem Atlante protruſa, inter Alger oppidum & Ceffayum amnem mari miſcentur.

Hued Icer, Ptolemæi *Serbeta*, in finibus Numidiæ Majore ex Atlante prorumpens, in Septentrionem decurrit, aquarumque molem juxta vicum quendam modernis Beni Abdala ex Teddelez Metafaz ad Occaſum relicto, in ſinum Internum devehit.

Hued el Quibir, Chriſtianis hodie *Zinganor* dictus, acceptuſque pro Ptolemæi *Naſabath*, ex Majore Atlante oritur, qua is regioni Zeb conterminus eſt, perſtrepenſque abrupta jugorum decurſus initio, apud Bugiam oppidum in Mediterraneum ſeſe exonerat.

Sugemar, haud tenuis amnis, quem Ampſagam Ptolemæi perhibent, prope montem Auras, qui in Bugia pluribus jugis evehitur, curſus initium capiens per ſteriles ſiccoſque campos, deſcendit Conſtantinam urbem verſus; qua ſalutata, receptoque *Malzoch* amne, aſpera montium inter Septentriones petit, cumque Mauritaniam Cæſarienſem Minore ab Africa diviſit, mari Interno demergitur.

Vadoch ſeu *Iadoch*, Majore ex Atlante profuſus, qua is Conſtantinæ urbi accedit, mox in ima proclivis, curſu non longo peracto, in Mediterraneum feſtinat unico à Bona urbe milliari.

Soli qualitas. Pleraque Algeriani regni ob nimiam aſperitatem ſterilia ſunt ſiccaque, & circum ipſam adeo Tremezen urbem æquoris inſtar immenſæ ſe ſolitudines diffundunt, campis tamen illis exceptis, qui in Aquilonem vergentes, urbem ac Mediterraneum inter & frumentum humanis uſibus producunt, & paſcua habent pecori alendo benigna. Fructuum hoc in regno major copia varietaſque exiſtit; Occiduis tamen in regionibus, quales ſunt Tenez, Argel & Bugia, montes non frumenti ſolum copiam ſuppeditant, ſed etiam paſſim gratam pratorum viriditatem oculis ingerunt.

REGNVM TRIMISENVM.

TRimiſenum Regnum, cujus Algerianum nunc Regnum portio quondam fuit, hodie lepida mutatione Regni Algeriani, cui à capite ſuo Alger ſive Algier nomen eſt inditum, pars ſeu membrum indigetatur; paretque nunc urbi, cui ipſum ſuperioribus ſæculis leges impoſuit.

Nomen. Porro appellationem nominis à primaria urbe *Tremezen* ſeu *Tremiſen*, Afris *Telimicen*, quo ex nomine Europæorum *Telenſin* vulgatiſſimum hodie nomen, litterarum aliquali facta commutatione evaſit.

Loca. Marmolii ætate Regnum Trimiſenum urbes habuit ſequentes: *Tremezen, Tenzegzet, Zezil, Guaguida, Ned Roma, Teberrit Onc, Haresgol, Hubet, Tefezara, Agobel, Barza-Marza-el-Quibir, Oran, Canaſtel, Arzeo, Mazagran, Moſtagan*; & præter has, ditionem *Beni-Arax*, deſertum *Angued* ſive *Anghad*, monteſque *Benizeneten*, *Matagara*, mons *Beniguernid, Tarara, Agbal*, & *Magarava*.

Verum hodie permultum eſt de priſtina ejus amplitudine diminutum, ipſo nunc in plures regiones minores diſſecto. Vrbium reliquæ ſunt, *Tremezen, Hubed, Tefeſre, Teſſeulæ* & *Beni-Guerned*, ceteris jam olim aut deinde everſis.

Tremezen

Tremezen ſeu *Telimizen*, quondam ampliſſimi Regni caput, Ptolemæo *Timiſi*, quibuſdam *Teleſin* & *Tremiſen*, ut Cluverio, aliis *Tlemiſan* Venetos in hoc nautas ſecutis, remota eſt Auſtrum verſus ſeptem à Mediterraneo milliaribus, forma quadra oblongiore conſpicua. Ea jam à tempore Abu Texifii circumſtructo quadrato ex lapide muro cubitorum quadraginta altitudine, turritoque ſuperbit. Portæ eidem ſunt quinæ, ſingulæ verſatili ponte defenſæ; arx unica ad hujus ævi normam munita, in varia conclavia aulaſque diviſa. Auget ædificii majeſtatem adſita hortenſis amœnitas, & diſpertita præſidiario militi domicilia.

Adhæc collegia in hac urbe ſunt quinque ad normam Italicam in quadrum exſtructa: Mahometanorum templa inſigniora octona duntaxat ex ducentis quinquaginta, quibus olim fuit inſignis; ſingula in turrim opere Dorico faſtigiata, intuſque columnis lucentia marmoreis; balnea majora ex 160, quibus olim ſuorum ſordes abluit, quatuor tantum; Venetorum ac Genuenſium hoſpitia duo, Maurorum vero quatuor, habito ex quatuor & triginta delectu; denique xenodochia noſocomiaque ſena ad peregrinantium ac ægrotorum comparata ſolatium. Viæ per urbem inſigni latitudine directæ in decem ſe plateas ſeu fora dilatant, mercatorum tabernis ac repetito per ſeptimanam vicinorum ruricolarum, res ad victum neceſſarias advehentium, concurſu celebria. Domos habet Trimiſenum & laxitate, & operis elegantia firmitateque anteferendas Algerianis, quibus pleriſque adjacentes horti florum ac fructuum varietate, conſtructiſque ex vite topiariis, amœni novam dignitatem conciliant. Abu Texifii temporibus circa annum circiter 1520, fuere numerata domorum millia ſedecim, ut Leo refert; at anno 1562 millia viginti quinque, ut Hahedo teſtatur, cujus extat topographica Algerii deſcriptio.

Verum noſtro ævo ob Turcarum ſævitiam numerus incolentium multis partibus eſt quam ſuperioribus temporibus minor, mercatoribus pleriſque Feſſam profectis. Iudæi hic quondam Synagogas denas ampliſſimas tenuere, vix tamen tantæ multitudinis capaces: at Abu Abdala rege circa annum Chriſti 1517 fatis functo, & numerus eorum defecit, & facultates decrementa ſunt paſſæ. Nihilominus tamen nunc Tremiſenarum viarum pulcherrimam Iudæi incolunt.

Plures in urbe fontes advecta ex ſuburbanis locis aquarum copia paſſim ad commoditatem incolentium erumpunt; putei item ſat multi effoſſi, ſed tetro odore coloreque aquis repleti.

Hubet, oppidum eſt mœnibus circumſeptum, Trimiſeno Meridiem verſus diſſitum milliari dimidio. Id à Romanis conditum, nuncupatumque *Miniaram* fuiſſe, vulgo opinantur. Ceterum ſecundum Ptolemæum longitudinis gradum 12, latitudinis vero 32, ſortitur. Famigeratum idem apud Mauros perhibens *Marabut Cidi Bu Median* ſepulchro, quod majori in templo, cui cum xenodochio cœnobium adædificatum, ſpectatur.

Tefeſara ſive *Tefeſra*, adhuc veteris amplitudinis ſpeciem retinet, quinis Orientem verſus Tremeſino milliaribus in planitie locata, cinctaque muro prælto, Ptolemæi Aſtacilis reputata.

Tezzela, quondam *Ariana*, ab Abuhaſceno quarto Beni-Merinorum ex gente rege diruta, maligne deinde fuit habitata.

Mons *Beniguernid* ſeu *Beniguerned*, qui brachium quoddam Majoris Atlantis eſt, unaque Trimiſena ab urbe milliario ſua juga explicat, vicis incoliſque eſt frequens.

Soli qualitas. Ceterum Trimiſenus ager omnis aquarum copia abundat, quam prodige capiti ſuo largitur, hortis ſuburbanis pleriſque erumpentibus in fontes puteoſque. Frumento præterea eximie fertilis eſt; ceraſa vero varii generis producit, ac ficus ultra quam credi poſſit dulces, colore anthracino, craſſas longaſque, quarum magnam partem incolæ, ut veſci quoque iis per hyemem poſſint, modice exſiccant. At perſicorum, nucum, amygdalorum, melonum, aliorumque, quos natura ſolet è terræ gremio atque arboribus fructus elicere, incredibilem copiam æſtivi menſes autumnaleſque ſuppeditant. Tezelius ager frumenti optimi eſt ferax, adeoque copioſi, ut non ſuis modo, ſed etiam Trimiſenis, ſi opus eſſet, alendis ſufficeret. Mons *Beniguernid* alibi nobilibus arboribus formoſus, multiplices in fructus luxuriat, quorum frequentiores tamen ſunt ficus & ceraſa; ſilvoſam alibi faciem præ ſe ferens, ligna dat ædificiis fociſque utilia. Porro Tefezarani campi frumento præcipue fecundi, ſuis in viſceribus quoque ferrum divite copia includunt.

Incolarum mores ac ſtudia. Trimiſenæ urbis incolæ quadruplici in differentia ſunt: Alii enim opificia tractant; mercaturam alii exercent; alii vero litterarum, & alii militaris diſciplinæ ſtudia ſectantur. Mercatores ſingulari zelo, quibuslibet rebus humanos ad uſus neceſſariis urbem inſtruunt, & quadam ſinceritate in commerciis verſantur. Ordinarias profectiones in Nigritarum regionem adornant, ac plerique eorum à nummis ſunt paratiſſimi. Opifices corporis robur alacritaſque, & aſſiduos inter labores vitæ modeſtia commendant. Militum delectum hic eſſe, ex Mauris Turciſque, ipſa eorum dexteritas oſtendit. Litterati Scholarium, Advocatorum, Notariorum Doctorumque nominibus continentur.

ANGAD.

Nomen. ANgad ſeu *Angad Heber*, quibuſdam *Angued*, Algeriani regni provincia eſt, ſeu potius deſertum in ſicciſſimam planitiem diffuſum, veteris Trimiſenæ regionis Occiduam partem conſtituens. *Dimenſio.* Longitudo ejus inter ortum porrecta & occaſum milliarium eſt viginti octo; Latitudo vero octodecim.

Fluvii. Muluya amnis Angadiam mediam interſecat, in cujus ripa ternæ Arabum gentes ſedent, & numero valentes & opibus, quas *Vled Talha*, *Vled Arrax* & *Vled Manzor* nominibus ſignant.

Loca. Quæ nunc provinciæ huic oppido tribuuntur, iſta ſunt: *Guagida*, *Tenzegzetum* & *Izlium*.

Guaguida,

Guaguida, vetus oppidum in montanis Algeriani regni locatum, ac pro *Lanigara* Ptolemæi communiter acceptum, pulchram & amœnam planitiem obtinet, quatuordecim ab Interno mari verſus Meridiem milliaribus, totidemque ferme, ſed Occaſum verſus Trimiſena ab urbe disjunctum, adhuc ter mille incolitur familiis, ab utraque parte Angadiæ terminus.

Tenzegzetum via quæ Feſſâ Trimiſenum ducit, præcelſa in rupe conſpicuum munitumque oppidum, qua Angadiæ deſertum Trimiſeno territorio annectitur. Subterfluit id Tiſma flumen, quod Majore ex Atlante ortum Hareſgolio recipitur. Tenzegzetum diu Arabes tenuere, ſed maligne incultam; at Turcæ ob loci opportunitatem deinde munimentum addiderunt, inſtruxeruntque & bellicis tormentis, & firmo præſidio.

Izlium, ſeu *Zezilium*, & *Gitlui*, & *Giglua* quibuſdam appellatur, ac pro *Giva* Ptolemæi acceptum, oppidum eſt cum arce ſua plano in loco ſitum, qua Angadia Trimiſenæ eſt regioni contermina.

Guagida, *Izlium* & *Tenzegzetum*, oppida, flumina habent & ſcaturigines aquarum, quibus agri eorum irrigantur.

Soli qualitas. Singulis autem hiſce locis ſua proprietas eſt qualitasve; ager quippe Guaguidius Tenzegzetanusque frumenti copia abundant, Guaguidio quoque fructus, inprimisque uvas ac ficus ubertim proferente; cum ex adverſo Izlianus ager modicum hordei panicique ægre producat, idque aquarum beneficio, quas incolarum per campos in plures ramuſculos ſparſit induſtria. Hic namque locus ea ſiccitate caloreque aduritur, ut, niſi frequentius aſperſione aquarum irrigarentur arva, fruges adeo nullæ eſſent ariditſimo è ſolo proventuræ. Mons Beni-Zeneten altitudine ſua atque aſperitate inacceſſus, rarus ſe pertenue in hordeum exſerit; ſilveſcit tamen alibi, ut ſiliquas proferat, quarum copiam reliquæ ſterilitati opponit.

Animalia. In Angadiæ deſerto hinnuli cervi, apri, Struthiones frequentes diſcurrunt; nec minorum gentium feræ pecudesque hic deſunt, ut leonibus paſſim obviis in prædam cedant, quibus aliquando etiam humanæ carni non parcitur. Guagidio in agro procera ſtatura ſunt aſini, à quibus muli generantur in labores eximii.

Incolarum mores ac ſtudia. Angadiam qui incolunt Arabes, latrociniis ſunt rapinisque infames, queis Feſſâ Trimiſenum commeantes mercatores infeſtant, hyemali præſertim tempore, quum ad ſecuritatem viarum conducti Arabes in Numidiam concedunt. Montem Beni-zenetenum gens valida tenet: Izliani in exteros ſeu advenas ſunt mites: Guaguidii forti ſunt animo, urbani quondam liberalesque, ſed rerum nunc inopia pene agreſtes.

Beni-zenetani ſiliquis cibo quotidiano veſcuntur, quod hordei apud ipſos perparum habeatur: Angadii dactylos habent, lac & carnem, ovibus id camelisque beneficii largientibus.

Guagidii panno craſſiore operiuntur, eoque vix ultra genua defluente. Lingua omnibus Africana vetus, paucis corrupto idiomate Arabico utentibus.

Guagidii prægrandem ex mulis ſuis, quos hic præſtantes gigni diximus, pecuniam colligunt; Angradii autem ſtruthionum plumas in commercium vocant. *Mercat.*

B E N I A-A R A X.

Beni-Arax, ſeu potius *Beni-Araxid*, nonnullis *Beni-Kazid*, interioris regionis montanæ pars, Algeriano ab regno, ſeu rectius à veteri Trimiſeno dependet, cujus metropolis Orientale latus occupat. Longitudo ejus inter Orientem & Occidentem implet milliaria ſeptemdecim; latitudo novem duntaxat. Qua Meridiem ſpectat, in planitiem exſpatiatur; qua vero verſus Septentriones porrigitur, frequens in colles exſurgit.

Locæ. Compluribus oppidis vicisque incolitur; at loca inſigniora ſunt, *Beni-Arax*, caput regionis incolentium duobus millibus & ultra frequens, nullis tamen mœnibus cinctum; *Calaa*, quondam *Atoa*, duos inter montes prælatos poſitum oppidum, muro circumdatum eſt, ac munimenti inſtar exſtructum; tertium *El Mohaſcar*, ad caſtelli normam ædificatum, arcem habet, quam Almanzor Mezuar, Mahometis Ben Zeyenii vicarius inchoatam à ſe Turcis perficiendam reliquit, qui Algeriani regis hac in provincia Præfecti ſedem conſtituere.

Pertinet etiam ad Beni-araxiam provinciam *Batha* oppidum, Ptolemæo *Bunobora* dictum, terno ab Orano milliari in planitie peramœna exſtructum ad amnem Huet-Mixa. Fuit id ſæculis ſuperioribus ſat frequens incolis; at Guaneceriani ſeu Guanererii montis incolæ civili bello ardente vaſtitatem eidem intulerunt. Nihilominus tamen Morabutius quidam ſedem ſuam anno 1520 proxime locavit, plurimorum ad eam ſtabiliendam largitionibus, equis nimirum 500, ovibus millibus denis, boum 2000, frumenti ſextariis centum, millibusque aureorum nummûm binis adjutus. Hiſce mediis quingentos aluit diſcipulos ſtatis per diem horis ad ſancta quædam Dei nomina pronuncianda adſtrictos. Sectatores ejus locum hodieque tenent, ipſa ſecta per omnem late Africam propagata. Verum ex quo culturam hic locus accepit, Arabes eum ab excultore Cenanos campos vocavere.

Soli qualitas. Beni-Zaridanus ager ubique fœcundus eſt, producitque frumentum inſigni copia. Plurimis in locis virentes ſe vineæ diffundunt; alibi jujubæ ſeu Zizypha, ficus reliquumque fructuum genus felici proventu naſcitur. Mel quoque paſſim abundat, & tam armenta, quam greges magno hic numero viſuntur.

Mores incolarum. Incolas recte duplici in diſcrimine conſtituas, quorum alii fixas habent in collibus ſat commodas ſedes, & aut agros ac vineas colunt, aut rebus aliis neceſſariis operam impendunt; alii in campis ſub tentoriis degentes, reliquisque nobiliores, pecoribus alendis propagandisque attendunt. Ceterum infeſta apud eos latrociniis ſunt omnia.

MILIANA.

Nomen. *Miliana* ſeu *Meliana* provincia, interiora Algeriani regni obtinens, à capite ſuo nomen accepit, habetque ab Occidente Beni-Araxiam, & ab Oriente Algeriam regiones.

Loca. Caput provinciæ eſt *Magnana* ſeu *Manliana*; utrumque enim nomen in Ptolemæo invenias, quod mutata vocali *a*, ſublataque conſonante *n*, Arabes corrupere. Ceterum urbs ampla eſt, à Romanis 14. ab oppido Sargel, quod introrſum conſpicitur, Algerio vero 15. verſus occaſum Solis milliaribus altiſſimo in monte condita. Cingit eam murus præcelſus, præruptis rupibus latus urbis unum ſtipantibus, alter vero à montis vertice paulatim declivi. Domos habet elegantes, ac in plerisque ducti ſub terra canaliculi, coquendis cibis lotionique aquas profundunt. Ante Turcicum in hac Africæ parte imperium regionis ea Tenez membrum fuit. Sunt autem oppida bina Melianum ad territorium ſpectantia, *Mezuna* ſcilicet, & *Tiguidentum*, alterum regionis Tenez, alterum Algeria in regione locatum.

Mezuna, olim *Oppidoneum*, Ptolemæi *Colonia* ſeu verſus *Caſmara*, inter Moſtagan & Tenez poſita, quadraginta à Mediterraneo ſinu milliaribus, conditores habuit Romanos. Firmus eam murus altuſque circumſtat; at domicilia rudi ſunt opere conſtructa.

Vnicum illi ab arce, cui annexum palatium, temploque, quod opus Romanum magnificentiâ teſtatur, ornamentum accedit.

Ceſſarea, quam Afri vulgari vocabulo *Tiguident & Teguedente*, hoc eſt, civitas vetus, appellant, vetus *Cæſarea* eſt, receditque à littore longiſſime, ad Numidiam prope accedens.

Ambitu ea quondam millia terna complexa eſt, ac templi rudera urbis antiquum decus loquuntur; ſed diruta fuit anno Domini 959 à Califis Carvanis. Ex his tamen ruinis Morabuti cujuſdam ſui auſpiciis quadantenus reſurrexit, habitata hodie familiis mille trecentis.

Soli qualitas. Mons, in quo poſita Miliana eſt, non ſolum aquas largiſſima copia, ſed etiam nucum affatim ſuppeditat.

Mezunanus ager frumento pecoribusque fœcundus exiſtit.

CVOCO.

Nomen. *Cvco*, Ptolemæi *Cinnaba* vetus eſt. Regio hæc regni titulo inſignis, cum Algeriani regni tributaria nunc ſit, eam in provinciæ formam Turcæ redegerunt.

Situs. In Argeranorum finibus camporum, quos alio nomine Mettijæ campos indigetant, Meridionalem Orientalemque plagam verſus, plurima montium juga texuntur, quos Bereberi Azuagique frequentes incolunt. Hos inter montes, qui omnes Majoris Atlantis ſunt membra, quidam *Cuco* ab oppido ſuo dictus (quanquam rectius *Eguil'vandaluz* appelletur,) celſum aſperrimumque cacumen attollit octodecim Ortum inter & Meridiem ab Arger urbe, quindecim verſus Occaſum à Bugia, & à montibus *Labez* milliaribus quatuor, quos Bugia amnis ſolus interſecat.

Ceterum mons Cuco ſecundum Gramayum trium dierum itinere aſperitate horridum dorſum explicat. *Dimenſio.*

Loca. Cuco urbs ædificia continens 1600, natura loci munita eſt; quippe maximam partem inacceſſis rupibus ſtipata, cetera firmiſſimo muro tuetur. Atque hac in urbe regis Cuco præcipua palatia ſpectantur.

Montem hunc quaquaverſum caſtella vicique incolis frequentes exornant, declivia ejus *Gemaaxahariz* occupante, qui locus eſt quingentis circiter ædificiis ſpectabilis, & hebdomadario, qui in diem Veneris incidit, conventu celebris.

Fuit ſuperioribus temporibus Cuco regi inſignis navium ſtatio, Tamagus appellata, quodam in amne, qui Mediterraneum ſinum influit, exſtructa; at nunc eam Algerianus rex tenet.

Soli qualitas. Habet hæc Algeriani regni pars creberrimos fontes, hortos varietate fructuum amœnos, olearum frumentique, quod ſubjecta arva producunt, & hordei quod ipſo in vertice montis naſcitur, affatim.

Cetera munera mercesve ſunt, ficus, uvæ, mel, cera linumque, è quo præſtantiſſima Barbariæ textilia conficiunt. His accedunt, ferri nitrique fodinæ, crebræ ſimiæ, equorum bellatorum copia, gregesque pene innumeri. Ceterum ager frumento maxime fertilis, proventu ſane ditiore quam Labezy montes.

LABEZ.

REgnum *Labez* quoque nunc in mediterraneis Algeriani regni provinciis tributariis computatur. Verum ejus nomen eſt *Labez*, quod certum juncorum genus ſignificat, quod Hiſpani *eſparto* appellitant. Eſt autem Labez regio montana, Majoris Atlantis pars, quaternis à Cuco, à Bugia vero (ad quam ea propriiſſime ſpectat) inter Occaſum ac Meridiem milliaribus quindenis ſeparata. Qua Labez juga aſperitate difficilem præbent aſcenſum, ibi *Calaa* arx eſt, regulorum montani hujus tractus ſedes. Eſt eodem in tractu *Coco Teleta* mons, regulorum Labez ſepulchris inſignis, ad cujus radices *Tezli* locus eſt, exſtructa contra Turcarum quondam incurſiones arce defenſus, aliusque, quem *Boni* nuncupant.

Soli qualitas. Labezii montes juncis duntaxat abundant, ceteros fructus frugesque aut avare concedunt, aut omnino ſteriles ſunt.

Mores incolarum. Incolunt hunc tractum cum Azuagis Bereberi, qui vitæ genere à Cucanis vix differunt.

TENEZ.

REvocato à Meridie Septentrionem verſus itinere, *Tenez* urbs cum regione ſua, quæ in Algeriani regni provinciis Mediterraneis nunc locum ſortitur, quondam Trimiſeni portio regni, occurrit. Termini tum ejus erant ab *Limites.* Occaſu regio Trimiſena proprie dicta, quondam lon-

longiſſimo tractu porrecta; Algeriana ab ortu Solis; à Meridie Majoris Atlantis juga; à Septentrionibus vero Internum mare. Ipſa ab oſtio Xilef amnis, qui ab Orientali latere oppidi Moſtagan in mare devolvitur, uſque ad oſtium Chinalaf ſeu Vetxilef, qui & Safran dicitur, & apud Mironium in mare influit, longo tractu porrigebatur. Verum hodie plures ab ea partes diſſectæ ſunt; Marmolius etenim recenſet in ea *Brexcar*, *Sargel*, *Cæſaream* ſive *Tiguidentum*, *Mezunam* & *Melianam*: hodie Sargelia & Meliana duæ ſeparatæ provinciæ ſunt; Tiguidentum vero & Mezuna ad Melianam referuntur, Brexcar ſive Breſch Sargeliæ ſubeſt.

Loca. Caput provinciæ eſt *Tenez*, medio ab Interno mari milliario declivitatem montis occupans. Marmolius hanc urbem vetus *Laguntum* Ptolemæi intelligit; Sanutius vero pro *Typaſa* accipit. Ceterum Oranum inter atque Algerium eſt media, triginta verſus Orientem ab Orano, totidemque verſus Occidentem ab Algerio, & quindecim à Moſtagano; Trimiſeno autem quinquaginta duobus diſtans milliaribus, arcem habet palatio inſtructam, ſedem quondam regulorum hujus ditionis, nunc præfecti, quem Argetianus rex mittit, habitationi ordinatam.

Sunt quoque in Algerianorum regum ditione multa circum Tenez jacentia loca, qui Meduam urbem etiam, quæ olim *Miniara*, hujus provinciæ membrum conſtituerunt. Situm ea tenet in Gætuliæ Numidiæque confinio quinquaginta Algerio milliaribus verſus mediterranea loca, & ſexaginta Trimiſena ab urbe Orientem verſus.

Montes. Complectitur regio hæc *Berri Abuc Aid*, qui & *Abuzaid* contractius appellatur, ac *Guenezeris* montes, poſtremum nonnullis *Guanſeris* indigetantibus.

Mons Abuzaid ſive Zatima Tenezo urbi propinquus eſt, ad cujus territorium is propriiſſime ſpectat, licet nunc Argelianis Turcis pareat; Guenezeris autem aſperrimis jugis præruptus, Selef flumen ſuis è viſceribus eructat.

Soli qualitas. Tenezanus ager frumento ac pecoribus abundat, exiſtitque ex apum in eo copia mellis ceræque affluentia.

Meduanus ager pluribus in locis in limpidiſſimas ſcaturigines erumpit, alibi plana ſpecie diffuſus varios fructus ſubminiſtrat. Mons Abuzaid præterquam quod frequens ſit hinnulis, melle, cera & hordeo abundat. Mons Guaneſeris ſiccum omnino verticem, ſed Tutio abundantem attollens, ceteris in partibus aquarum copia eſt riguus, & juncorum, Hiſpanis eſparto, felix progenitor, reliquo agro ad fruges fructusque rara fœcunditate donato.

Mores. Sunt *Tenezani* agreſti genere vitæ, moribusque prorſus incultis; at qui vicina loca Arabes incolunt, quandam nobilitatis ac magnificentiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Meduani ſtupidiſſimo ingenio ſunt, adeo, ut ſi forte advena quiſpiam moribus & rerum experientia cultior ad eos inviſat, hunc omni officiorum genere exhibito vel invitum etiam retinere apud ſe conentur, ut ſuarum controverſiarum judicem faciant, aut negotiorum directorem. Ceterum in cultu veſtium munditiem quandam elegantiamque ſectantur. *Abuzaidani* vivendi ratione ipſis belluis affines ſunt; animoſi tamen pugnacesque. *Guanezerios* eadem laus vituperiumque conſequitur.

TEBECA.

Nomen. *Situs.* *Tebeſſa* ſive *Tebeſſa* ex interioribus Algeriani regni provinciis una, à primaria urbe ſua nominis appellationem ſuſcepit, quæ olim *Thabuna* appellata, ac Tunetani membrum regni, ab eodem nunc, quemadmodum etiam à Conſtantina, in qua eam Marmolius locat, reſecta eſt. Sedet eadem in confinio Numidiæ quinquaginta quinque milliaribus ab Interno mari, muro è ſaxo quadrato alto firmoque circumdata, unde Romanorum fuiſſe colonia facile arguitur. Flumen vicinis è montibus ortum mediam ferme perlabitur, quod fontium paſſim erumpentium auget amœnitatem. In foro aliisque in locis antiquitatum monumenta, ut columnæ, ac imagines marmoreæ, inſcriptionesque Latinæ plures viſuntur. Prope urbem mons conſpicitur, qui ſubtus ingentibus humana manu excavatis cavernis aperitur, quas Gigantum fuiſſe ſeceſſus, incolæ minus rectè opinantur; lapicidinæ quippe fuerunt, ex quibus ad ædificandam hanc urbem, quam Leo Europæarum urbium omnium à ſe ſpectatarum ait pulcherrimam, quanquam non ſemel fuerit ab Arabibus attrita, lapidum ingens effoſſa copia eſt. Ceterum ternis eam præcipue ob res perhibent reliquis Barbariæ urbibus anteponendam, circumſtructi ſcilicet muri elegantiam, fontium multitudinem, ac nucum copiam, quibus ſilvæ inſtar circumcingitur.

Cœli ſolique qualitas. Tebeſſani malignitati ſunt aëris ſubjecti, nec pinguibus glebis ager eorum inſtruitur, quem ſola nucum altitudinis raræ, ut dixi, copia commendat.

HVMANBAR.

Nomen. *Situs.* *Loca.* MAritimarum Algeriani regni provinciarum ab Oriente prima, & Teſſano proxima regno *Humanbar* provincia eſt, cui à Metropoli nomen eſt inditum, quam Leo Sanutiusque *Humaim*, Tabulæ Geographicæ Humain, Marmolius *Onam*, Afri autem, Marmolio teſte, Deyrat *Vneyn* indigetant. Occupat hæc urbs provinciarum Aresgol atque Oran latus Occiduum, ipſo in littore contra Almeriam Granatenſis in Hiſpania regni urbem porrecta. Mœnibus eam Hiſpani anno 1533 nudatam adeo diruerunt, ut Marmolius nunquam deinceps reſtauratam habitatamque fuiſſe exiſtimet. Hodie tamen velut provinciæ caput ſe effert, firmiſſimo verſus mare præſertim circumſepta muro, portuque hinc atque hinc turri munito, ſed modicæ capacitatis inſignis. Domus in ea perelegantes ſunt, è varii coloris latere cocto conſtructæ, parietibus muſivi ſpeciem operis exhibentibus, puteisque dulcium ſuppeditantibus copiam aquarum. Nonnullis pro *Vrbara* Ptolemæi accipitur, aliis pro *Siga*, ſuſpicaturque Marmolius Megam, ſeu ingens illud Ptolemæi

Pro-

Promontorium Tararam montem esse, qua is juxta Onam obtusum cornu marinis undis opponit. Ceterum urbs hæc proprie ad veterem Trimisenam pertinet provinciam, si debitis eam finibus circumscribas.

Tebecnst & Ned Roma ditionis ejusdem sunt. *Tebecnst*, quondam *Thudaca*, asperrimi cujusdam montis radicibus, qui Onensi urbi ipso in littore imminet, ternis duntaxat milliaribus à *Ned Roma* oppido, pro veteri *Celama* accepto, suoque Africano nomine Romam Novam Latine significante. Mœnia ejus, ædificia, & rudera passim conspicua, itemque tabulæ antiquæ prægrandes, columnæ alabastrinæ lapideæque, Latinis inscriptionibus signatæ, opus Romanum testantur. Posita ea est in plano, & quaternis à mari Mediterraneo, & duobus ab Majore Atlante milliaribus. Vrbs autem utraque ad veterem Trimisenam provinciam spectat, si nude eam regni titulo abstracto consideres.

Montes. Continentur finibus Humanbaranæ provinciæ montes *Tarara* sive *Gualasa* & *Matgara*, qui ad Trimisenam quoque reducuntur. *Tarara*, Afris *Gualhaza* etiam nomine notatus, atque Onensi urbi vicinus in asperam celsitudinem evehitur. *Matagara* parem sortem obtinens, à Ned Roma distat milliaribus duobus cum dimidio.

Soli qualitas. Omnis hæc regio ficuum, pomorum, siliquarum, malorum citreorum, granatorum, persicorum, melonum, olearum, gossypii linique pari camporum ac montium proventu feracissima est. In quibusdam etiam locis frumentum, hordeum & panicum tolerabili copia producitur. Gualhaza mons ferri metallo abundat.

Opes. Ingens porro lucrum incolis accedit à tertilibus ex gossypio linoque confectis. Quotannis mercatores Veneti solent Hunainum portum petere, multaque cum Trimisenis ingenti quæstu negotiari mercatoribus.

HARESGOL.

H*Aresgol*, in maritimarum Algeriani regni computata numero, à præfecti sede, quæ *Siga* vetus est, nomen mutuatur. Ceterum de nomine *Gol* seu *Iol* quod est, id Afrorum lingua arcem sive munimentum significat; eamque ob causam tot Maurorum loca hac terminatione definunt. Ceterum Haresgol urbs secundum Marmolium veteris Trimisenæ est membrum, at Sanutio referente, montium Algerianorum. Tenet ea Annayen oppidi latus Orientale, atque Orani Occiduum, Mediterranei in littore maris locata, juxtaque eam amnis, qui olim Siga, nunc Teftena seu Haresgol dicitur, in Internum mare decurrit. Eodem mari ferme tota circumdatur, Meridionali latere exceptо, quod per rupem multis ambagibus distortam angusto patescens transitu, advenas ex Mediterraneis in urbem mittit. Distat Septentrionem versus Trimiseno milliaribus circiter quatuordecim. Arx ejus in Ortum obversa, Internum mare navigantibus conspicitur. Cepit urbem, diripuitque superioribus temporibus Petrus Navarræus, quam deinde Arabes recuperatam hodieque tenent, præsidiario milite Turcico arcem duntaxat habente.

ORAN.

O*Ran*, maritima provincia, à capite suo, quod in Hispanorum ditione est, communiterque *Oran*, Afris vero *Guharan* dicitur, nominis appellationem sortita, vicinam habet *Marcael Quibir* provinciam; utraque provinciæ Trimisenæ separatim acceptæ portio est. *Nomen.*

Situs. Turcæ *Mazagran*, *Mostagan* ac montem *Magarava* maritima loca in unum provinciæ corpus redegere, cui Haresgol est Occidentalis, Tenez autem & Sargel Orientales.

Loca. Mazagran, quibusdam *Mazzagran*, à Sanutio inter oppida montanæ regionis Alger relata, verius à Marmolio Trimisenis in urbibus computatur, qui portum ejus portum deorum Ptolemæi indigetat. Adsidet Mazagranum loco, quo Xilef amnis Mediterraneo sinui mergitur, tredecim versus Orientem ab Orano milliaribus. Murus eam prætaltus circumstat, atque ampliissima arce defenditur. *Mostagan*, Leoni & Sanutio *Mastuganin*, quibusdam pro Ptolemæi Gartenna, aliis pro *Trada* accepta, jacet in littore Mediterranei maris, quatuordecim ab Orano versus Orientem milliaribus remota: ab eadem plaga Xilef amnem habet milliari unico disjunctum, parique distantia Mazagranum. Domicilia in ea numerantur 1500. Ceterum magnificentia templi, arceque editiorem Meridiem versus partem urbis tenente conspicua; portu præterea valet, sed paucarum capace navium, ab Europæis tamen nautis frequentato.

Montes. *Magaravæ* monti milliarium 14 spatio Mediterraneum littus continuo tractu ad amnem Xerif usque, qui Trimizenam à Tenezia regione dirimit protenso, nomen est inditum à Magaravis Bereberorum gente nunc incolis. Mazagran & Mostagan oppida quasi sub pedibus ejus locata visuntur. Atque hic mons quoque Trimesenæ specialiter sumptæ est proprius.

Soli qualitas. Mostagani loca suburbana frequentes horti occupant, fructiferis arboribus inprimis amœni, reliquo agro in pinguia arva & læta pascua diffuso. Verum Hispanorum Arabumque excursionibus infestationibusque maligne admodum colitur. Magarava mons armentis gregibusque fœcundus, pluribus in locis frumento quoque est fertilis.

SARGEL.

S*Argel*, ex regni Algeriani provinciis maritimis, ante Tenezinas inter provincias relata, à capite suo nomen accepit, quod multis vetus *Camucis* est, aliis *Cattenna*, tabulis vero Geographicis plerisque, ut & Leoni Sanutioque *Serfel.* Vrbem hanc Romanos condidisse, cum ipsa antiquitas, tum etiam species ejus demonstrat. Distat à Tenez Orientem versus milliaribus quindecim, pari intervallo versus Occidentem, si littus legatur, ab Algerio remota; si vero terrestre iter ingrediare, duntaxat decem milliarium intervallo submota. Posita est in littore maris *Nomen.* *Situs.*

maris Interni, mœnibus quadrato ex lapide conſtructis munita, &, qua in mare deſpectat, compoſiti ex marmore atque alabaſtrite templi parietinas oſtentans.

Arabes eam *Caini Califi Corvani* temporibus diruere; at anno 1493, Maurorum ex Granata, quæ regio in Hiſpania eſt titulo regni ſuperba, multitudo expulſa atque trajecto mari transgreſſa in Barbariam, reſtaurationem ejus molita eſt, quæ hodie quingentas & ultra domos complectitur.

Spectat etiam ad hanc provinciam *Brexcar* oppidum, cum monte *Carapula*. Brexcar, multis *Breſch* ſive *Briſch*, Arabis *Berſac*, communiterque pro Ptolemæi Campo Germanorum accepta, ac propriè ad Tenez regionem referenda, à Romanis in littore Mediterraneo eſt condita octo verſus Orientem à Tenez urbe milliaribus.

Quod attinet ad montem, qui Turcis *Carapula*, Mauris *Guiraſlumar*, & Chriſtianis *Batallo*, ſeu mons *Sargel* nuncupatur, is duobus verſus Occidentem ab oppido Sargel milliaribus tam alte verticem extollit, ut inde ad vicena remotam milliaria in mari navem facile deſpectes.

Soli qualitas. Sargelanus ager præpinguibus eſt glebis, tam olearum, quam vitium copiam intra murorum veterum ambitum producens, qui continet milliaria terna. Eundem intra ambitum incolæ frequentes moros poſuere ſericariis vermibus alendis.

Brexcarii lino & ficubus abundant, hordei affatim habentes. In monte Giraſlumar mororum albicantes nigricanteſque fructus producentium copia eſt eadem, quæ Sargelano in agro.

Mores. Valent Sargelani ingenio animoque, & ſunt plerique eorum texendo ſerico addicti. Breſchianis ad corporis robur ea fortitudo animi alacritaſque acceſſit, ut Leonibus affines eſſe videantur. Mos apud eos (id quod mihi alibi quoque notatum eſt) jam à Gothorum temporibus invaluit, ut altera in mala, manuque in altera pictam crucem circumferant.

ARGEL.

Limites. ARgel, à capite ſuo vocitata, una ex quatuor veteribus Trimiſeni regni provinciis, ab occaſu clauditur Tenez provincia; ab ortu Bugia; à Meridie Atlanticis jugis, qua eadem Numidiæ contermina ſunt; à Septentrionibus vero Mediterraneo mari ab oſtio Quinalaf amnis, qui & Safran, uſque ad Bugiæ confines. *Populi.* Campos hujus provinciæ quædam gens Arabum potens, *Aben Tetixa* appellata incolit, *Bereberis Azuagiſque* montes tenentibus.

Loca. Loca quæ omni ævo provincia Argel complexa eſt, iſta ſunt: *Argel*, *Metafuz*, *Teddelez*, *Mehedia*, *Medujara*, *Saſa* & *Medua* quondam, nunc in provincia Tenez locata; tum mons Cuco cum regno cognomine.

Alger. Caput provinciæ *Alger*, pro *Saldis* Ptolemæi à quibuſdam accepta, ab aliis pro *Iol* ſive *Iulia Cæſarea*, vulgari vocabulo Argel, & *Argel* cognomento *Gezeir* ex Cæſareæ cognomine corrupto, quamvis *Gezeir* Arabica lingua proprie inſulas ſignificet. Arabibus ea *Gezeyr* cognomento *Benimozgana*, indigetatur à Beni Mozzana Bereberorum Africanorum gente, conditrice. Atque hinc eſt, quod priſcis hæc urbs ſcriptoribus *Moſgana* appelletur. Turcæ eandem *Ceſair* nude, aut addito Barbariæ regionis nomine inſigniunt; Hiſpani Argel dicunt; Itali Algier; Galli Anglique Alger; & nonnulli *Arger*. Primum illa ab Romanis ſplendorem mutuata, longiſſimo dein interjecto tempore fuit Turcarum ſpoliis Chriſtiano ex orbe advectis mirandum in modum locupletata. Situm obtinet in acclivitate montis ſat editi, ſe ipſam lapideo muro complectens, foſſa profunda, propugnaculis ac tormentis bellicis adeo munita, ut inexpugnabilis credatur. Portæ præcipuæ ſunt quatuor, quarum una ortum æſtivum reſpicit, quò etiam portus cum inſula vergit, in qua erat arx Penon. Verum hic non fuit tot navium capax, nec æque tutus, ac nunc eſt, ex quo Salh Arracz Algeriano regno præfectus, advectis ex Metafuz urbe lapidibus, qui ex antiquorum ædificiorum ruinis ſupererant, molem extruxit, qua inſulam continenti reddidit. Ambiens murus ipſam acclivitatem montis ſenſim conſequitur, quem varii procerarum arborum ordines longiore circuitu excipiunt. Altero hinc milliario Ptolemæi *Savus* (quem Arabes *Ved el Harrax*, & Afri *Sefsava* nuncupant) Majore ex Atlante profuſus, poſtquam Metijæ campos diviſit, monteſque qui à tergo Algerii ſunt ægre pervaſit, Interno mari excipitur. *Situs.*

Littus Algerio Metafuz uſque protenſum, planum quidem eſt, ſed latitudine modica ob terram paulatim ſe in montes evehente perpetuis jugis continuos. Vrbs tota molli acclivitate conſurgit, aſcendentibus à mari quaſi per quoſdam gradus ædificiis, quo nihil ob multitudinem ædificiorum ſpectari poteſt auguſtius; Mœnia marinis fluctibus pulſantur, quæ immanibus cum ſaxis conſtent, latitudine complent palmos duodecim, altitudine vero qua aſcendunt, triginta, & qua æquum littus tenent, quadraginta. Ambitus eorum ad 3400 paſſus porrigitur, 1800 acclivibus, & 1600 planis ſeu demiſſis occupantibus. Forma urbis ſi mœnia ſeu circumſtructum murum reſpicias, triangularem Nicolajo Marmolioque teſtibus, formam ſortiuntur; at me judice arcuatam ſpeciem exhibent, niſi quod dextrorſum longius evagando requiſitam à nobis curvitatem amittant. Præter hunc mœnium ambitum, moles extat à Barbaroſſa anno 1532 extructa, trecentorum longitudine paſſuum inſulæ adnexa, muroque ad arcendos maris fluctus palmos quindecim erecto munitior, quem Arabama anno 1573 produxit, eoque inſulam omnem circumdedit, illa parte excepta, quæ portum reſpicit urbemque. Portus Algerianus multarum navium eſt capax, præcipue ex quo Hayredinus Barbaroſſa fundata mole, junctaque continenti inſula, qua ea in urbem obverſa eſt, tutiorem quidem eundem reddidit, ſed non ita, quin deinde furibundi maris fluctibus patuerit, quemadmodum anno 1619 evenit, quo tempeſtas navibus viginti quinque miſerandam faciem impreſſit. Verum

Nomen.

rum ad majorem portus insulæque tutelam, à tempore non multo excitari ab Algerianis cœptum munimentum pentagonum, cum absolutum fuerit, inexpugnabilem portum constituet.

Extra urbem ternæ arces seu munimenta visuntur, in quibus præcipuum urbis robur consistit.

Vidimus quæ circum urbem sunt; nunc ad interiora convertendi sunt oculi. Ac primum quidem longitudo ejus occurrit, quæ ab Austro in Septentriones secundum littus via plana, ac latissima quibusdam in locis, contractiore alibi, à porta ad portam producitur. In hac via singulis diebus mercatum instituunt eo ordine, ut singularum rerum graviorum, veluti frumenti, butyri, carnium, lignorum, fœni, & his similium negotiatoribus singulæ sint dispertitæ stationes sedesque, portatiles mancipiis ultro citroque indicato precio deferentibus, tradentibusque, qui plurimum licentur. Præter hanc viam tabernis undique mercatoriis stipatam, & per matutina æstatis tempora ad temperiem ardoris largius aquis perfusam, tectamque passim asseribus, reliquæ per urbem viæ montis acclivitatem cum urbe secutæ, ac hyemali tempore pluvioque cœlo lutosæ, tam sunt angustæ, ut ægre transmittant equitem, aut pedites duos.

Ædificia ea ætate, qua Leo Pinetusque vixere, numerata in urbe fuerunt quater mille duntaxat; at deinde in tantam amplitudinem excrevit urbs, ut nunc eorum numerus fere ad 13000 accedat. Ceterum caret aquæductibus, & dulcium puteis aquarum, cisternis, pauciscque ad se advectis fontibus contenta; adeo ut plura per urbem omnibus diebus mancipiorum millia videas, queîs circumportatione haustarum in agris aquarum vita toleratur.

Centena inter templa septem præcipue eminent, quorum maxima littus observat; diverticula sive hospitia Ianissarorum quina hic sunt, singula sexcentis circiter habitata, Gallis *Alberges de Geaizeri* dicta; nosocomium unum, anno 1550 ab Asan Bassa exstructum; carceres quaterni *Bannos des esclavos*, ab horum locorum Turcis vulgariter appellatos. Iam vero inter sexaginta duo balnea duo primaria sunt, in varia exspatiantia cubicula pavimentis marmoreis, frigidam aquam, calidamque artificio per canales ex epitomiis fundentia, Maurorum Turcarumque quotidianis destinata lotionibus. Locum quoque publica inter ædificia bina porticus Regiæ postulant, quarum major pulchro columnarum ordine conspicua, ac in quadrum, lateribus singulis pedes triginta sex patentibus, directa, Ianissarorum conventui servit, quos Paschalibus in festis solemni convivio Rex excipit; altera ante ipsum Palatium evehitur. Neque à publicorum numero ædificiorum sunt Christianorum templa arcenda, in quibus sacerdotes captivi, quorum hic adsidua frequentia est, Missarum peragunt solemnia. Ceterum templa hæc separata ipsis in carceribus loca sortiuntur. Primarium Regio in carcere visitur, sanctissimæ Trinitatis nomine inclytum, navem chorumque complexum; alterum minus, duobus tantum altaribus ornatum, carcerem habet, quem nonnemo Gallico vocabulo *de la Bastarde* nuncupat; tertium S. Catharinæ titulo insignitum in carcere est, quem idem author *de la Patrone* indigetat; quartum, à S. Rocho appellatum, Capitanei seu carcerum Præfecti ædes includunt. Oratoria nostrarum cellarum in modum fabricata, centena ad minimum Eremitæ Turcæ Algeriana in urbe possident; scholæ vero publicæ, in quibus ab infantibus legendi scribendique ars discitur, atque à Doctoribus Alcorani, & quidquid præterea Turcicarum legum est, enodantur mysteria, octoginta sex numerantur.

Est porro Algerium urbs quaquaversum (si mare, quo perfunditur, excipias) collibus amœnis circumdata, montibusque fertilibus, quorum longe lateque patentes valles declivitatesque, fructiferis sunt ad Ianissariorum sive Maurorum possessorum secessus hortis consiti, numero 14518, plerisque fonte ac prætoriolo instructis.

Excipiunt deinde hæc alta montium campi, longitudine sedecim, latitudine milliarium decem, quos secundum Marmolium Hacdonemque à Metijæ tractu cognominatos, flumen modico alveo perlabitur, molendinorum tamen frequenti numero interruptum.

Algerianæ provinciæ urbes nunc aliæ vocant, nominatim *Metafuz* seu *Temensust*, *Teddelez*, *Medujara*, &c. Metafuz, Afris *Temendefuz*, pro Rustonio Ptolemæi accepta, quatuor ab Algerio versus promontorium Metafuz milliaribus, Mediterraneo mari prætexitur ab Orientali latere Safæ oppidi, quod nunc suis in ruinis sepultum jacet. A portu ei aliqualis commendatio accedit, itemque vicino ab amne *Huet Icer*, priscis *Sarda & Serbeta* dicto, qui ab Orientali parte decurrens, mox Mediterraneo demergitur. In ripa hujus amnis vicum invenias, quingentis & ultra ædificiis frequentem, appellatumque *Beni Abdala* ab gente incola, vetere *Cisli* nomine amisso. *Loca alia.*

Teddelez, Orientalius Algerianæ provinciæ oppidum, Ptolemæo Addima nuncupatum, ac Mediterraneo adjacens, binis Algerio Ortum versus milliaribus, valido muro circumdatur; domos mille, arcemque Præfecti ab Algeriano rege huc missi sedem complexum.

Safa oppidum olim *Tipassus*, Hued Arrax flumini appositum, ac Orientale Metafuz oppidi latus tenens, habitatumque quondam incolis ter mille, nunc solo æquatum est; quamobrem Algerium vetus nonnullis indigetatur, quod ex ejus ruinis stare Algerium urbem paulo ante descriptam existiment.

Medujara oppidum recens conditum, ab Asano Algerii Turcico nomine Præfecto, dissitumque introrsum versus Orientem quinque à Safran amne milliaribus, à Mauruſiis Mudajaranis ex Castilia Andalusiaque Hispanæ ditionis regnis expulsis, Tagartanisque Valentiæ regno ejectis incolitur. Inter Medujaram atque Algerium urbes in mari portus occurrit, authori cuidam Gallico *les Cassines* dictus, remotusque Algerio milliaribus quatuor, in quem se naves solent tempestate inopinanter exorta recipere. Quondam *Thor* oppidum huic portui adsedit, cujus adhuc

adhuc ruinæ ſpectantur. Ternis à portu milliaribus locus eſt *Marcaduben* dictus, ab Algerio parum ultra ſeſquimilliaria disjunctus, juxta quem fœcunda fultis graminibus prata Algeria Algerianorum civium paſcunt armenta.

Cæli ſolique qualitas. Qui Algerium urbem aër circumſtat, adeo temperatus marinis ab undis flatibuſque ventorum exiſtit, ut etiam, cum Iulio menſe fervet æſtus, folia in arboribus nunquam marceſcant, aut hiberno rigore delabantur. Hyemis apud Algerianos idem fere exitus eſſe ſolet, qui menſis eſt Februarii; tunc enim mites hic Zephyri gemmas floreſque eliciendo, ceraſorum prunorumque copiam Majo ineunte promittunt; exeunte vero pomorum ac pyrorum dulcem ſobolem; ac Iunio menſe vix ad medium perducto uvas maturas ſuppeditant, ficubus, perſicis, pomis & nucibus ceteriſque fructibus ſerotinis autumnale tempus exſpectantibus. *Fructus.* Uvas hic videas cubitalis longitudinis, cepas vero ſupra modum fidemque magnas. Melones ſpecie noſtrates referunt, at ſapore longe ſunt gratiores, generiſque quadruplicis. Primi æſtivi; hiberni alteri appellati, quibus poſtremis per omne anni tempus veſcuntur, tertii, ut primum ſunt ore excepti, liqueſcunt, liquoreque ſuo mirifice ferventia viſcera temperant; quarti, Regii dicti, ac vix grandiorum magnitudinem pomorum excedentes, teneritate ſua ſive mollitie illico in gratiſſimum liquorem abeunt: quo Nicolajo Orientales peragranti regiones nihil delicatius narratur. Atque horum fructuum copiam circum Algerium poſiti montes colleſque, ac late diffuſæ valles largiuntur, in quibus ſupra memorati horti ſua directis ordinibus loca ſortiuntur.

Aquæ. Dulcium, quas in urbe diximus requiri, aquarum extra urbem eſt affatim, pleriſque hortis effoſſo puteo inſtructis, vallibuſque & montium adeo acclivitatibus riguis, ac per Metijæ campos modico flumine ſerpente. *Frumentum.* Tanta autem ineſt campis hiſce fœcunditas, ut centuplici ſæpe fœnore accepta ſemina reſtituant, biferique exiſtant frumenti, hordei, avenæ, raparumque. Herbarum feracitatem pecori alendo commodam omitto, ut iiſdem cum vicino tractu communem.

Metalla. Memoratæ plerorumque fertilitati locorum, degeneres quidam in littore montes ſua ſe ruditate ſterilitateque opponunt, deſertis, quæ ferarum populus incolit parem ſortem obtinentibus. Putat nihilominus Haëdo, hæc ipſa loca metallis abundare auri, argenti ferrique.

Animalia. Quæ hominibus inculta ſunt loca, ea leonum, ſtruthionum, hiſpidarum hyſtricum, aprorum (quos cum nonnullis Majolus nullo jure Africa patria exturbat) cervorum (qui ab Ariſtotele & Plinio Africæ regionibus negantur, veriuſque tribuuntur à Virgilio) erinaceorum ſive echinorum, chamæleontum, ſimiarum, boum, aſinorum, felium, vulpium, canum noſtratibus diſſimilium atque ortorum ex his monſtrorum, aquilarum, aſpidum, aliarumque volucrum ac reptilium animalium familiæ promiſcue tenent.

Lingua. Lingua Argelianis antiquitus Punica fuit; poſtea domito à Romanis orbe terrarum, Romana, quemadmodum multæ inſcriptiones Latinæ, & apud Algerianos, Sargelanoſque viſendæ teſtantur; demum Arabum per Africam creſcente potentia, Arabica; adeo ut nunc acta publica literæque lingua utraque Turcica atque Arabica pro arbitrio ſcribantur. Ceterum non in hoc ſolum loco Mahumetani, ac Chriſtiani, verum in omnibus etiam regionibus Orientis lingua Franca, ex Gallica, Italica Hiſpanicaque compoſita, propius tamen ad Hiſpanicam accedente utuntur, qua mediante omnes tres perfecte intelligunt.

Regimen. Imperat Algeriano regno Rex, Turcarum Imperatoris arbitrio impoſitus, depoſituſque, Sultanus incolis appellatus, hoc eſt, ſupremus dominus, Mauruſiis Rex, Turcis vero inferiore titulo *Baſſæ* ſignatus, quem impertire ſolent amplarum regionum præfectis, ad differentiam San-Iacobæorum corrupte Sangiacs dictorum. Chriſtiani Algerii regem Celſitudinis vocabulo honorant, ac *Affendii* magnatibus proprio, *Sidique*, qui etiam ad mediocres ſpectat, titulis Dominum ſignificantibus, venerantur. Tanta ejus apud omnes authoritas eſt, ut morte piandum crimen committere videatur, ſi quis forte in Conſilio præſentem non veneretur applicitis contra pectus manibus; aut tranſeunti non voveat proſpera omnia fauſtaque; aut eodem loquente non conticeſcat.

BVGIA.

Nomen. BVgia, Mauris ſive Mauruſiis *Bigeija* ut & *Bugeija* indigetata, in maritimarum quoque Algeriani regni provinciarum eſt numero. *Limites.* Habet ea Algerianam provinciam ab Occidente, & Gigelanam ab Oriente. Antequam Turcæ limites ejus mutarunt, extrema verſus ortum Mauritaniæ Cæſarienſis portio fuit, cujus termini erant ab Occaſu Argeliana regio in confinio urbis Tenez; ab Oriente Africa Minore in confinio oppidi Col; à Septentrione Mediterraneo mari; à Meridie verò Numidia ſive Gætulia.

Dimenſio. Quondam provincia hæc Tunetano regno, teſte Leone, ſubjecta (qui falſitatis illos arguit, qui regnum eſſe exiſtimant) & à Magior fluvio ad Conſtantinæ montes uſque ſecundum Interni maris littus procurrens, longitudine complebat milliaria centum & quinquaginta, latitudine vero tantum quadraginta: At hodie contractis terminis pluria Bugiæ loca in vicinarum ditionem regionum abiere.

Loca. Complexa fuit quondam Bugia, præter caput ſuum, unde regioni univerſæ eſt nomen, munimentum *Gigel*, *Micilam*, *Miganam*, *Teztezam*, *Zamoram*, *Necauſium*, monteſque *Benijubar*, *Auraz*, & *Abez*, Marmolio referente; ſecundum Gramajum vero, *Gigel*, *Micilam*, *Stefam* ſeu *Diſtefam*, *Necauſium*, *Collum* & *Succaydam*. Verum noſtro ævo ſeparatam Gigel provinciam conſtituit; Collo vero & Succayda, teſte Marmolio, Conſtantinæ provinciæ ſemper adhæſere.

Itaque non alia nunc in Bugia loca requiras,

ras, præter *Bugiam* urbem cognominem, *Gibralaër*, *Micilam*, Diſtefam, ipſoſque Bugiæ montes.

Bugia urbs, Arabibus *Bugeija*, à quibuſdam vetus *Thabraca*, ab aliis *Igilgilis*, aut *Vzicarh*, aut *Saldæ* Ptolemæi reputata, in littore maris Interni triginta verſus Orientem Algerio, & duodecim Occidentem verſus à Gigel milliaribus, è vaſti montis acclivitate deſpectat.

Murus urbem circumcingit antiquitate, firmitate atque altitudine cenſendus; ædificia octies mille interius præſtant ornamentum, ambitu viginti quatuor millium capace, niſi acclivitas urbis ab ædificando arceret. Templa collegiaque in ea ſunt plurima Scholaribus Doctoribuſque pariter inſtructa, cœnobia item, balnea & xenodochia magnificis operibus ornata. Obnoxia quidem urbs eſt acclivitatibus declivitatibuſque; attamen viæ pleræque & ab ædificiis, queîs ſtipantur, & à rectitudine laudem merentur. Qua in montana urbs vergit, arcem conſpicias, paſſim muſivo, plaſticoque, ac ligneo opere mirandam, ſuperinducto ad illuminandum colore Cyaneo. Ab Orientali Bugiæ urbis parte Huet el Quibir, hoc eſt, ingens amnis, in mare devolvitur. Reliqua hujus provinciæ loca ſunt; *Micila*, *Tezteza* ſeu *Stefa*, & Necauſium. Micila ſeu Meſila, in finibus Bugiæ Numidiæque quinquaginta ab urbe Bugia milliaribus locata, & tamen adhuc ad hanc provinciam ſpectans, La Abez montis jugis ferme tota circumdatur. Stefa, quæ ſecundum Gramajum *Diſtefa*, ſeu potius *Diteſa*, at verius *Tezteza*, Marmolio teſte, appellatur, & pro Alphar Ptolemæi communiter accipitur, à mari procul in interiora recedit milliaribus à Bugia verſus Meridiem vicenis, poſita in amœniſſima planitie, Bugiam inter montemque La Abez porrecta, cinctaque mœnibus quadrato ex lapide conſtructis, diruta quondam ab Arabibus, ſed nunc reſtaurata & ſat frequenter inculta.

Necauſium, olim *Vaga*, in amœniſſimis urbibus Barbariæ locanda, in ripa cujuſdam amnis ſedet tricenis à littore milliaribus, & vicenis à Tezteza, eſtque Numidiæ contermina. Murus ei eſt firmus, inſtruiturque templis, xenodochiis, collegiis, Palatio, balneis aliiſque ad publicam neceſſitatem ædificiis. Vnicuique domui adjacet hortus roſis, violis, caryophyllis, gelſominis, topiariis ex vite contextis, fontiſque aquis formoſus; adeo ut locus hic cujuſdam paradiſi terreſtris ſpeciem habeat.

Montes. Regio fere tota montana eſt à *Zararæ* jugis adſiduis, quibus omni ex parte clauditur, quorum eminentius *Beni Iubar* nuncupant, quod 18 diſtat Bugia milliaribus; ipſum milliaria longitudine decem, latitudine vero ſena complectens.

Iam ſi omnem illum montium Bugiæ textum metiri velis, eos in littore milliarium quinquaginta longitudinem occupare deprehendes, latitudine ad dena, & quibuſdam etiam in locis ad duodena excurrente.

Soli qualitas. Circumjacens Bugiam ager à fertilitate frumenti præcipue abhorret; optimorum tamen fructuum feraciſſimus eſt. Obſidet late urbem hortenſis amœnitas fructiferas in arbores inſtar nemoris diffuſa. Ex adverſo Necauſinus ager in læta ſegetibus arva ſe explicat, veſtitque perfluentis amnis ripam utramque frequenti nuce ficoque, unde optimæ notæ ficus habentur.

Loca Montana infœcunda frumento ſunt, fertiliora hordeo, nucibus, ficubuſque. Eadem lini cannabiſque feracia ſunt, unde textilium copia, ſed craſſiorum. Nec iiſdem ferri metallum deeſt. Sunt porro univerſi Bugiæ montes vultu ſilvoſo; quamobrem ſimiarum hic ac pantherarum quaſi quidam conventus celebratur.

GIGEL.

Nomen. *Gigel*, maritima Algeriani regni præfectura à cognomine oppidulo arce ſua defenſo, nomen accepit. Marmolius eam duobus nominibus *Gegel* & *Gigeri* vocat, capitque pro Ptolemæi *Igilgili*, quod & à Ruſcellio factitatur. *Situs.* Adjacet oppidulum mari ſexaginta ab urbe Bugia milliaribus, via qua hinc Algerium conceditur. Ædificiis quingentis circiter conſtat, ſed rudi opere exſtructis; imminet tamen è montis vertice arx, quæ univerſo tractui frenum imponit. Pertinet Gigelanum territo- *Dimenſ.* rium ad Numidiæ deſerta uſque, complectiturque montem *Auraz*, Bugiâ milliaribus 80, Con- *Auraz mons.* ſtantinâ vero ſexaginta diſſitum, longitudine circiter complentem milliaria ſeptuaginta. Mons hic ab aliis avulſus montibus ſe ipſo à Meridie verſus Septentrionem longo tractu porrectus, Numidiæ deſerta attingit, terminum à Micilæ, Stefæ, Necauſii ac Conſtantinæ territoriis ſortitus. Montis Auraz Procopius meminit, qui Auraſium appellat, aitque dierum decem itinere eſſe à Carthagine remotum.

Soli qualitas. Eſt Gigelanus ager aſperæ ſterilitati obnoxius, ingenio tantum ad hordeum producendum, linumque ac cannabim fœcundus, nucum item ficuumque eximie fertilis. Mons Auraz crebras in ſcaturigines erumpit, quæ planitiem ſortitæ ſtagnant, uſtæque ſolis ardoribus ſali coquendo idoneæ exiſtunt.

CONSTANTINA.

Situs. PRovincia regni Algeriani maritima quoque *Conſtantina* eſt, obſidens illum terrarum tractum, ut Marmolius refert, quem Numidiam recentem veteres dixere. Illi à capite ſuo nomen mutuatæ urbes olim fuerunt *Con-* *Nomen.* *ſtantina*, *Bona*, *Mele*, *Teſas*, *Vrbs*, *Ham Samit*, & *Beldelhuneb*, montes cognomento Conſtantinæ, montes Bonæ, & Conſtantinæ colles. At hodie *Vrbes.* Bona in provinciam erecta, Beldelhuneb, Bonæ montes, & Tabarcam inſulam Melamque territorio ſuo continet. Limites Conſtantinæ pro- *Limites.* vinciæ conſtituunt Magior & Guadelbarbar amnes, quo poſteriore à Tunetanis dirimitur. Metropolis ejus eſt Conſtantina, olim nominibus *Cirtæ*, *Cirtæ Numidicæ*, & *Cirtæ Tuliæ* inſignis. Marmolio *Culcua* eſt, coloniaque Numidiæ recentis, eodemque teſte, à Mauruſiis *Cuſuntina* indigetatur. Murus, qui urbem edito in monte poſitam cinctamque

ctamque Meridionali à latere inacceſſis rupibus, circuit, nigricante ex lapide compoſitus, pulchram ei validamque coronam præbet. Meridionales rupes Sufgemar amnis, altera quoque ripa ſtipatus rupibus ſubterfluit; unde urbs ipſa ab hac parte, providente natura, altiſſimam foſſam ad munimentum ſortitur. Septentrionali lateri ſingulari firmitudine murus tutelam præbet, augetque urbis robur montis cacumen, ita diſpoſitum, ut aſcenſuris in urbem bini tantum iique anguſti tranſitus pateant, alter ab Oriente, ab Occidente alter.

Domos circiter 8000 numerat Conſtantina, pluribus viis rectis latiſſimiſque diviſa, in quibus ſingulis aſſignata ſeparataque opificiis loca. A Septentrione arx viſitur, extraque urbem compluria antiqua ædificia eleganti opere occurrunt, ac inter cetera arcus triumphalis milliari ab urbe dimidio remotus, ſimilisque illis, qui hodieque Romæ ſpectantur. Sub rupibus qua excavatis ad flumen gradibus deſcenditur, juxta ipſum flumen exciſa è ſaxo concameratio exiſtit, nulla lapidum compage, ſed ſolida, pannos linteos aliosque lavantibus feminis præbens receptaculum. Terno lapidis jactu ab urbe calidarum fons aquarum emergit; paulo autem ulterius in Orientem abeunti fontem cernas frigida limpiditate amœnum, cui appoſitum ædificium marmoreum, exſculptis imaginibus auguſtum, quas vulgus opinatur improborum quorundam ſcholarium eſſe in hæc monſtra mutatorum.

Conſtantinæ quædam ſocia eſt *Chollo* urbs, *Sanutio* ſic dicta, olim *Cullu* appellata. Hanc quidam hodie *Alcol*, alii ſimpliciter *Col*, nonnulli auguſtius *Collo* indigetant. Quondam ea Bugiæ ſubjecta fuit, à Romanis in littore maris Mediterranei condita, ſitumque apertum in imis celſiſſimi montis cujuſdam ſortita. Ex rupe imminet ei arx tuto præterea portu in littore defenſa.

Sucaicada, inter Bugiæ quoque urbes ſuperioribus temporibus relata, nunc vero ad Conſtantinam ſpectans provinciam poſita eſt ad Internum mare centum ac triginta quinque milliaribus Conſtantina disjuncta. Portu commodiſſimo inſtructa eſt, juxta quem conſtrata lapide via inchoat, duarum leucarum ſpatio porrecta, cujus operis authores fuiſſe Romanos ipſa firmitudo demonſtrat.

Mela quondam etiam Conſtantinenſis ditionis fuit, ſed nunc Bonenſis eſt juris.

Montes. Montes Conſtantinæ multiplicibus jugis aſſurgunt, Septentrionali regionis parti Occiduæque modico à Conſtantina urbe intervallo prætexti. Hi in Bugiæ montium confinio textum inchoantes, eundem littus ſecuti in Bonæ finibus, peracto centum & triginta milliarium ſpatio, abſolvunt. Etſi autem ad Bonam urbem prope accedant; ſunt tamen Conſtantinæ provinciæ proprii.

Colles. Et de Collibus Conſtantinæ paulo ante memoravimus, qui Bonenſibus montibus Orientales, à Bonæ finibus Beggam uſque ab Ortu in Occaſum extenduntur ſpatio milliarium circiter 80, latitudine ad triginta milliaria contracta. Multæ per omnem Conſtantinam urbium arciumque à Romanis conditarum ruinæ viſuntur.

Sunt Conſtantinæ colles aquarum copia riguæ, ex quibus fluminum frequentia exiſtit, quæ interjacentes Mediterraneo mari, & collibus hiſce campos varie interſecant. Ager Conſtantinenſis inſigni fertilitate præditus, mandata ſibi ſemina tricies multiplicato fœnore reddit. *Soli qualitas.*

Par fertilitas Conſtantinæ montes commendat; quippe inter ipſos campoſque tractus terrarum medius, oletis, ficetisque, atque aliarum nobilium arborum copia obſidetur.

Colliculi Conſtantinæ ob infeſtantes Arabes maligne plerique coluntur, modico eorum receſſu excepto, quem gens quædam Arabum vim armata vi propulſans, tuetur & excolit. In calidis Conſtantinæ aquis crebræ natant teſtudines, quæ maligni ſpiritus mulieribus creduntur.

BONA.

Bona, olim *Hippo regius*, ſimpliciterque *Hippo* appellata, ac Conſtantinæ comprehenſa finibus, nunc maritimæ Algeriani regni præfecturæ titulo decora eſt, ſe ipſa, cum montibus, quos habet à Septentrionibus Meridieque, ac collibus, qui Bona Beggam uſque ab Oriente in Occaſum longitudine occupant milliaria 80, latitudine triginta, ſeparatam conſtituens provinciam. Extra Bonam urbem terra ſe illico in vaſtam planitiem explicat, continentem longitudine milliaria 40, latitudine 30. *Nomen.* *Dimenſio.*

Ad Bonam urbem quod attinet, quæ S. Auguſtini Epiſcopatu notiſſima eſt, eam Romani in ipſo littone Mediterranei maris, ſeu potius navigabile ad ſtagnum condidere, ex quo in modum fluminis æſtuarium emergit, quod vice alterna pro ut æſtus, aut repreſſit, aut impulit, nunc fertur in mare, nunc redditur ſtagno, & cui Plinius Iunior Delphinum geſtatorem colluſoremque puerorum attribuit. *Vrbes.*

Ceterum Bona aſperis celſisque ſcopulis impoſita, intus, & foris aquarum ſcatebris abundat. Sanutius ac Leo incultam maligne & pene deſertam aſſerunt, atque ex ejus ruinis *Beldelhuneb* ſeu *Beledel Vgneb*, hoc eſt jujubarum oppidum, ob earum hic naſcentium copiam, fuiſſe exſtructum.

Verum Marmolius in hoc fide dignior author, affirmat Bonam cum Afrorum Beledel Vgneb, unam eandemque urbem eſſe, fruſtra Sanutio & Leone poſteriorem à Bona, duorum intercapedine milliarium diſtinguentibus. *Mela* ſive *Mila*, olim *Tænarus*, Bonenſis quoque præfecturæ eſt oppidum, cui jam ab aliquo tempore paret, cum ante Conſtantinæ ſubeſſet, à qua leucis duntaxat 4 remota eſt.

Murus, quo cingitur Mela, quondam domibus ter mille inſtructa, ſed nunc pene deſerta, antiquitatem præ ſe fert. *Tabarca*, Bonenſis provinciæ locus, continenti adhærens, notusque à coralliorum piſcatu, obverſam inſulam habet in portum curvatam, quam à continenti ſenorum intervallum milliarium disjungit.

Ingens circum Bonam jujubarum naſcitur copia, *Soli qualitas.*

copia, quæ exſiccatæ, incolis hyemalem in uſum ſervantur; dactylorum quoque Nicolajo perhibente, fic uum melonumque hic affatim eſt. Suburbanus in latam ſe planitiem exporrigens ager fertilitate frumenti laudatur.

Ager Melanus pomis, pyris ceterisque fructibus eſt fertilis, at longe fertilior frumento; nec minus abundat pecoribus, quam Bonenſis ager, in quo boum, vaccarum, oviumque numeroſi greges paſcuntur. Montana loca pleraque Arabum ſunt excurſionibus deſerta; exceptis tamen paucis, quæ bellicoſa quædam gens vel invitis Arabibus mordicus tenet, infeſtantesque à finibus arcet. Ortæ montanis in locis hiſce ſcaturigines aquarum quorundam fluminum genitrices exiſtunt irrigantium planitiem, Colles inter ac *Corallium.* Mediterraneum mare porrectam. Vicino in maris tractu corallia probatiſſima ſcopulos inter ſub aquis naſcuntur, mollia, quæ alto extracta, partim in rubrum, partim in album, partim etiam in nigrum colorem lapideſcunt.

REGNVM TVNETANVM.

Dimenſio. ESt etiam Turcicæ ditionis *Tunetanum* in Africa *regnum*, ſub quo Conſtantina quondam, Bugia, Tuniſa, Tripolis atque Ezzabia, & conſequenter Africa Minor tota, Carthaginenſis ager, vetusque Numidia fuere comprehenſa. At hodie plerisque Bugiæ, Conſtantinæ, Tripolisque (quæ peculiari præfecto Turcico nunc gaudet) locis, atque adeo Ezzabia tota Algeriano regno adjectis, Tunetanum regnum fere cognominis provinciæ ſuæ finibus includitur. Recte igitur à Guadilbarbar, flumine, quo verſus Occaſum à Conſtantina provincia diſpeſcitur, ejus nunc ducitur initium, terminaturque ortum verſus Caps amne, qua is in lacum effuſus, paulo poſt cognominem in ſinum devolvitur, ac Tripolitana regione, quemadmodum verſus Auſtrum Numidia recenti.

Fluvii. Fluvii in ea noti, *Guadilbarbar*, *Magrida*, *Megerada*, & *Caps*. Guadilbarbar, qui & Nued Vlbarbar dicitur, è quodam colle dimidio milliari ab oppido Vrbs ſeu Lordus remoto prorumpens, moxque conſtructum è candido lapide canalem perlapſus plures oppidi molas circumagit; inde repetitis toties flexibus curvatur, ut Tuneto Bonam euntibus ob pontium navigiorumque defectum vicies & amplius ſit transvadandus. Magrida, olim *Catada*, Guadilbarbar amnis ramus eſſe videtur. Is poſtquam Choros oppidulum perlapſus eſt, apud Marſam ſeſe exonerat in mare.

Megerada ſeu *Maggiordeco*, ante *Bagrada* (cujus in ripa centenûm pedum longitudine ſerpens Scipionis Africani tempore fuit inventus) oritur, Sanutio teſte, è monte regioni Zeb contermino (Anania Vrſalam appellat) præfluitque Tebeſſam oppidum; inde in Septentriones tamdiu curſum proſequitur, donec apud Garelmeleh quadraginta circiter Tuneto milliaribus Interno mari mergatur. Pluvio cælo ſubitis ille auctibus tam late alveo ſe exſerit, ut viantibus ſæpe triduo in itinere ſit exſpectandum, donec ſe ſibi reddat, idque ex pontium & cymbarum inopia, præſertim quodam in loco duabus Tuneto leucis diſtante.

Caps, *Capis* ſeu *Capes* fluvius olim *Triton* dictus, profluit à Meridie è quodam deſerto (ſecundum Ananiam ex Vaſſalat monte) ac ſtatim arenoſis quibuſdam campis interfluente alveo diviſis, apud cognomine oppidum, unde vicino ſinui quoque eo loco, quo veteres minorem Syrtem poſuere, inditum eſt nomen, in mare Mediterraneum devolvitur. Fluminis hujus aquæ naturæ quodam ſecreto tam calidæ exiſtunt, ut hauſtæ primum unius horæ intercapedine ſint ad temperiem revocandæ, potari antequam poſſint. Quamobrem accolæ pridie aquas hauriunt, ut poſtero die earum commodior ſit uſus. Idem amnis juxta Elhama oppidum lacum efficit cognomento leproſorum, quod aquæ ejus vindicent à lepra corpora humana.

In montibus regni Tunetani primo *Sagoan* ſe *Montes.* offert, tricenis Tuneto milliaribus inter Ortum *Zagoan.* & Meridiem conſpicuus. Romani ejus in vertice, acclivitate radicibuſque arces plures condidere; at ex his ipſis præter parietinas ac Latino conſcripta ſermone epitaphia quædam nihil hodie extat. Ex Sagoano monte quoque per aquæductus advecta fuit olim aqua Carthaginem, aquæductuum ruderibus rem apertam facientibus. *Gueſlet* Cardoano duodecim milliaribus *Gueſlet.* diſtans, Tunetanos itidem inter montes relatus, adhuc Romanarum antiquitatum monumentis illuſtris eſt. Prædictis duobus accedunt duo alii montes *Benitefren* ſcilicet, & *Nufuſa*, interpoſito *Benitefren & Nufuſa.* deſerto à ſe invicem dirempti, diſtanteſque à Zerbi & Asfacus milliaribus decem. Præfecturæ Tunetano in regno maritimæ quatuor numerantur, totidemque interiores ſive Mediterraneæ. Maritimæ ſunt *Carthaginenſis* ſive *Goletana*, *Præfecturæ.* *Biſertana*, *Suſa*, & *Africana*.

In Mediterraneis autem recenſentur Cayrovana, Beggiana, *Vrbſica*, & quæ ex *Numidiæ Libyæque* unitis partibus conſtat.

Porro caput univerſi regni *Tuniſi*, Ptolemæo TVNETVM. *Themiſſa*, male à quibuſdam *Teniſſum* appellatur, quod oppidum eſt Numidicum ad ſinum, hinc centum ac quinquaginta diſtans milliaribus. Qui autem Tunetum ac Carthaginem eodem prorſus ſitu confundunt, vehementius mihi errare videntur. Latinis hæc urbs Tunetum dicitur, Italis *Tuniſi*, & *Tunis*, Hiſpanis *Tunez*, Francis *Tunez*, Provincialibus ſeu Provinciæ incolis Tunis, Arabibus, Turcis, Maurisque indigenis *Tunus*, Appiano vero *Tunex*. Sinui ea adſidet, qui lacum Goletanum efficit, diſtatque Carthagine veteri leucis quinque, ab ipſo vero Mediterraneo mari leucis quatuor. Palatium ab urbe ſi dirimas, quadratam ea figuram, longitudine tamen ſuperante latitudinem, ſortitur. Ambitus ejus, Grammayo autore, milliarium fere eſt trium, Anania eundem ad quintum extendente milliare. Murus quadraginta cubitorum altitudine educitur, pluribus paſſim turriculis diſtinctus. Erant & urbi propugnacula, vallum foſſaque ante poſtremam ejus oppugnationem à Turcis factam; ſed hi deinde eadem ſunt demoliti. Portis aperitur octo, diſtinguiturque viis principalioribus octodecim, quas

mino-

minores viæ multipliciter interſecant. Fora rerum venalium præcipua denario ſunt numero; templa autem, præter Majus illud, & duodecim Chriſtianorum oratoria in ſuburbiis carceribusque viſenda, ſynagogas Iudæorum octo, Eremitarum Turcicorum cellulas viginti quatuor, omnino trecenta numerantur. Iam vero ſi balneorum numerum indages, quinquaginta reperies, ſcholas ſive gymnaſia viginti ſex, Collegia novem eorum, qui ad bonarum artium haurienda præcepta ſumptu publico aluntur. Xenodochia advenis recipiendis inſtructa, præter Chriſtianorum Hoſpitia, frequentiaque mercatorum diverticula, ſexaginta quatuor invenias. His officinarum millia terna accedunt deſtinatarum lanificio operi linificioque.

Præcipuum urbi ornamentum Regis in ea Palatium conciliat, quaternis porticibus, area lata, ſolariis, aulis, conclavibus eleganti opere, adjacentibus hortis, turribusque circumſtructis extrorſum magnificum atque auguſtum. Inter has delicias nihil æque Mahumetani mirantur, ac Theſauri conclave, in quo Tunetani quondam reges ſervabant legum codicem ab Elnuoechdino ſeu Elmohadino novæ ſectæ conditore compoſitum, à quo ſe genus ducere ajebant. Quamobrem eaſdem interpretandi facultatem ad ſe trahebant, ut quibus quam religioſiſſime ſuorum decreta prædeceſſorum ſervarentur. Editiorem porro urbis partem arx obtinet Occaſum reſpiciens, templumque Majus, à Zacharia rege in honorem cujuſdam è gente iſta ſanctuli, *Ameth Benaros* dicti, exſtructum. Templum hoc præterquam aſyli loco quod ſit, ac inſigni laxitate cenſendum, anguſtior ei ſpecies à columnarum ordine quadruplici, celſiſſimaque turri accedit; adeo ut, uno Feſſano templo excepto, omnium Africæ templorum ſit magnificentiſſimum. Habet quoque Tunetum deſtinatam Ianiſſaris domum, porticum mercatorum conventui tributam, ædesque recipiendis vectigalibus, & mercibus ponderandis. Reliqua inſignia ædificia virorum principum ſunt, ut Agæ, Sidi Iaferi, Sidi Mahometis Mediolanenſis, Sidi Iucep-Rais, Aclay Iucep Calabri Alcaidi Moræ, Rabadani Corſi, & Rabadani Cololi.

Ceterum, ut Sanutius & Gramayus perhibent, in urbe ac ſuburbiis domorum millia dena reperias; quem tamen numerum Granata, ceterisque Hiſpaniæ regnis ejecti Mauri mirifice auxerunt, inſtruendaque urbem varietate opificiorum, celeberrimum eam reddidere emporium cum quibuslibet Europæ emporiis conferendum. Perelegantem Tunetanæ domus ſpeciem exhibent, ex lapide conſtructæ, varieque introrſum atque extrorſum muſivo coloratæ opere, tabulatis cæmento conſtantibus, teſſelatisque ob lignorum inopiam. Pleræque tamen ſimplici contignatione evectæ, quædam etiam area contentæ, duabus tantum portis, antica quæ in atrium mittit, poſticaque, per quam in cætera conclavia eſt aditus, pateſcunt, intercedente aliquando portam inter utramque porticula ambulatoria, in qua Tunetani, quos ſibi conjunctiores habent, convivio ſolent excipere.

Tria circum urbem ſuburbia funduntur, quorum primum extra portam Bedſuvaicanam domos continet trecentas; alterum ex Bedelmanerana porta egreſſis obvium, aliquot mille ædificiis eſt frequens, utroque variis artificibus inſtructo; tertium Bedel-Bachariam extra portam eſt, quæ portam verſus mare ſignificat, dimidio tantum milliari Goletano à ſinu remotum. In hoc ipſo ſuburbio Venetis, Genuenſibus, aliisque mercatoribus Chriſtianis ſeparata ſunt à Mauris hoſpitia, licet domos habeat anguſtas humilesque, ac ter centenario numero contentas.

Soli qualitas. Caret Tunetum & fontanis & putealibus, & profluis aquis, pluvias duntaxat ciſternis excipiens ſervansque.

Aquæ. Eſt tamen in ſuburbanis ſalſarum puteus aquarum, quas hauſtas in urbem portant, quod eas ciſternanis ſalubriores eſſe arbitrentur. Habet quidem urbs puteum aquis mediocriter dulcibus refertum; ſed à communi uſu ſecluſum, & Regi duntaxat ejusque domeſticis ſervatum. Molendina aut jumentorum circumaguntur labore, aut hominum, pauciſſimis exceptis, quæ modico ab urbe intervallo tenuis beneficio fluminis volvuntur.

Frumentum. Ager Tunetani regni, ſi univerſe loquamur, in Occidentalioribus partibus aliqualem propter irrigantes paſſim aquas obtinet fertilitatem, Orientalibus earum defectu ſterilitati obnoxiis. Iam autem ſi locorum indolem, quæ Turcicæ ditioni accedunt, conſideres, cuncta adeo ſicca invenias, ut ad colendum frequentiſſima irrigatione indigeant. Huic malo ſeu aquarum inopiæ Arabum infeſtatio adjuncta, frumenti annonam Tuneti ſupra modum flagellat, incolis duntaxat hordei frumentique modicum in ſuburbiis colligentibus, idque ex agris, quos puteis rigationi inſtructos, muro ad arcendos Arabes ſepſere; cum cetera omnia ſuburbana adſiduis excurſionibus iidem Leone ac Sanutio teſtibus infeſtent. Videas quidem extra urbem hinc inde fructiferis arboribus conſitos hortos; at eorum exiguus eſt numerus. Chryſomalorum *Fructus.* in his, malorum limoniorum, dactylorum, & id genus aliorum fructuum copia mediocris eſt; at circum urbem duarum ſpatio leucarum olivitas largiſſima eſt; unde non ſolum Tunetanis, ſed etiam exteris oleum ingenti copia paratur. Incolæ ob rei lignariæ penuriam iſta olearum frequentia allecti, abſciſſos ramos truncosque in carbones convertunt. Crebra in ſuburbanis roſeta invenias, aliisque eximii odoris floribus picturata loca, inter quæ Barbo locus ab hortis Regiis prætorioque notiſſimi. *Flores.*

Animalia. Animalium Tunetano in regno felix proventus eſt; montana quippe loca leones, boves, vaccasque ſilveſtres producunt, ſtruthionibus ac ſimiis univerſa regione repleta. Omitto Chamæleontum, hinnulorum, leporum ac phaſianorum numeroſos greges, de equis ſolum, camelisque loquor, quorum viliſſimum hic precium eſt.

Montium conſtitutio. Mons *Zagoan*, altitudine ac frigore horridus, apum tantummodo, hordeique eſt genitor. *Gneſlet* pomis ſiliquisque abundant. Benitefren & Nu-

& Nufuſa nihil ferme præter hordei modicum ſuppeditant.

Præfectura Goletana, ſub qua Carthago, Marſa, Neapolis Barbariæ, Cammarta, & Arriana, inter Tunetani regni provincias Principatum tenet duabus maxime de cauſis, cum, quod veluti clavis ſit univerſi regni, tum etiam, quod illam Romæ olim æmulam Carthaginem ſuo ambitu contineat. *Goleta* à quodam pro *Galatha* inſula, ſeu Ptolemæi Galathe, quæ *Gulon* Plinii eſt, male accipitur; cum plures alii his vocabulis dualitatem locorum ſitus utriusque argumento, & Goletæ nomine, (quod diminutivum eſt ab Italico Gola ſeu Gula Latinorum) ſignificent. Poſita eſt autem Goleta in inſula ſeu monte potius, mediis ſurgente ex aquis, & planum verticem habente, ad fauces lacus cognominis, qui Tunetum abeuntibus minoribus transfretatur navigiis. Munimento huic Saraceni primum, turrim in inſula exſtruendo, initium dedere; poſt à Turcis in munimenti formam redactum, Carolus V, Imperator ſuæ poteſtati ſubjecit, Turcis deinde anno 1574, Porto Carero præfecto Hiſpanico, recuperantibus. Ex eo tempore à Turcis navium ſtatio ampliſſima, domus ſeu cellæ condendis mercibus, domus vectigalibus exigendis, carceres cuſtodiendis mancipiis Chriſtianis, & templa duo Goletæ adjecta, oppidi cujuſdam faciem impreſſere. *Goleta.*

Murus Goletam duplex circuit, aggeribus, & triplici propugnaculorum ordine ad obſervandas naves inſtructus. Eſt quoque hic dulcium puteus aquarum, canalisque munimentum interſecans, utrimque ſaxeo opere eductus. Veteris munimenti Goletani nunc rudera ſolum ſuperſunt, inque medio propugnaculi pars adhuc viſitur, à Tunetanis ad portus cuſtodiam Ianiſſaris 34, & decem machinis bellicis inſtructa.

Marſa, quod nomen Arabica lingua portum ſignificat, oppidulum eſt, eo loco conditum quem (ſi Marmolio & Leoni credimus) portus Carthaginis veteris tenuit; at rectius, Gramayo autore, contra hunc portum locatur. Conditor oppiduli fuit Mehedius Califus Carvani, poſtquam Carthago eſſet ab Arabibus everſa. Verum acre deinde bellum Arabibus cum Tunetano rege gerentibus ab iiſdem & huic loco vaſtitas illata eſt, quem interjecto tempore non multo piſcatorum, operariorum, & eorum qui linea textilia inſolando dealbant, turba excoluit.

Ceterum Regium ei Palatium eſt, forisque ſeceſſus aliquot amœni, Tunetanorum regum æſtivis viſitationibus notiſſimi. Domos circiter 800 continet, templum unicum cum collegio ab Muleyo Mahomete, Muley Haſceni regis Tunetani patre exſtructo.

Nebel ſeu *Nebilis* Mauris Nabis dicta, ad Goletanam quoque præfecturam ſpectat. Illa ſecundum ſcriptores Africanos quondam fuit appellata *Neapolis*, Italis eam hodieque Neapolim Barbariæ, aliisque Neapolim Ptolemæi coloniam, ſeu potius ejuſdem Leptim, aut Strabonis Neapolim indigetantibus. Situm ea Romanis conditoribus in Mediterranei maris littore tenet quatuor Tuneto verſus Orientem leucis, quondam frequenter inculta; at nunc paucis operariis ſeu colonis ac hortulanis habitata.

Cammartia, tenue oppidum eſt, Carthaginis ruinis proximum, Tuneto vero verſus Septentrionem leucis tribus disjunctum. Olim Valachiæ id habuiſſe nomen conditumque fuiſſe à Romanis author quidam Africanus, Aben Raxid dictus, commemorat. Muro ceteroqui prælto circumdatur, incolasque habet frequentes, ſed hortulanos ſeu culturæ hortorum plerosque addictos, & fructus herbasque laboris pretia Tuneti vendentes. *Cammartia.*

Arriana, quæ olim *Abditana*, ut Marmolius ait, oppidulum eſt unico verſus Septentriones milliari Tuneto remotum, conditumque à Gothis Arianis, qui à ſecta ſua ſeu hæreſi, ut Leo narrat, loco nomen impoſuere. Atque hinc facile adducor, ut credam nullum unquam aliud Arrianæ nomen fuiſſe, quam quod in hanc diem retinet. *Arriana.*

Via, quæ Goleta Tunetum ducit, verſus Ortum *Arradez* oppidulum oculis ſe ingerit, quod Romanorum colonia (*Cuyna* tunc vocabatur) iis adhuc temporibus fuit, quibus Arabes Mahometani Africam invaſere. Dirutum ab his ipſis Arabibus oppidulum Tunetani poſtea reges reſtauravere, arcis muro, qui ceciderat, nova molitione erecto. *Arradez.*

Carthago, Græcis *Car Chedon*, *Cadmia*, *Oenuſſa*, *Caccaba Byrſa*, ac Libya Metropolis indigetata, à Commodo quoque Imperatore Alexandriæ Commodiæ nomen accepit, cum ante à C. Gracchio inſtauratore Iunoniæ fuiſſet cognomento inſignis. Ea nunc Afris Berſac, & Carthago promiſcue, turrisque in monte, quem Burſa arx olim inſedit, conſpicua, *Almenara* appellatur; quanquam turrim Chriſtiani communiter Italico vocabulo *la Rocca*, & arcem Maſtinacum nuncupant. Quidquid autem hoc de nomine ſit, ea nihilominus, aut ſaltem promontorium ejus veteris nominis eſt retinens. *Carthago.*

Ab Eliſa ſive Didone, atque à Libyphœnicibus ſeu Pœnis è Phœnice Tyro Duce Didone profectis Carthaginis extitiſſe initium plerique cum Virgilio ſcriptores exiſtimant. Dido Pygmalionis ſoror, & Agenoris ſeu Beli Tyriorum regis filia, ac Sichæi Phœnicis conjunx, cum ob relictam à defuncto marito Gazam inſidias pateretur, ſaluti ſuæ fuga in Africam conſuluit. Hic nullius ſoli domina, tantum ſibi terrarum emendum putavit, quantum corio poſſet bovino circumdare. Illa igitur conciſa minutim in ligulas pelle bovina, tantum his ſpatii complexa eſt, quantum Byrſæ (quod nomen corium ſignificat) arci primum, tum conditæ à ſe urbi ſuffecit.

Marſam ſive Carthaginem circumpoſita loca aëre temperato fruuntur beneficio ventorum à maritima parte perflantium. In ſuburbanis, præcipue vero Meridiem verſus atque Occaſum, frequentes horti viſuntur, qui nobilibus arboribus conſiti, mala granata, aurea, citrea, limonia, oleas ficusque mira ſaporis dulcedine producunt. Hortos illico fœcunda planities excipit, ſed modico ſpatio porrecta, verſus Septentrionem montium jugis, mari & Goletano lacu, *Cæli ſoliquæ qualitas.*

verſus

verſus Septentrionem montium jugis, mari & Goletano lacu, verſus Orientem vero Biſertæ campis eam terminantibus. Ceterum tractus ille, qui leucarum quinque longitudine Carthagine Tunetum uſque protenditur, nec puteos habet, nec fontes, unius Tunetum uſque milliaris ſpatio excepto. Arrianenſe ſolum frumento fertile eſt. In Neapolitano agro nihil ejus coloni præter linum colligunt. Cammartinus ager laudati Sacchari, quod in arundinibus ſeu calamis creſcit, ac aliorum præterea fructuum ferax, quos & mediocri copia Cammartinus fert ager, ſiliquas præſertim.

Animalia. Marſanus ager ferarum copiam alit, interque has perdices quaſdam cinereo colore referentes noſtras; differentes aliàs, plumis circa pectus nigris, alis Liviæ ſimiles, cetera cinereo colore, pedibuſque ac roſtro communibus breviores. Herodotus ſingulariter ſerpentum apud Pœnos, leonum ac elephantorum notavit magnitudinem. Idem refert cynocephalos, hoc in tractu eſſe, aſinoſque cornutos. Goletano in lacu volucres inſigni proceritate viſuntur, *Mauris Luze*, Turcis *Calzavenſi* dictæ, queis crura tenuia ſunt, altitudine tamen duorum palmorum & dimidii, corpus ardeæ magnitudine par, ac plumis candidiſſimis veſtitum.

BISERTA. *Biſerta*, à nonnullis pro *Ityca* Ptolemæi, ſeu *Vtica* Cæſaris ac T. Livii accepta, magnanimi Catonis, qui inde *Vticenſis*, morte nobilis eſt. Is *Catonis Vticenſis mors.* M. Porcii Catonis pronepos à Pugna Pharſalica cum Scipione confugiens in Africam, ne in perſequentis Cæſaris poteſtatem veniret, Vticæ mortem ſibi conſcivit ipſe: quod quidem Cicero defendit, &, cui incredibilem quandam natura gravitatem dediſſet, ei potius hoc faciendum fuiſſe dicit, quam tyranni vultus aſpiciendus. Alii Vticam pro *Porto Farina* accipiunt, ajuntque Afris eam *Garel-Melha* indigetari.

Sunt quidam etiam, qui recens ei *Mazacharres* nomen imponant. Vtut ſit, illud certum eſt, Vticam hodie ab Afris *Benſart* ſeu *Benſerth* nuncupari, quaſi diceres Lacus filium; Seth quippe Africanæ gentis lingua Lacum ſignificat, quam nos corrupte Biſertam appellamus.

Situs. Sita eſt Biſerta in Veteri Conſtantina, in littore maris Interni, Razamuzath, veteribus promontorium Apollinis dictum, inter, & Bagradæ ſeu Megeradæ amnis oſtium, triginta quinque milliaribus Tuneto. Eam præfluit modicus è mari excurrens ſinus, qui Meridiem verſus ſe colligens arctanſque, in ingentem deinde lacum diffunditur, quem piſcatorum operariorumque caſæ complures, cum octo non contemnendis vicis circumſident. Eſt quidem Biſerta murorum ambitu non magno; attamen in ea familias ſex mille invenias. Habet porro hæc urbs includendis mancipiis carceres ingentes duos, condendis mercibus domum unam, turres duas & propugnacula ad portus tutelam exſtructa.

Campi Materii. Tendenti à lacu verſus Occaſum campi *Materii* occurrunt, Biſertanæ ditionis, quæ Goletanæ contermina eſt. Eodem ſpectat *Choros*, olim *Clypea* ſecundum aliquos, ſeu potius (ut mihi quidem videtur) *Curobis*; cum Clypea ab hodierna *Cuipia* ſeu *Calibia* non differat. Sedet *Choros* *Choros.*

in ripa Magridæ amnis octo Tuneto milliaribus. Id licet ſuperioribus temporibus Arabum quædam gens, *Beni Heli* appellata, diruerit, nunc tamen reſtauratum ſatis frequenter incolitur.

Porto Farina. *Porto Farina* ſeu *Portus Farinæ*, S. Ludovici Galliarum regis ab expeditione in Terram Sanctam reducis morte notus, procul dubio ad os ſuum Vticam habuit. Non procul hinc ipſo in mari tribus aut quatuor à continenti milliaribus Scopuli duo exiſtunt, *Canis* appellati, Biſertæ vicini.

Soli qualitas. Biſerta, quanquam in littore ſit condita, undique tamen dulcibus aquis abundat. Lacus adjacens varia piſcium genera ſuppeditat, inprimiſque, quos Doradas nonnemo appellat, libras quinque aut ſex plerumque ſuo pondere æquantes. Eodem in lacu Octobri menſe elapſo, certi piſces immenſo numero capiuntur, qui Hiſpanis *Lachas*, & Afris *Giarrafas* dicuntur, perſimiles illis quos Hiſpani Sabalos, Galli Aloſes nuncupant; duratque captura horum piſcium inde ad Maji menſis initium.

Campi Materii opimis ob inſitam fœcunditatem frugibus ſcaterent, niſi excurſiones Arabum præfectorumque exactiones adſiduæ incolas à diligenti cultura arcerent. Qui Choros oppidum circumjacet ager, admodum fertili eſt ſolo, habetque magna incolentium utilitate integram ſilvam proceris oleis conſtantem.

VRBS & BEGGIA. *Vrbs*, & *Beggia*, præfecturæ duæ ſunt, ſub quibus oppida *Hain Sammit*, & *Casba*, cum vaſtiſſimis campis.

Vrbs. Vrbs civitas, olim *Turridis* colonia, originem ſuam Romanis conditoribus debet. Poſita eſt in planitie prorſus amœna, 63 leucis verſus Auſtrum Tuneto disjuncta.

Plurimis ea reliquiis antiquitatum conſpicua eſt; quippe crebræ viſuntur columnæ marmoreæ, tabulæque portis inſertæ, ac Latinis characteribus inſcriptæ; muri item craſſitudine notabili quadrato ex lapide compoſiti. Eſt & ſua *Rivus.* arx urbi, quam inter & ſuburbia duo medius labitur rivus quidam, aquarum dulcium per canalem candidiſſimo è lapide conſtructum. Is inſigni commoditate incolarum molendina plura circumagens, ortum habet ex colle, quem medii intervallum milliaris ab urbe dirimit.

Beggia. *Beggiam* quoque Romani acclivitati collis impoſuere viginti quinque circiter à Mari, Tuneto vero 80 verſus occaſum milliaribus, via regia, qua Conſtantina Tunetum conceditur, cujus prima mœnia hodieque integra ſpectantur.

Hain Sammit. *Hain Sammit* ſeu *Zamit*, oppidum recens eſt, Beggia leucis decem remotum, à Tunetanis regibus eſt conditum.

Casba. *Casba* itidem conditores Romanos agnoſcit. Situm illa ſortitur leucis Tuneto 8 in media planitie, cujus ambitus leucas 4 complectitur. Primi ei adhuc muri conſtant quadrato è lapide erecti; at Arabum injuria maligne nunc colitur.

Soli qualitas. Quem Vrbs agrum poſſidet, frumentum is copioſe producit; quamobrem huc Arabes ſæpe per æſtatem excurrunt, repletiſque frumento ſaccis ad deſerta revertuntur.

Beggianus ager ea eſt fertilitate atque amplitudine, ut licet præter Beggianos haud tenuem ejus portionem Arabes colant, magna tamen adhuc pars jaceat inculta. Ceterum is credita ſibi ſemina reddit tam multiplici fœnore, ut apud Tunetanos in proverbium venerit, quod ſi duas videre Beggias liceret, numerus granorum multis partibus major eſſet futurus arenarum numero. Hain Sammitium ſolum fœcundum eſt, ac frumento admodum fertile, quam laudem quoque Casbanus ſibi ager vendicat. Queis Vrbs civitas incolitur, hos aëris aquarumque ſalubritas circumfluit, pecoriſque copia locupletat.

SVSA. *Suſa* quoque inter Tunetani regni præfecturas computatur, comprehenditque oppida *Hamametham*, *Heracliam*, *Monaſterium* & *Mahometam*.

Suſa provinciæ ſeu præfecturæ caput, ſemperque in Tunetanis urbibus relata, nonnullis Ptolemæi *Adrumentum* eſt; aliis *Siagul*, idque probabilius. *Situs.* Ædificata eſt à Romanis ultra Promontorium Mercurii, quod longo tractu in mare protenſum, ex omni Africæ littore quam proxime Siciliam accedit, Pantaleram inſulam ditionis Hiſpanicæ habens vicinam. *Pantalera inſula.*

Situm porro Suſa tenet in littore, ſed editiorem; quippe aſperæ atque inacceſſæ rupi impoſita eſt, diſtatque Tuneto milliaribus centum: Gemina ea cenſeri poteſt; cum pars una ſuperior ſit, ſitu inferiore altera. Domos habet perpulchras, templumque inter plura alia unum præcipue viſendum. Portus item in littore adjacet quadrato ad firmitatem molis lapide eductus. Hæc eadem urbs eſt, quam Philibertus Sabaudus anno 1619 Turcis per ſtratagema eripere conatus eſt. Quod cum ante diem inter Turcas eſſet vulgatum, evocati in auxilium Arabes, magnam ſtragem Philiberti copiis intulere, equitibus Melitenſibus quamplurimis deletis.

Hamametha. *Hamametha*, urbs nova à Mahometanis in littore exſtructa, ſeptendecim Tuneto leucis, & pro veteri *Macodama*, ut quæ ex hujus ruinis ſurrexerit, pro *Adrumento* accepta, valido nunc muro circumdatur. Sanutius, qui vetuſtatem ei abnuit, dicit à quibuſdam pro *Aphrodiſio* Ptolemæi intelligi, ſed horum opinionem probabilitate carere. *Mahometa.* Quæ nobis *Mahometa* urbs dicitur, ea vicino lacui nomen de ſuo imponit.

Heraclia. Heraclia oppidulum vetus eſt, à Romanis in vicino littoris colle exſtructum; at nunc Arabum injuria dirutum.

Monaſterium. Monaſterium ſuam quoque Romani coloniam appellavere; nomen autem à cœnobio monachorum S. Auguſtini inſtitutum ſequentium vicino invenit. Diſtat hoc oppidum Suſa milliaribus duodecim, & quinque ab Africa urbe, valido altoque muro circumdatum, & domibus firmo atque eleganti opere inſtructum.

Inſulæ Cumillieræ. Prædictis provinciis accenſendæ ſunt inſulæ duæ, quas *Cumillieras* appellant, quarum altera à Promontorio quodam vergente in mare abeſt milliaribus quatuor, altera à *Querquena* & *Gamelera* inſulis milliaribus circiter ſex diſtat. Sanutius ſuſpicatur duas haſce inſulas olim unam illam duntaxat fuiſſe, quam Ptolemæus *Cercinam* nuncupat, quæ tam modico aquarum intercedentium ſpatio erat à continenti disjuncta, ut ponte adiretur. Cæterum Plinius memoriæ prodidit, Cercinam inſulam longitudine occupare milliaria viginti quinque, latitudine duodecim. Verum rectius nos has ipſas inſulas Tripolitanæ ditioni (cui viciniores ſunt) adſcribimus.

Suſanus ager ſi fruges ſpectes, hordeo præcipue fertilis eſt; ſin autem ad fructus reſpicias, ficuum atque olearum ſubminiſtrat copiam, ceterà alendis gregibus benignus. *Soli qualitas.*

In Agro Monaſterienſi quoque felicius hordeum quam ceteræ fruges naſcuntur; cui fertilitati hortorum felicitas accedit, ficus, pyra, poma granata oleaſque incredibili copia proferentium. Suſanus ager etiam vaccarum proventu laudatus exiſtit.

Quæ nobis urbs *Africa* dicitur, eam multi *Aphrodiſium* Ptolemæi indigetant. Incolæ *Mahadiam* nuncupant ſeu *Mehediam*, ut Marmolius docet; nos cum Leone *Elmahdiam* vulgo appellari credimus, qui de portis ejus ferreis portuſque appoſiti munimine multa commemorat. *Africa.* *Nomen.*

Situs hujus urbis eſt in regni Tunetani littore. Qua ad eam mediterraneis ex locis acceditur, inter Septentriones & Meridiem ſpatium duntaxat interſtat ducentorum longitudine paſſuum, cetera urbis latera mare ambit. Ad iſthmum quod attinet, quo ipſa continenti adhæret, hunc duplex murus, lata ac profunda foſſa, turreſque plures ab incurſionibus defendunt. Poſt iſthmi anguſtias paulatim ſe explicat urbs, pelaguſque quaſi in gremium ſuum admittit ad turres donec accedat, quas Occidentale latus habet: verum magis magiſque ſe deinde diffundens, paulò poſt verſus Orientem arctatur, univerſaque linguæ figuram exhibet. Et quanquam qui mari prætextus eſt murus, minus firmitatis obtineat, quam qui in mediterranea vergit; non minus tamen, ob brevibus periculoſum hic mare, difficilem is præbet aſſultum. *Dimenſio.*

Porta urbis mediterranea ſingulare quoddam munimentum adepta eſt; nam, præterquam quod turres prægrandes ad tutelam aſſiſtant, per plures ea fornices, quorum introitus exituſque ferramentis ſedulo munita oſtia cuſtodiunt, ambageſque ſubitur. Antequam interioris urbis facies appareat, anguſtus tibi fornix ſeptuaginta pedum longitudine ſubtranſeundus, ſed adeo obſcurus, ut ingredientibus horrori ſit, utpote ſpeluncam magis quam introitum in urbem referens. Vbi has tenebras ſuperaris, & à mœnibus ſexcentis paſſibus verſus Septentrionem introrſum receſſeris, monticulum conſpicies paſſibus centum à portu diſtantem. Portus hic urbis mœnibus, relicto duntaxat anguſtiſſimo ſingulis triremibus admittendis ſpatio, incluſus, tutiſſimam intus per hyemem commodamque navibus quinquaginta ſtationem præbet, cum porta occluſa eſt, quam vallum turreſque tuentur.

Cayraoana præfectura *Cayraoanam*, *Tobultam* & Asfachuſam oppida complectitur. *Cayrovana* ſeu *Carvan*, cui temerario auſu quidam vetuſtiſſimis Geographis uſurpata nomina dedere, cum longo poſt tempore condita ſit, Tunetani regni eſt oppidum, ab Hucba ſeu Occuba Ben Nafico duce, à Califo Hutmeno ex Arabiæ regione miſſo *Cayraoan.*

miſſo exſtructum in loco, qui 36 à mari Mediterraneo, 100 Tuneto, atque octodecim circiter Carthagine milliaribus diſtat.

Is oppidum recens mœnibus è latere circumdedit, excitavitque magnificum in eo templum, marmoreis columnis ſuffultum, quarum duæ inſigni prorſus magnitudine purpuram ſuam intercurrentibus crebrò maculis albis ad modum porphyrites diſtinguunt. Ceterum Cayraoana ſita eſt ſicco arenoſoque in ſolo; ut irridendus Thevetus videatur, qui id oppidi in fluminis ripa locat, quo Tunetanus ager à Conſtantina provincia ſeparetur. *Tobulta*, quæ Bertio *Thabulta*, olim *Adrumetum*, ut quidam volunt, Romanos habuit conditores. Sedet ea in littore maris Interni, duodecim Monaſterio verſus Orientem milliaribus. Quondam frequentiſſime fuit habitata; at nunc ob infeſtantes Arabes parvo ædificiorum numero componitur.

Tobulta.

Asfachuſium.

Asfachus, quæ & *Esfacos*, *Esfacho*, ac *Alfachus*, ſecundum Marmolium; à quibuſdam, eam ab Eachs diſtinguentibus, pro Rhuſpina Ptolemæi accepta, ab aliis pro *Taphrura*, quam nonnulli cum *Fachs*, quæ ab Alfacho non differt, confundunt, Tunetani regni oppidum eſt, à priſcis illis Afris in littore maris Interni conditum. Id vaſto eſt validoque murorum ambitu, frequentius olim incultum, ſed nunc ægre quadringenta ædificia complectens.

Soli qualitas.

Adjacens Cayraoanæ planities tota ſterilibus, arenis obducta eſt; quocirca frumentum, ceteraque ad alendos incolas neceſſaria, aut Suſa, aut Monaſterio, aut Elmahdia, oppidis quadraginta milliarium intercapedine hinc diſſitis, ſunt advehenda: aquarum dulcium in urbe eadem penuria eſt, nec puteis, nec ulla ſcaturigine rigua, ſed paucis contenta ciſternis; at extra urbem conceptacula quædam, ſeu ſtagna potius cernuntur, pluviis aquis per certa anni tempora repleta; Iunio enim menſe exhauſta reperias, quod incolæ harum beneficio aquarum ſitibundum pecus ſolentur. Siliquæ Gueſleto ex monte; dactyli vero è Numidiæ portantur regione, centum ac ſeptuaginta circiter milliaribus remota. Asfachuſiano in agro ſolitarium hordeum naſcitur; in Tabulbano autem frequens ſe terra in oleas exſerit, ex quibus tamen vix ulla olivitas, excurſionibus Arabum vetantibus.

REGNVM TRIPOLITANVM.

Provinciæ.

TRipolitanum in Africa regnum Turcici itidem juris eſt, ſub quo hodie ſunt provinciæ, *Tripolitana*, *Ezzabia*, *Cyrenaica*, & *Marmarica* ſive *Barchana*, inſulæque aliquot, quarum præcipua *Menigis* inſula, quæ *Lotophagitis*, nunc *Gerbi*.

Ab Africa urbe littus legenti Asfachus primum, eique objacens inſula Querquennia, quæ olim ſecundum Ananiam *Ceraunia*, occurrit; tum Capis amnis, ante Triton dictus, ut & ſinus cognominis, in quo Syrtim minorem locavimus, ſtagnumque Tritonicum. Hic jam Tripolitanæ provinciæ, quà illa in Occidentem vergit, initium eſt, Meſrata eandem ortum Solis verſus terminante. Terminatur igitur provincia hæc Marmolio teſte, ab occaſu Tunetana regione; à Septentrionibus mari Interno, ab oſtio ſcilicet Capis amnis ad Mezellatæ confines uſque; à Meridie Numidia, Libyaque, ſive Zahara; ab Oriente vero Cyrenaica clauditur. *Limites.*

Loca in ea clariora ſunt, *Tripolis vetus*, ac *nova*, *Capes*, *Machres*, *Elhamma*, *Zoora*, reliquis parum momenti habentibus. Tripolis vetus à Romanis condita, ac Gothis deinde occupata, tandem Mahometanorum direptioni permiſſa fuit ab Homaro duce eorum ſecundo. Sanutius eam parum frequenter habitari nunc ſuſpicatur, quod attrita ſæpius legatur, reſtaurata nunquam. Probati autores eam Tripolim, Neapolim, & Leptim magnam indigetant. Patria hæc eſt Severi Imperatoris, ut Spartianus ejus in vita teſtatur. *Loca.* *Tripolis vetus.*

Tripolis nova.

Tripolis Nova, quæ Tripolis Barbariæ dicitur, ad differentiam Tripolis Syriæ, Veteri Tripoli in littore maris Interni adſidet, qua diruta, recens hæc ab Afris arenoſo in ſolo exſtructa eſt. Elegans eam murus ambit, ſed minus validus; & ædificia Tunetanis ſimilia, viæque per urbem ordinate directæ. Viſa hic quondam magnifico opere conſtructa templa quamplurima, hoſpitales item domos aliquot, ac collegia: at hunc urbi ornatum bella, ut & multa alia ſuſtulere. Turcis illa nunc *Terabulus* indigetatur, Hiſpanis *Tripoli*, Mauris *Trebelis* ſeu *Tarabilis*. *Caps* ſeu *Capes*, vel *Caphis*, Marmolio *Caſce*, Afris *Cabez*, olim Tacape appellata, Tripolitanæ provinciæ civitas vetus eſt, ſinui cuidam maris Interni appoſita, validorum ambitu murorum, quos tenuis amnis præterfluit. Arx, in qua robur urbis conſiſtit, firmo quoque muro circumdatur. *Machres* ſeu *Maharaz* oppidulum eſt cum arce Tritonici ad fauces ſinus, avorum noſtrorum memoria ad cuſtodelam ejuſdem locatum, quinquaginta ab inſula Gerbi milliaribus. *Elhamma* Romani condiderunt loco, qui ab oppido Capes diſtat milliaribus quindecim. Mœnia ejus prægrandi ex lapide quadrato conſtant, portiſque ſupra inſertæ tabulæ marmoreæ inſcriptionibus inſignes hodieque viſuntur. *Capes.* *Machres.* *Elhamma.*

Zoara ſeu *Zoarat*, pro veteri Piſidone communiter accepta, pervetus oppidum eſt in littore exſtructum, quinquaginta circiter ab inſula Gerbi verſus Orientem milliaribus. *Zoara.*

Caſarnacar eodem in littore poſitum oppidum; & *Gichthis* vetus, Raſalmabeſque vulgariter intellecta, olim *Zabathræ* nomen habuit. *Caſaruacar.*

De Syrtibus quod eſt, minor, ut dixi, Tritonico in ſinu eſt, cujus ingreſſus crebra ob vada ſcopuloſque Querqueniam & Gomelaram inſulas circumpoſitos, periculoſiſſimus exiſtit; deinde modico hinc ſpatio Gerbi inſula ferme dicti ſinus faucibus oppoſita occurrit; denique Tripoli.

Minor itaque Syrtis ad Tripolitanam referenda provinciam, majore, quam Hiſpani *Baxos de Barbaria* appellant, ad Ezzabiam ſpectante. Ceterum Syrtis locus eſt in mari vadoſus, aquis nonnunquam abunde ſuperfuſus, nonnunquam modice

modice, aliquando vero iisdem destitutus sic, ut arenosa ejus facies appareat.

Lacus Tritonicus. Sed nunc de lacu Tritonico pauca attexam. Is minore Syrte comprehensus, quasi meditullium Africæ minoris tenet. Volaterranus narrat lacus hujus appellationis ternos duntaxat inveniri, Libycum scilicet, de quo nunc sermo est, & quem Minervæ natalibus clarum antiqui prodidere, Bœoticum, Thessalicumque. Verum Ptolemæus in hoc tractu lacus duos recensét, alterum Tritonicum, quem Marmolius Capes nuncupat, alterum Palladicum. Est & alius lacus Tritonicus versus Atlantem in littore Oceani cognominis sive Atlantici. Sanutius in hac regione Nufusam montem ponit, sed nos eum cum Benitefren monte rectius Tunetanæ regioni, Leone autore, tribuimus, qui alterum ab altero nequaquam divellit.

Montes.

Fluvii. Inter fluvios Tripolitani regni celebres computantur Casarnacar, Tripolis, Rasalmabes, & Magro, qui olim Ceniphus, uti Ruscellius perhibet. Omnes hi ex Atlante Majore profluunt, ac in Internum mare juxta ea loca, à quibus mutuati sunt nomina, sese exonerant.

Soli qualitas. Tripolitanus ager totus arenosus est, sterilisque adeo, ut vix modici frumenti sit ferax. Causam sterilitati dat se nimium effundens versus Meridiem mare; unde ceteroqui haud infœcundum solum, vel arenis obducitur, aut aquis demergitur. Omne igitur alimentum Tripolitanis commerciorum beneficio contingit, quibus urbem si orbes, fame pereant incolentes necesse est. Huic malo aquarum accedit inopia, quam puteis ac fontibus carentes, de cælo lapsam cisternis excipiunt, servantque fœtentem non raro. Est quidem Elhammensibus copiosa scaturigo aquarum, sed calidarum, & ab urbe sesqui milliaribus dissitarum. Has ipsas nihilo secius latis canalibus in urbem advectas, ubi horarum duodecim spatio ad temperiem frigusque reduxerint, in potum adhibent incolæ, sulphureo odore præditas, nec unquam potantibus saturitatem aut nauseam afferentes. Ex iisdem juxta urbem corrivatis lacus existit, qui quod curandæ sit lepræ idoneus, Leprosorum lacus indigetatur. Capes oppidum tenue flumen habet, calidarum non solum aquarum, sed etiam salsarum nonnihil.

Frumentum Tripoli perpetua annonæ calamitas ex soli circumjacentis orta sterilitate flagellat; dactylorum tamen feracissimus est Tripolitanus ager, quibus alium longe dulciorem fructum Sanutius addit, ex quo incolæ non ingratum palato, & cum quolibet conferendum vino liquorem exprimunt. Hic idem ille fructus esse videtur, quem Homerus Sociis Vlyssis oblivionem patriæ induxisse commemorat. Eadem dactylorum abundantia fruuntur, qui Capes oppidum incolunt, nec ullis præterea fructibus suis ob soli sterilitatem vescuntur, unico excepto, qui sub terra in fabæ magnitudinem crescens, ac amygdali referens saporem, perque omnem Tunetanam regionem communis, non comminuitur dentibus, sed exsugitur duntaxat. Arabes ei nomen *Halbhazis* indidere.

Insula Gerbi. Insula *Gerbi* à quibusdam pro *Meninge* seu *Lotophagite* Ptolemæi Pliniique; ab aliis pro Girba Antonini, proque Meninge Aurelii Victoris accipitur, qui ait sua ætate hanc insulam *Gyrbam* fuisse nuncupatam. Nonnulli Ptolemæi *Zetham* extremam, aut *Ægimurum* cum Gerbi nomine confundunt, dicuntque Theveto Glauconem insulam eandem esse. Hodie communiter *Zerbi* & *Zerbes* dicitur, Hispanis *Celves*, Leoni *Gerbo*, Arabibus, Anania teste, quondam Gezira, quod nomen insulam simpliciter significat, modernis vero Aigelbens indigetatur. Thevetus perhibet, eam Mauris olim *Zotophag* dictam fuisse, pulchra mehercle (si diis placet) à Lotophagorum nomine fictione desumpta. *Nomen.*

Iacet hæc insula ad fauces sinus Tritonici versus Occasum, ducentis circiter passibus à Syrte Minore distans, ut Plinius notavit, tamque prope ad Africum littus accedit, ut quondam ea continens fuerit ponte adita, quem externi metu exercitus incolæ diruerunt. Ambitus ejus est milliarium octodecim, uti Leo cum Gramayo testatur; secundum Ananiam vero milliarium viginti. Et tamen Plinius longitudinem illi tribuit milliaribus 35 porrectam, latitudinem extensam 27. *Situs.* *Ambitus.* *Longitudo.* *Latitudo.*

Ptolemæus in hac insula *Meningem*, *Gerramque* oppida locat; Plinius quoque præter Meningem Africæ obversam, in ea recensét *Thoar* oppidum adversam plagam respiciens; nonnemo autem prioribus *Sibilam* annumerat, cum ipsa insula (ut idem refert) à quodam Siciliæ rege anno 1159 direptam. At hodie nulla hic oppida, aut oppidorum species occurrunt, locis omnibus in humiles casas, paucosque versus Septentrionem pagos, queis vicina tutelam arx præbet, conversis. Thevetus *Zadaicam*, *Camusam*, *Zibidam*, *Agimar*, *Borgi*, *Rochetam*, Cantaramque frequentiora in hac insula loca recensét. *Loca.*

Soli qualitas. Solum insulæ quaquaversum in planitiem diffusum, ab arenis, quibus est obsitum, sterilitatis vitium sic imbibit, ut incolarum diligens cultura, crebraque, quæ puteis debetur, irrigatio vix ex eo hordeum sufficiens eliciat. Idem tamen in producendis dactylis, ficubus, uvis, oleis, aliisque fructibus supra modum fidemque existit fœcundum. Quod arborum genus Hispanis *Aliso*, Gallis *Alisier*, & *Micacolier* dicitur, ac huic insulæ vicinoque tribuitur littori, ad pyri altitudinem ascendit, foliis Ilici similis, quæ tamen minus dentata diffundit. Ceterum genus hoc arborum multiplex, à fructibus distinguitur. *Fructuum copia.*

EZZABIA. Ezzabia seu Azzabia, quam Numidiæ dat Leo, Tripolitani regni provincia est, tractus terrarum sequentes complexa, *Messalatam*, *Mesratam*, *Taurcam*, cum *Giarian* & *Beniguarid* montibus.

Limites. Initium Ezzabiæ ab amne illo, qui apud Tripolim novam mari miscetur, atque ab Occidentalioribus montium Giarian & Beniguarid partibus ducendum, terminante eam fluvio, qui in extremis Mesratensis tractus Ortum versus in mare devolvitur.

Loca. Sanutius in Ezzabia recensét *Ras Axarram*, *Tessutam* & *Rasamusaram*, *Lepidam*, olim *Eoam*, secundum Ruscellium in Ptolemæum, quam, vicinitate nominis monitus, pro *Lepti*, ex cujus ruinis

ruinis Tripolis ſurrexit, malim accipere; *Bratam*, olim *Blatam*, ut Bertius annotat, ac promontorium Giudeca ſeu *Zudica*, olim *Trierotum* promontorium dictum.

Montes. Mons *Garian*, qui in altiſſimis, ac frigori quammaxime ſubjectis montibus computatus, & longitudine ſua inter Ortum & Occaſum porrecta, leucas quatuordecim, latitudine vero quinque complectitur, Atlanti Majori Borealis eſt, ſeparaturque à Benitefren & Nefuſa, intercedentibus ſolitudinibus quibuſdam arenoſis. Vicos is univerſe continet centum & triginta.

Mons Beniguarid Tripoli leucis triginta duabus diſſitus, ac Majore contentus Atlante, loca incolis frequentia numerat centum & quinqua-

Soli qualitas. ginta.

Fruges producit Ezzabia avare, liberalior eadem in fructibus largiendis, ut dactylis, oleis & croco, quo præſtantiorem nuſquam terrarum invenias; hic quippe Cairum Ægypti urbem advectus, reliquo omni croco longe carius divenditur.

MECELLATA. *Mecellata*, antiquis Syrtis Major dicta, & Arabibus *Ceyrat el Quibir*, provincia eſt duodecim leucis verſus Orientem Tripoli disjuncta, porrectaque in littore maris Interni. Ptolemæus *Macomacam*, ſeu, ut alii legunt, *Callummaculan*, quæ recentioribus *Mecellata* dicitur, ejus caput conſtituit. Præter Mecellatam, *Lard*, *Cedic*, atque Euphrata, oppida ſunt, veteribus *Aſpis*, *Sacamaſa*, & *Pyrgos Euphranta* appellata, & incolis hodie frequentia. In littore eſt *Sibaca*, quæ apud Ptolemæum Aſporisburgi nomine indigetatur; tum Sorta promontorium, olim Hippicum, ſeu extrema Hippiæ dictum; poſt oppidum *Nain*, Ptolemæo locus Philenorum, Hiſtoricis vero Philenorum Ara, ad quam Carthaginenſes duorum Philenorum fratrum ſepulchra venerabantur, quod glorioſam mortem pro ſalute patriæ oppetiiſſent.

MESRATA. CYRENAICA. *Nomen.* *Meſratam*, Tripolitani quoque regni provinciam Marmolius pro veteri Cyrenaica ſive Pentapoli intelligit, contra Maginum, Barcana eam provincia complectentem. Recentioribus Corene, eodemque nomine primaria hujus provinciæ urbs appellatur; Afris vero *Ceyret*, cujus tamen pars in Libyæ deſerta protenditur.

Cyrenaica, Libyæ veteris portio, à Philenorum Ara (quemadmodum Geographi omnes teſtantur) ducens initium, Catabathmum uſque Nilumque, ſecundum Strabonem & Melam, olim pertinuit, continuitque Marmaricam; at Ptolemæo autore, Darnidem uſque excurrit, qua ab urbe Marmarica in Ægyptum protendebatur.

Limites. Meſrata, quam trium intercapedo leucarum ab urbe Tripoli ſubmovet, terminatur hodie ab occaſu Solis Mecellata; ab Oriente vero Barcana provincia, ipſa longo tractu Libyco mari

Loca. prætexta. Quinque urbes ejus, à quibus Pentapolis (cujus tamen nominis tractus Meſratæ membrum duntaxat fuit) appellata, fuere Cyrene, Berenice, Melæ Heſperia, Apollonia, Ptolemais & Arſinoë ſive Teuchira.

Cyrene. Cyrene, quæ teſte Strabone Callimachi poëtæ, Eratoſthenis, Carneadis, atque Ariſtippi Cyrenaicæ ſectæ conditoris patria fuit, Poſte-

lio pro Carvano ſeu Cayraoano minus recte accipitur, cum Carvanum, recentius conditum ſit oppidum, & Orientalius Interiusque. Oliverius tamen hoc ipſum moderno Corenes nomine ſignificat. Berenice Oliverio eſt *Bernich*; vetus Ptolemais Tolemeta; Arſinoë vero ſeu Teuchira, Trochara eodem autore nuncupatur.

Marmolius Cyrenen antiquo nomine dignatur; at Bernicen Bernic, Teuchiram Trocaræ, Apolloniam Bonandreæ, Ptolemaidem Ptolemetæ & Ptolemææ nominibus indigetat.

Sed nunc ex ordine præcipua tractus hujus loca aperiam. Ab Occaſu igitur ſumpto numerationis exordio, in littore occurrunt Alcudia, Ptolemæo Automelax; mox Sabbia, olim *Deranon* promontorium, ubi Philenorum oppidum fuit; poſt Salinæ, quondam navium ſtationes maritimæ. Sequuntur Zanara, Diarchea, locus portu notus, Inſula avium, milliaribus quatuor à continenti remota, Camera ſeu Cambra Mercatore auctore, olim Turris Herculis, Carcora, munimentum quondam inſigne, Diacherſis, Teionis ſeu Teiones, & Ardbrii. Iam ulterius tractum littoris, qui proprie Pentapolitanus dicitur, ſequenti obvia loca ſunt, *Bernich*, olim Bernice, & Heſperides, quibuſdam hic locantibus Heſperidum hortos; quos tamen alii in ripa Luci (qui & Lixos,) amnis conſtituunt, quemadmodum pluribus à nobis in Feſſani deſcriptione regni diſcutitur. Excipit prædicta loca primum amnis Milel, qui Ptolemæo Lathon ſive Lethon vocatur, nonnullis Leth, ſeu flumen Oblivionis, & flumen Inferni dictus, quem alii Hiſpaniæ tribuunt, ortumque ejus in Celtiberis locant; poſtea Trocara, Tolometa, Zadra, olim Auſigida; Longifana ſeu Longifaria, ante Templum Aptuchium; Arx *Araaz Auſen*, nautis Italis *Capo di Carena*, aliis Raxalſen, olim vero Phicos Promontorium dicta; Bonandrea ſive Apollonia, cum portu ſuo Nauſtahmo olim dicto, in quem Cyrenenſes ſe naves recipere ſolebant; Forceli, olim Eryphron; Favoro, ante Cherſis; *Darnus* ſive Dardania olim Promontorium Zephyrium, in Marmaricæ confinio Orientalem Meſratæ partem occupans. In mediterraneis ſunt Cyrene, Arquida, Quereda, Neapolis, & compluria alia loca. Cyrenaica, frequentiſſime olim in illo tractu, qua Pentapolitana dicitur, inculta, hodie tam in maritimis, quam mediterraneis locis, ob piratarum atque Arabum infeſtationes excurſionesque adſiduas pene deſerta eſt. *Soli qualitas.*

TAVRCA. *Taurca*, Bereborum ſeu Barbarorum regio eſt, Numidiam verſus porrecta, ambituque leucarum viginti. Solum ejus licet ab obſidentibus arenis ſterilitatem aliquam adſciſcat, abundat nihilominus frumento, dactylisque. *Situs.* *Dimenſio.* *Soli qualitas.*

Sunt Beriberi hi moribus agreſtibus, ſub tentoriis ex palmarum aliarumque ramis arborum contectis degentes, atque eadem ex gente, cum Mecellatenſibus profecti. *Mores.*

Parent illi nunc Turcis, quorum ſe ab jugo anno 1567, quadraginta dierum adſiduis pugnis vindicare conantes, tandem ad obſequium rediere ea conditione, ut rebellionis pœnam ternis aureorum nummûm millibus, & ſuorum depoſitione armorum redimerent. *Regimen.*

BARCA. *Nomen.* *Barca* antiquum eſt nomen, vetuſtiſſimis ſcriptorum Barcitas hoc in tractu cum Ptolemæo locantibus. Et quanquam Barce oppidum, populique Barcitæ in Cyrenaica communiter recenſeantur, nihil tamen id impedit; cum Strabo, & Mela Cyrenaicam ad Catabathmum Ægypti oppidum Nilumque uſque extendant, & conſequenter Marmaricam ſub ea comprehendant, à Ptolemæo deſcriptam, & nunc pro Barcana acceptam provincia. Quin etiam Strabo Marmaricos in Cyrenaica ponit; & tamen Marmaricæ hoc loco vix ullus mentionem injecit. Omnem vero regionem hanc quidam hodie non Barcam, ſed Mondibarcam nuncupant, dicentes corrupte ab Europæis fuiſſe montem Barcæ adpellatam, qui Cyrenaicam Marmaricamque complectatur; quanquam Marmolius Cyrenaicæ Meſratam conjungat.

Ceterum hodie communiter omnes hoc ſpatium terrarum Barcam indigetant, Arabibus idem *Sahart Barca*, hoc eſt, Deſertum tempeſtatis, & *Ceyrat Barca*, hoc eſt, via tempeſtatis, (quæ illis tenenda eſt, qui è Barbaria in Ægyptum concedunt) vocitantibus. Latiſſime patet Deſertum hoc, in extremis Meſratæ, qua ea Orientem ſpectat, ab Arraxiltino ſeu Raxaltino promontorio, quod Ptolemæo Cherſoneſus Major ſive Peninſula dicitur, Glaucunium promontorium atque Alexandriæ, quæ Mareotidis urbs eſt, confinium uſque.

Dimenſio. Eſt autem Barcana regio inter Occaſum Ortumque porrecta longitudine leucarum 450, latitudine vero inter Septentrionem ac Meridiem ab Interno mari in Numidiam uſque ſe extendente, leucarum ſexaginta, & ultra.

Loca. Loca in ea notiora ſunt, Raxaltinum promontorium, paulo ante nominatum, *Porto Trabucho*, olim Portus Batrachus, cui à mari in interiora recedens Augela (quam Leo tamen Libyæ attribuit) veterum Augilorum veriſimiliter ſedes, objacet; *Lucho*, olim Antipyrgus, & *Capo di Lucho*, olim Catyonium promontorium, Portus Moſolomar, Portus Salonef, olim Portus Panormi, quem ſequitur Catabathmus major, cui Ruſcellius Carto nomen indidit (erat autem Carto, teſte Mela, late exſpatians vallis, in Ægyptum uſque pertingens) & è regione Catabathmi quadringentis paſſuum millibus ab urbe Cyrene, ut Plinius Solinusque teſtantur, in mediterraneis erat Iovis Ammonis templum, in ipſa Ammoniorum parva regione exſtructum, quam vaſtæ ſolitudines arenoſæ leucarum quinque ſpatio porrectæ circumdabant. Computantur illæ inter Libyæ deſerta, aſſeruntque qui Meccam peregrinantur, Ammonii templi rudera adhuc extare; quamobrem iidem locum hunc vocabulo *Heſachbir* ab acervo lapidum indigetari perhibent. Quidam dicunt, quod idem locus nunc *Concorron di Mahomet* appelletur, recenſentque eum in Libya inter Iaſſiten & Teorrega, quæ loca tamen Numidiæ Leo aſſignat.

Sequuntur deinde Portus Albertonius, olim Portus Selinus, nunc quoque Portus Sudanus dictus, cujus os ſeu introitus eſt peranguſtus, ipſe vero multarum intus navium capax, & contra externarum pericula claſſium munitus; tum in conſpectu eſt Laguxi, olim Trifarchi; poſtea Promontorium ac Portus Raxa, pro Ptolemæi & Strabonis Parœtonio à nonnullis acceptus, quos Mercator reprehendit, Parœtonium cum Albertonio confundens. Ceterum Parœtonium Ammoniæ quoque nomen habuit, accipiturque pro quodam Ægypti in mare vergente cornu. Atque hæc in littore Barcanæ regionis præcipua ſunt loca; introrſum autem eſt Barce antiqua urbs, unde provinciæ nomen, cum amne, qui urbem præterfluit. Eſt autem propemodum univerſus Barcanæ regionis tractus ſoli aſperitate pariter ac ſiccitate ſterilis, locis iis exceptis, quæ tenues quoſdam vicos circumſidentia, frumentum dactylosque valde avare producunt; & tamen exiguam hanc annonam vicinorum populorum major indigentia, ovibus camelisque (quorum Barcana quidem regio fœcunda genitrix eſt, at herbarum inopia in alendis iiſdem noverca) permutatis, tenuiſſimam incolis relinquit. *Soli qualitas.*

REGNA

REGNA MAVROCANVM, ET FESSANVM.

Nomen. REgnum Maurocanum nunc obſidere veterem Mauritaniam Tingitanam totam, nonnullorum opinio eſt; alii hoc terrarum ſpatium à Feſſano occupari regno ſuſpicantur; quidam vero celebratus hoc ævo noſtro Geographus, unum Mauroci Feſſæque regnum conſtituens, ac Tingitanam cum Cæſarienſe Mauritania ejuſdem ditioni attribuens, tacitis limitibus rem quam quærimus in medio reliquit. Verum Geographorum recentiorum peritiſſimi quique, interque eos Cluverius, regna *Fez* & *Marocco* Tingitana provincia complectuntur, Algerianum Cæſarienſi aſſignantes Mauritaniæ. Populos utriuſque Mauritaniæ *Mauruſios* Græci dixere, Latini *Mauros*, ſed corrupte, cum Medi ante appellarentur, quos Hercules dux huic tractui terrarum colonos impoſuerat.

Limites. Clauditur Maurocanum regnum, quod Occiduam Barbariæ partem tenet, atque *Marruccos* Hiſpanis dicitur, ab Occidente & Septentrionibus Oceano Atlantico, ſinuque *de las Veguas* dicto, porrigitque littus ſuum à Meſſa tergemina urbe, ſeu faucibus Suſi amnis ad Azamor oppidum uſque, quo loco Vmabaria ſeu Ommirabih ſe in mare exonerat, cujus oſtium recentiores ab Azamor oppido cognominant. Ceterum Maurocana ditio Meridiem verſus Majoris juga Atlantis tranſgreſſa, in ipſa ſe Numidiæ deſerta inſinuat, ab Oriente Ommirabih flumen terminum adepta, quod ex Majore Atlante, qua is Dedes appellatur, profluens, dirimit Maurocanum regnum à Feſſano in Septentrionem vergente. Ad noſcendam porro Maurocani amplitudinem regni, opportune monuero, Mahometanos regionis hujus incolas dierum itineribus, non leucis Hiſpanicis locorum metiri diſtantias; ſingula tamen itinera Chriſtiani denario leucarum numero complexi ſunt.

Dimenſio.

Hac igitur ratione longitudo ſumma ab Ommirabih amne uſque ad Promontorium Aguer, quo Tarudanta à Maurocana regione diſcernitur, leucas implet ſeptuaginta. Excludit autem Tarudantam Maurocano regno Loreſius, cum tamen Suſanæ provinciæ innectatur, ſeparatumque olim eâdem regnum fuerit.

Latitudo Maurocani regni Mazagano Daram uſque computato, leucarum eſt ſexaginta. Littus ejus inter Ortum & Occaſum ab Azamor amne ad Promontorium Aguer ſeu Guer porrectum, leucas circiter quinquaginta occupat. Atque hic terrarum tractus multa nobilia loca portusque, ut Azamor, Mazagan, Safy, & complura alia amplectitur, varias item Arabum gentes, Tartarorum de more ad permutanda pabula plauſtris mapalia ſua circumferentes.

Provinciæ. Provinciæ Maurocani regni ſunt *Marroc*, *Hea*, *Sus*, *Duquela*, *Gezula*, *Eſcura* ſeu *Haſcora*, & *Tedla*.

Fluvii. Amnium in Occidentali parte clariſſimus is eſt, qui incolis *Sus* dictus, integræ provinciæ nomen imponit. Eum Sanutius pro Lixo accipit Hannonis navigatione admonitus, cujus in ripa veteres poſuere Antæi regiam cum Heſperidum hortis; at Leco amni verius id nominis debetur, Suſus autem peritiorum judicio ſcriptorum, Ptolemæi *Vna* intelligendus eſt. Origo fluminis, quo Hea à Suſana dimovetur provincia, ex Majoris Atlantis jugo eſt, quod Ilda dicitur, jugoque Demenſer accedit. Id ex alto à Septentrione in Meridiem delapſum, cognominem agrum tamdiu interſecat, donec Tagaroſto appoſitum, curſum in occaſum Solis avertat, rigataque deinde Meſſâ triurbe, apud Guertgeſſen ſeu Gartgueſſen, in Oceanum ſe fundat Atlanticum.

Tenſiſtus, qui Nubienſi Geographo *Tanſiſt*, haud tenuis amnis, juxta Animmey Maurocanæ provinciæ oppidum, è quodam Majoris Atlantis jugo proſiliens, indeque in Septentrionem per plana locorum decurrens, in Azafino Duquelanæ provinciæ agro in Oceanum exit Atlanticum, receptis ante Ecifelmel ſeu Siffemel, Niffis ſeu Hued Nefuſa, Agmet, Aſifnual, aliisque minoribus Majore ex Atlante ptofectis amnibus. Tenſiſtum male quidam pro Phuth Ptolemæi accipiunt; Marmolius autem oſtium Tenſiſti, Ptolemæi Aſamam eſſe ſuſpicatur, tribuens ei grad. VII longitudinis, & latitudinis ſeu diſtantiæ ab Æquatore XXXII.

Ecifelmel ſeu Siffelmel, Marmolio teſte Sicſiva monte producitur, at ſecundum Ioannem Leonem Sanutiumque ex Hanteta ſupra Maurocum profluens, humilia camporum ſectatur, donec à Tenſiſto interceptus, cum eodem devolvatur in mare.

Niffis ſeu *Hued Nefuſa* ejuſdem cum Siffelmelo originis eſt, ſupra Maurocum itidem erumpens, cujus tractum tamdiu ſinuoſus circumfluit, donec Tenſiſtum ſuis aquis adaugeat.

FEZZÆ ET MAROCCHI REGNA AFRICÆ CELEBERRIMA,

describebat Abrah: Ortelius.

OCEANVS ATLANTICVS, QVI HODIE MAR DEL NORT.

Occidens.

Meridies.

Septentrio.

Golfo de las yeguaz, *id est equarum.*

MARIS MEDITERRANEI PARS.

HISPANIÆ PARS.

Estrecho de Gibraltar.

MAROCCHI REGNUM

Terra de Indauzar

Suz reg.

Guzula reg.

Musinu dæ pop.

Vbidiua cali pop.

Ideuacal populi.

Campo de Cuz

Serra de Haha.

Marruecos

Hea reg.

Enedri pop.

Afgeni pop.

Hascora reg.

Ducala

Temesna regio.

Zenetæ pop. qui nunc Xauyi.

Serra Verde.

Gomdate.

Ruchi pop.

Tedles

Delligi populi.

Tamechia

Zuahiri populi.

Soba igne

Horari pop.

Algara regio

Elhalis pop.

Podeza gas.

Elchalati pop.

Gomberi.

Habat reg.

Errifitis

Beninia raz gens.

Serra Carnacar.

Edeelena

Huseini pop.

Fez

Chauz.

Nussini populi.

Campos de Anget.

Garet.

Milliaria Germanica communia

Agmetus, pulchrum flumen, atque adſidua claritate aquarum notandum, in Hanimmejo monte progignitur quodam ex lacu, qui Agmeto oppido, unde flumini nomen, vicinus eſt. Id directo verſus Maurocum urbem alveo, eundem ſub terra abſcondit, pauloque poſt è tenebris ad lucem reſurgens, ad Tenſiſtum properat, à quo deinde in mare devehitur. Ceterum Maurocum urbs duos inter amnes media, ab Occidente Niffim habet, ab Oriente Agmetum, Tefraſto, quod Maurocanæ provinciæ eſt oppidum, in dextera Siffelmeli amnis ripa ſedente.

Aſifnual, quod vocabulum Africana lingua ſtrepens flumen ſignificat, monte Sicſiva, qui Atlantis eſt membrum, ſupra Delgumuham eminentiſſimo in monte conditam, immenſo fragore præceps decurrens, domita mox ob obviam loci planitiem violentia, Heam à vicina diſcernit provincia, feſſusque curſu, poſtquam Secſava aliquanto auctior factus eſt, Tenſiſto ſupra Azaffium recipitur.

Tecevin, amnes duo, Gugidimo Atlantis membro, binis è fontibus, leuca unica à ſe invicem disjunctis, prognati, Haſcoram interluunt; tum ut Nigritarum amni, incolis *Hued la Abid*, dicto miſceantur, curſum deproperant. Vnum ex his amnibus ſignificaturis *Teceut* dicendum, utrumque, Tecevin utendum vocabulo eſt, quod gentis iſtius ſermone partium ex quibus fluunt diverſitatem adſignificat. Aquæ amnis utriusque in varios ramos ſive canales diſcerptæ, agris hortisque raram fœcunditatem conciliant. Ceterum ille, qui Razillii iter compoſuit, flumen Tecevinos recipiens non *Hued la Abid*, ſed *Habich* indigetat, quod Darha montibus ortum, inter Albenam & Bajador promontorium, contra Forte Ventura inſulam, quæ in Canariarum eſt numero, Oceanum Atlanticum ſubit. Diverſum eſt autem hoc flumen ab Hued la Abid, ſeu, ut ipſe vocat, Guadelabid amne, qui alio in loco mari miſcetur.

Huedla Abid, hoc eſt Nigritarum amnis, monte Animmejo oritur, leuca unica ab oppido Bzo, qua Eſcura Tedlanæ provinciæ confinis eſt. Is inter aſpera montium decurrens, profundasque perſtrepens valles, Tecevinis, paucisque aliis ignobilibus fluviis receptis, ipſe ab Ommirabiho, qua is latum tutumque vadum, incolis *Megerat Eſfa*, hoc eſt vadum æquum, præſtat, intercipitur. Leo, Sanutius, & (Marmolio excepto) plures alii eundem fluvium Guadelhabid, & Quadelhabid nuncupant.

Partem quoque Maurocani regni Habid tenuis amnis interfluens, Haſcoram à Duquela disjungit, deindeque ſuas in Tenſiſtum aquas devehit. Origo illi Teveſonio ex monte, ut Leo & Sanutius teſtantur.

Vma Rabea, Marmolio ſic dictus, aliis Ommirabih, & Sanutio Ommirabili, flumen ingens eſt, Magrano è monte, qui membrum ſeu ramus Atlantis eſt, qua Tedla Feſſanum regnum contingit, profectum. Id campos Adaſcum interfluens, inde peranguſtas in valles ſe inſinuans, magnifico opere pontem ab Abul Haſceno, quarto Marinorum de gente rege conſtructum oſtentat; directo poſt in Meridiem curſu, interjacentes Duquelæ Temeſinæque campos irrigat, donec, Guadelhabid & Derna amnibus primum receptis, in Oceanum apud Azamor oppidum aquas ſuas devolvat. Verno hybernoque tempore nequit vadari hic amnis; quamobrem accolæ homines mercesque fabricato ſeu potius conſuto ex inflatis pellibus caprinis pontone, eique corbibus ſeu cratibus affixis, trajiciunt. Certum in eo piſcium genus, Gallis *Aloſes*, Hiſpanis *Sabalos* dictum, immenſo capitur numero, quibus non ſolum qui Azamor Maurocumque urbes incolunt, aliqua anni parte aluntur, ſed Andaluſia quoque ac Portugallia inſtruitur. Ceterum communiter hic fluvius pro *Cuſa* Ptolemæi ſeu Ruſibida accipitur.

Derna, Magrano è monte ſcaturiens, inter Efza & Tefza Tedlanæ oppida provinciæ medius delabitur, collibus utrimque ſtipatus; mox avocato à Meridie in Septentrionem alveo, plana humectat, donec in Ommirabih amnem exeat.

Sicſiva, quibuſdam *Seſſava* & *Seffava* dictus, modicum flumen, cognomine è monte profluens, ſeparansque deinde Nefiſum montem à Semedo, Elgiumuham oppidum interluit, poſt Aſifnual amni permiſtum.

Tefethne, ſic appellatus à loco Heanæ provinciæ, juxta quem in mare egreditur, in Gebelelhadio monte naſcitur, à quo ad Heæ campos feſtinans, ſalutatis primum Ileuſugaghen, Teſed & Culeihata oppidis, ſciſſoque in aliquot ramos alveo, contra Magader inſulam mari demergitur.

Amnis, qui Sanutio Luſitanico idiomate *Rio dos Savens*, Hiſpanice vero *Rio de los Savalos* à piſcium hujus nominis copia indigetatur, Gabelelhadio monti originem ſuam debet. Is poſtquam quædam Heæ loca acceſſit, apud Amamam Oceano jungitur Atlantico.

Prædictis amnibus accenſendi ſunt *Teculeth* atque *Imiffin*.

Teculeth, Ruſcellio viſus Ptolemæi *Diur* eſſe, cognominem urbem præfluit, inter Goz ſeu Gozam Amamamque, modico ab oſtio amnis *dos Savens*, à Tenſiſti autem leucis tribus, in mare ſe fundens.

Imiffin in Guzula regione è Sicſiva monte productus, in Meridiem directo curſu, juxta Anſuler oppidum promontorio Non vicinum ſe in mare exonerat.

Soli qualitas. Aër.

Aër in hoc terrarum ſpatio ſiccior eſt calidiorque quam in partibus Europæ; in montibus tamen idem frigidior exiſtit, qui quo ſunt eminentiores, eo denſioribus teguntur nivibus, minusque caloribus ſubjecti, deſideratam fertilitatem excludunt.

Aquæ.

Quæ terræ Maurocano Feſſanoque in regnis in planitiem ſe explicant, fluminum ſunt fontiumque copia irriguæ, atque eam ob cauſam eximie fertiles.

Fruges fructusque.

Montes in Maurocano regno, quos ſurrectior altitudo evehit, etſi debiliorem fruges fructusque gignendi vim habeant; plerique tamen non ſolum fructibus, ſed etiam lignis pecoribusque abundant.

Ceterum regnum hoc omni materia affluit, quæ-

quæcunque aut precio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria. Olivitas hic largiſſima eſt non ex oleis modo, verum etiam ex alio quodam arborum genere, incolis *Erguen*, & Ioanni Leoni Arga dicto. Arbores iſtæ fructum ferunt, cujus è nucleo oleum exprimitur amarum, quod tamen frixum apprime conducit. Adſunt & vineæ crebræ, ex quibus collectæ uvæ aut uvarum paſſarum uſum præſtant, aut recentes comeduntur, aut tabulato appenſæ pro abſtemiis ſervantur; vinum autem è ceteris expreſſum, omnino generoſum eſt. Nec dactylorum, ficuum, perſicorum, nucum, ſtrobilorum ſeu nucum pinearum, ſaccharı, lini, cannabis, glaſti, mellisque minor hic copia eſt.

Metalla. Scatet porro hæc regio metallis auri, argenti æriſque; marmor item duritie ac nitore cenſendum ſuppeditat. Torreſius perhibet in Atlante, qui Claros ab eo appellatur, auri venas eſſe quam plurimas, quas Xerifus eam ob cauſam oppleverit, ne, ſi Chriſtiani compertum haberent tantum eſſe auri in Africa, ſublatis tam longinqui in Indiam itineris difficultatibus, id genus metalli hinc tanquam propiore ex loco peterent.

Animalia. In campis montibuſque Maurocani regni boum, equorum, mulorum, caprorum, aſinorum, oviumque, leonum item, aprarum, hinnulorum, leporum, luporum atque aliarum turbæ ferarum degunt; ut manifeſtius ex ipſarum deſcriptione provinciarum patebit.

Littus regionis ſuccino ſubalbido è mari copioſe egeſto dives eſt, quod balænarum excrementa eſſe incolis videtur. Mare vicinum inter multiplicia piſcium genera, piſces ſapidiſſimos ſuppeditat, *Sabalos* Hiſpanis dictos, qui Vere æſtateque flumina ſcrutantur, ut dulcium alimento aquarum impingueſcant ac melioris ſaporis evadant. In fluminibus ipſi lucii frequentes atque anguillæ capiuntur.

Mores. Qui ex Mauris Maurocani ſunt regni incolæ, agilitate ac robore corporis valent, ut Afrorum pars major.

Ingenium illis in univerſum, quale ceteris Barbariæ populis, promptum atqueſubtile, ſed minus apertum melancholicumque.

Occupationes. Studia eorum præcipue in mercatura, agrorum cultura, bello, ſcientiis, auguriiſque verſantur.

MAVROCANA PROVINCIA. Provincia Maurocana, cui nomen à capite ſuo quæſitum, ab Occidentali Neſiſa montis parte in Orientem ad montem Hannimejum porrecta, in Septentrionem deinde Tenſiſtum amnem proſequitur, donec ei Ecifelmelus miſceatur, ubi Orientale provinciæ Heanæ initium eſt. Ceterum fines habet à Septentrione Ducalam; ab Occaſu Heam, Suſæque provinciæ partem; qua medius dies eſt, itidem Suſæ partem ac Darhæ, provinciamque Gezulam; ab Oriente vero Haſcoram. Situ ferme tota eſt plano ac Mediterraneo.

Metropolis. Caput provinciæ, ut & univerſi regni *Maurocum* eſt, urbs Afris *Marrocx*, Hiſpanis *Marruccos* dicta, quam Boccanum Hemerum Ptolemæi communiter interpretantur. Verum qui urbis ampliſſimæ ac celeberrimæ olim, interque maximas univerſi orbis memoratæ curioſius indagant originem, ex Boccani ruinis, ſeu potius eodem quo Boccanum loco fuit, conditam ajunt ab rege Ioſepho Aben Texifio, filioque ejus Ali, ut principem ac dominam urbem à regum ſede univerſus Africæ Occidens agnoſceret.

Situm urbs leucis ab Atlante ſex, qui urbi Auſtralis eſt, in vaſtiſſima planitie tenet, cujus ambitus occupat leucas quinquaginta. Habuit ipſa quondam C. millia ædificiorum, portas autem viginti quatuor. Murus, quo etiamnum cingitur, ex lapide coloris cinerei in inſignem altitudinem eductus, crebris turribus ad majus urbis munimentum diſtinguitur, à vallo foſſaque deinde exceptus.

Maquetus magnitudinem urbis Lutetiæ Pariſiorum majori parti, quam Villam Pariſienſes nuncupant, comparare non dubitat, eique varias religiones ſectantium incolarum millia tribuere quadringenta. Ingens profecto multitudo hominum in urbe non maxima, qua per diem vias oppleri, & ultro citroque commeantibus difficiles tranſitus præberi neceſſe eſt. Grammayus vias in ea majores 45 numerat, quibus innumerabiles aliæ minores accedant. Idem tamen, ut & Cluverius, ab Arabibus divexatam, maligne nunc coli perhibet, interque ipſa rudera, palmeta, vineta atque arbuſta cerni, quod incolæ Arabum infeſtantium metu ab extramurana cultura agrorum abhorreant, domeſtica contenti. Templa hic olim, collegia, balnea, hoſpitiaque frequentia fuere; at inteſtina bella, quæ iſtarum regionum, quas ſemel invadunt, diruere ornamenta ſolent, multa urbi decora abſtulere: Sanutius quippe refert ſua ætate tot per urbem rudera extitiſſe, ut ad principem Ædem aditus ferme omni ex parte fuerit occluſus. In iſta tamen deſtructione urbis duo raræ laxitatis templa contra Barbarorum injurias ſarta tecta manſere, quorum alterum Ali, alterum Abdul Mumen condidit. His rex Almanſor tertium adjunxit, parietibus quaquaverſum quinquagenorum altitudine cubitorum eductis, collocatiſque interius ad augendum ornatum columnis ex Hiſpania advectis, atque adædificatâ ad recipiendam defluentem è tecto aquam ciſternâ laxitate cum templo æquali.

Palatium ſeu Arx Regis, incolis *Alcaçave* & *Michovart* dicta, ac valido circumſepta muro, ad oppidi mediocris amplitudinem accedit. In medio ejus templum viſitur, turriſque, cujus faſtigio inſerta virga ferrea quatuor ex auro poma, ſed concava oſtentat, cuidam Mauroci Regi à Rege Gago dotis nomine, ut quidam referunt, collata. Rem ſic ſe habere facile adducor ut credam, dum animo ſubit, matrimonio iſto regnum Gago ad Maurocanos perveniſſe, qui ſuum iſthinc aurum advehunt. *Palatium Regis.*

Ædificia pleraque Mauroci humilia ſunt, luto calce illito conſtantia; at principum & nobilium opulentiorumque virorum domos videas è lapide conſtructas, laxas, ſublimes, circumſtructo muro, turrique alta in medio ad aërem liberius hauriendum inſignes. Summa domorum non in acutum cacumen exeunt, ſed plana ſunt, lapidibus aut macerie, qui per Africam & mul-

ta Hiſpaniæ loca mos obtinet, contecta. Porro ex viginti quatuor urbis portis, ad quarum ſingulas præfectus unus cum mille quondam excubabat equitibus, quinæ aut ſummum ſenæ duntaxat ſuperſunt uſum præbentes; incolæ vero omnes in partem urbis ſeceſſerunt, quæ inter Meridiem Septentrionemque à porta Bebeduquelana ad Bebezocoanam porrigitur, reliqua urbe habitatoribus vacua, & aut hortis obſita, aut opaca arboribus.

De Tenſiſto amne quod eſt, is leuca ab urbe media, ubi vaſto ponte tranſitur, curſum ſuum proſequitur. Ex ejus alveo incolæ plurium beneficio canalium aquas in urbem duxere, & molendinis circumagendis, & irrigandis hortis, & templorum uſui ſervientes.

Vrbes aliæ. Ceterum Maurocum inter Neffim & Agmetum amnes poſita, hunc ab Oriente habet, illum ab Occidente.

Agmetum, quondam altera Maurocum vocitata, ac domorum etiamnum millia ſena complexa, celebris hujus provinciæ urbs eſt, haud procul ab amne cognomine, adituque qui ex Atlante in Mauroconam provinciam eſt, locata, Mauroco urbe leucis circiter octonis diſtans.

Elgiumuha ſeu *Elgiemaha*, Xeuxavæ ſeu Sechavæ fluvio appoſita, leucis ab Atlante duabus, olim ſenis ædificiorum millibus conſtans, centies mille nummos aureos in annuo reditu habuit; at hodie ad quingentas tenues caſas redacta, magnæ urbis nomen amiſit.

Imegiagen ſeu *Vmegiagen*, oppidum cum arce in vertice montis exſtructum, rupibuſque tanquam præcelſo muro circumdatum, abeſt Elgiemaha Meridiem verſus leucis octo. *Tazarot*, quæ & *Teſraſt*, & *Terraſaſt* appellatur, Mauroco verſus occaſum leucis quinque, ab Atlante vero ſeptem, Ecifelmelo amni adſidet. *Teneze* ternis ab Ecifelmelo leucis, dorſo Guidimyvæ ſeu Gedmevæ montis, qui Atlantis eſt membrum, incumbit. *Gemaagidid*, quibuſdam *Delgumuha* dicta, elegans ac nitida civitas eſt, Sicſivæ edito monti ad fontes Ecifelmeli, impoſita, leucis Mauroco quindecim, continenſque mille circiter ac ducenta ædificia. *Temnelet*, à nonnullis *Temnella* & Mehedia appellata, ſitum quoque in monte ſortitur. *Imizimiz* ſeu *Imiſmizi* oppidum ſatis amplum, Guidimyvæ in montis dorſo conſpicuum, tranſitum ſubtus habet per Atlantis juga mittentem illos, qui Mauroco in Gezulam proficiſcuntur. Oppidum hoc *Burrix* quoque dicitur, hoc eſt Plumata, quod ſæpe nix tenues floccos ſuos candidarum ſpecie plumarum ſupra oppidi tecta late diſpergat. *Tamdegoſt* ſeu *Tumeglaſt*, unde ternis ignobilibus & maligne incultis, inque planitie poſitis locis nominis quæſita appellatio eſt, diſtat ab Atlante Majore leucis quinque. *Animmey*, oppidulum eſt, Atlantis dorſo incumbens juxta planitiem quandam tredecim verſus Orientem Mauroco leucis, via quæ Feſſa mittit per montes.

Montes. In montibus Maurocanæ provinciæ numerantur *Nefuſa* ſive *Nefiſa*, qui & *Drenderem*, & *Aden*, & *Adrien*, ab Occidente regioni huic initium dat, ſimulque terminum ſe ipſo conſtituit, quo Maurocana ab Heana dirimitur provincia; *Semmedus*, qui inter ortum & occaſum leucarum ſeptem ſpatio procurrens, à Nefuſa interfluente Seſſava ſubmovetur; *Xauxava*, qui & Seſſava, cui Semedus Auſtralis, cognominem amnem ſuis è viſceribus protrudens, cum prædictis membrum eſt Majoris Atlantis; *Secſiva*, qui inſigni altitudine verticem attollit; *Temmelet*, ejuſdem appellationis clarum oppidum continens; *Guidimyva* ſeu *Gedmeva*, à Semmedi occiduis finibus trahens initium, in ortum ſpatio leucarum octo Imizimizium uſque protenditur; *Henteta* mons præcelſus, Guidimyvæ ab occaſu ſolis contiguus, ſpatio leucarum ſex in Orientem uſque ad Animmejum montem producitur, qui itidem provinciæ hujus membrum, in Hentetæ Occidentali confinio jugorum ſuorum rara altitudine textum incipiens, in ortum ad Tevecinos uſque dilatatur.

Soli qualitas. Loca pleraque Maurocanæ provinciæ in fertiliſſimam frumenti, aliarumque frugum, lini item & cannabis ſe diffundunt planitiem. Eadem fluminum ac fontium copia ſcatent, dactylorum, ficuum, uvarum, pomorum, pyrorumque multiplicis generis, olearum, nucum, cydoniorum & quidquid delicatorum præterea fructuum eſt, incredibili feracitate prædita, nec minus alendis benigna pecoribus, unde lactis, butyri ac caſei affluentia exiſtit.

Quæ montana ſunt, plerumque nivibus obſita, frigidam ſterilemque faciem præ ſe ferunt, hordeo duntaxat fœcunda. Maurocanus ager, ſeu quæ circa Maurocum urbem leucarum ſedecim tractu exſpatiatur planities, cum præpinguibus ſit glebis, variis hortorum, viridariorum ac vinearum ordinibus formoſa, terreſtris paradiſi ſpeciem exhibet. In his excolendis Maurocani cives mancipiorum opera utentes, multiplices ſeceſſus exſtruxere, quibus hortenſis iſta amœnitas ad aſpectus varietatem aptiſſime diſtinguitur. Quidquid autem locorum Arabibus aut Portugallis accedit, id ferocium hominum metu tantum jacet incultum. Ceterum incolæ ex nucibus pineis quoque inſigni abundantia oleum exprimunt, montanis melle imprimis affluentibus. Nec marmor candidiſſimum etiam montium interiora abnuunt, ſed id vix ullo incolis in precio eſt, cum poliendi artem ignorent.

Hea provincia, quæ Occiduam Maurocani regni partem, eumque montium tractum obſidet, qui Ptolemæo *Atlas Major*, Afris *Ait Vacal* dicitur, limitibus includitur ab Occidente & Septentrione Oceano Atlantico; à Meridie Majoris Atlantis jugis, quæ Sus provinciæ contermina; ab Oriente vero provincia hæc ad Ecifelmelum amnem extenditur, qui conſtituto ſe inter Heam Maurocanamque provinciam termino Tenſiſtum ingreditur, qui interfluente alveo ſuo Maurocanum à Ducala divellit. HEA.

Loca. Loca in ea notiora ſunt, *Tednez*, caput provinciæ, oppidum pervetus, in aprica planitie poſitum, anno 1514 deſtructum, at nunc Iudæorum molitionibus ad mille & quingentas domos reductum.

Agobel, oppidum montano ſitu, & præcelſo muro defenſum, domos circiter habet 350.

Alguel,

Alguel, pari ratione quo Agobel, munitum oppidum, ſub pedibus ſuis, ſeu ſub radicibus montis, cui incumbit, tenues amnes duos videt vicinis ex montibus decurrere.

Teculet, non contemnendum oppidum, ædificiis circiter mille & quingentis conſtans, juxta Agus arcem non magnam acclivitati montis inſiſtit haud procul ab oſtio Ebæ amnis, quem Divrum Ptolemæus appellat, Tedneſto Occaſum verſus milliaribus octodecim diſtans.

Hadequis, oppidum loco plano poſitum, ternis à Teculeto leucis Hiſpanicis, ſuperioribus temporibus lapideo muro interpoſitis paſſim turribus circumdatum, complexumque domorum millia vicena, anno 1511 à Portugallis everſum, hodie non magno Iudæorum mercatorum numero, ut & *Teyeut*, incolitur. Ceterum ab amne mediocri vicinis montibus orto multa loco commoda naſcuntur.

Texevit ſeu *Teyeut*, mœnibus è latere cinctum, & à Bereberis habitatum, ſtipatam utrimque à montibus planitiem tenet.

Leuſugaguen, ſeu *Ileuſugaguen*, oppidum natura loci opereque validum, munimenti in ſpeciem edito in monte, cujus radices modicum flumen ſubterfluit, exſtructum, Hadequiſo Meridiem verſus leucis tribus remotum eſt.

Inter montana vero loca, præcipuum eſt *Teſegdelt* oppidum, cui aſpera denſaque rupium, æterni muri vicem præbent. Id ex mille & ultra ædificiis compoſitum, amnem habet ad incolarum commoditatem, Teycuto leucis quatuor disjunctum.

Tegteze ſeu *Tagteſſe*, leucis quinque Teſegdelto diſſitum, globoſa rotunditate convexum montem occupat, aditurque longo circuitu veluti gradibus quibuſdam. Radices montis flumen radit ſinuoſo meatu.

Eit Devet, Tegtezo Auſtrum verſus leucis quinque diſtans, oppidum antiquum eſt, planum editiſſimi montis cacumen obſidet, ſeptingentis circiter ædificiis exſpatians.

Culeinat Elmuchaidin, hoc eſt, *Munimentum diſcipulorum*, ſic dictum, quod quidam Homar Scyef ſtudio novarum rerum pro ſuis id ſectatoribus Mahumetanis noſtra memoria condiderit in monte, cui pari altitudine collaterales duo alii aſſiſtunt.

Tefethne ſeu *Teſtane*, olim *Benta*, ut Gramayo placet, vel ut Ortelio viſum, *Tamuſiga* dictum, oppidum munitiſſimum eſt, Oceano Atlantico appoſitum, qua Atlantis Majoris juga conſurgunt, portus commoditate cenſendum. Diſtat id verſus occaſum leucis Hiſpanicis quatuordecim ab *Egueleguingil* oppido, quod Marmolius Ptolemæi *Portum Herculis* interpretatur. *Gazola*, eidem Oceano adſidens oppidum, ſed Auſtralius, nulla re memorabile exiſtit. *Tafalla*, locus eſt, magis adhuc priore in Meridiem vergens. *Zebedech*, itidem maritimus locus, ad eandem Meridionalem plagam convertitur. *Ozem* Promontorium in Hea quoque locatur, ſed eſt Septentrionalius Tefethno.

Ad eandem provinciam *Mogador* ſeu *Mongador* inſula, atque ejus appellationis Arx ſpectat. Diſtat à continenti hæc inſula milliaribus Italicis quinque duntaxat, ſitum in Oceano Atlantico ſortita, qua Africæ regionis Occidentale littus in Septentrionem curvatur, modica à Promontorio Ozem intercapedine aquarum. Si quis eam Erithiam veterem intelligat, non valde aberret, cum illam in hoc Oceano ad Atlantis initia veteres locarint. Arx in inſula conſpicua, Maurocanorum juſſu Regum condita eſt, ad argenit atque auri fodinas tutandas, queîs vicinus mons dives eſt. Cuſtodit arcem ordinarium ducentorum militum præſidium.

Goz ſeu *Gozen*, Heanæ provinciæ portus eſt, navium appulſu celebris. Curioni *Sutiga* Ptolemæi indigetatur.

Engueleguinguil ſeu *Ighil In Ghi Ghil*, oppidulum eſt monti impoſitum, Etdeveto, Meridiem ſi ſpectes, leucis duabus remotum.

Helis, campus eſt inter Etdevetum & Tagteſſum oppida porrectus. Sed nunc Heanæ provinciæ montana dicenda.

Montes. *Aiduacal*, olim Atlas Major vocitatus, caput ſeu initium Atlantis eſt, ab Oceano in Orientem Ighilinghigilum uſque procurrens, Heamque à Sus provincia diſterminans. Latitudo ejus tridui iter occupat; Tefethne ſiquidem extremæ ejus verſus mare ac Septentrionem declivitati adjacens, & Meſſa ejuſdem montis Auſtralia tenens, tribus magnis itineribus à ſe invicem disjuncta ſunt. Multi hoc in monte pagi frequentiſſime inculti viſuntur. *Demenſer* ſeu *Tenzar*, pars alia Atlantis ab Aiduacalis finibus exordium ſumit, quinquaginta milliarium tractu in Orientem Neſiſam Maurocanæ montem provinciæ uſque procurrens. Hic partem Heæ à Suſa dirimit, inque extremis ſuis ad ſubeundam Suſam aditum patefacit. Idem frequens habitatur ſed vicis tantum, oppidis caſtelliſque ab incolarum uſu remotis. *Gienbel & Hand* ſeu *Gebelelhadih*, quod vocabulum montem ferri ſignificat, dependentiâ Atlantis ſolutus, à littore Oceani inter Septentrionem Auſtrumque protenſus Tenſiſti amni accedit, Heam à Maurocana Ducalaque provinciis ſeparans. Eum Ortelius Phocram Ptolemæi appellat.

Soli qualitas. Provincia hæc ſolo aſperrimo, crebra in montes rupeſque conſurgit, intercurrentibus paſſim tenuibus rivis. Lignorum in ea copia; ex vallibus autem frumenti perparum incolæ colligunt, at milii hordeique permultum. Teculethani campi multiplex frugum leguminumque genus producunt; rariores in fructibus ferendis non ſoli ipſius indole, ſed aut ignorantia aut deſidia incolarum, cum loca plurima ficubus, perſicis, mucibuſque abundent. Mellis hic affatim eſt, præcipuum incolis alimentum, qui rudiores ingenio ceram abjiciunt, ut ab omni uſu alienam.

Certum genus arborum ſpinoſarum Heanis fructum profert olivis Hiſpanicis majoribus perſimilem, quem *Argan* nuncupant. Ex eo expreſſum copioſe oleum licet tetri odoris ſit, non ſolum lucernis, ſed etiam condendis cibis adhibent.

Animalia. In animalium domeſticorum genere frequentiores ſunt aſini & capræ, ovium, boum, equorumque, quos ferreis carentes ſoleis ſingularis perni-

pernicitas commendat, longe minore exiſtente numero. Ferarum venatio apris, hinnulis, cervis ac leporibus maxime peragitur.

Metalla. Aurum argentumque Maurocanis Regibus Mangador inſula Heanæ ditionis egregio proventu ſubmittit.

Mores. Eſt Heanis ingenium rude, cibusque durus atque agreſtis; pane namque ex hordeo non excuſſo, coctoque in compactis è terra fornacibus utuntur, & pulte ex farina hordeacea, quam vernacule *Elhaſid* dictam hiberno tempore in aqua excoquunt, condiuntque oleo; at per æſtatem id lacte ac butyro præſtant. Vſus cibi iſtius veſpertinus duntaxat eſt, ad prandia per hyemem pane & melle, per æſtatem lacte atque butyro adhibitis. Elixa tamen etiam carne, ac cepis fabisque veſcuntur, nonnunquam pluribus ex rebus unum componentes cibum, quem *Cuſcuſſu* nuncupant.

SVS. *Nomen.* Sus Provinciam, olim Regni titulo decoram, & à Suſo amne nominis appellationem ſortitam, populi quondam tenuere Tangreſii Vacuatesque.

Limites. Terminatur ea ab Occidente Oceano Atlantico, ſtrictiusque Sinu *de las Veguas* ſeu Iumentorum dicto; à Septentrionibus Atlante Majore, qua is Heæ confinis eſt; à Meridie Numidiæ ſive Getuliæ arenoſis ſolitudinibus; ab Oriente Suſo flumine, quo ipſa à Guzula dirimitur. Celebriora in hac provincia loca ſunt *Meſſa*, triurbs, & tergemina appellata, quod veluti ex ternis oppidis, ſingulis ſeparato murorum ambitu incluſis, compoſita ſit. Illa *Temeſt* primum dicta, Majoris Atlantis, quem incolæ *Aitvacal* vocant, radicibus adſidet, ipſo in littore Oceani Atlantici, qua mons hic textum ſuum inchoat. *Suſus* amnis, qui apud *Guer Teſen* Oceano miſcetur Atlantico, Meſſæ urbis partes ſeu minora quædam oppida interfluit. Extra urbem in littore Templum cernitur, cujus tectum columinibus balænæ ex oſſibus compoſitis incumbit; quamobrem gentis hujus ſcriptores memoriæ prodiderunt, Ionam à balæna abſorptum, in hoc littus fuiſſe ejectum. Adhæc firmiſſime ab incolis creditur, ex hoc ipſo templo, quod à pleriſque ideo ſedulo frequentatur, proditurum Sanctum illum Pontificem, qui, Machomete prædicente omnem legem abolebit.

Teceutum, aliud Suſanæ provinciæ oppidum, antiquitatem ſuam præ ſe fert. Id tres in partes, ſed quas inter unius milliaris ſpatium intercedat, diſtinctum, ex his ipſis triangularem formam ſortitur, complectiturque univerſe domorum millia quatuor, magnificum in medio ſui templum habens, in quod è Suſo amne, qui urbem præfluit, perducta eſt foſſa ſive canalis. In agris, qui Suſani ſunt juris, pagi quam plurimi verſus Atlantis juga exiſtunt, Auſtralibus locis pleriſque incultis, aut vicinos ad Arabum populos ſpectantibus. Leuca unica Teceuto ab oppido *Gared* oppidum conſpicitur, quod Cherif Abdala jam ab anno 1500 condidit loco plano juxta copioſum fontem *Ayn Cequia* dictum, qui Saccharifero arundineto molliter perfuſo, circumactisque aliquot molendinis, in Suſum hoc loco amnem Teceuticum vocatum evolvitur.

Verum caput Provinciæ eſt *Taradante*, Mauris *Teurant*, Teceuto verſus Orientem leucis duodecim remota, ab Atlante vero Majore verſus Auſtrum leucis tantum duabus diſſita. Illa quondam Regni caput, hodieque Regibus ſive Præfectis ſæpe habitatur; quin etiam *Cadi Hia* ſedem in ea conſtituit. Situs ejuſdem peramœna in valle eſt, quæ à Promontorio Aguer ad montes uſque, quibus à Dara regione ſejungitur, porrecta, longitudine ſua implet leucas octodecim ſive viginti, latitudine vero ab Atlante ad montes illos, quibus à Deſertis divellitur, leucas occupat octo duntaxat. Præfluit urbem Aguz amnis, cujus tecta millies ternarium conſtituunt numerum. Ceterum fines regionis Taradante ſunt ab Oriente Dara & Tafileta; ab Occaſu Promontorium Aguer, cum Azanegorum agro; à Septentrione Atlas mons, qua ei Claros nomen acceſſit; à Meridie vero Deſertâ. Seſqui leucarum ſpatio hinc abeſt *Faraixa* oppidum, quod Machometes Cherrif, antequam Maurocanum iniiſſet regnum, ædificavit. *Tedſi* oppidum Taradante verſus ortum Solis duodecim leucis diſtans, ab Oceano Occiduo circiter viginti, atque ab Atlante Majore Meridiem verſus ſeptem remotum leucis, quaterna ædificiorum millia continet. *Tagoats*, urbium maxima ampliſſimaque, & caput Provinciæ ab Anania computata, ut cujus ambitu octo ædificiorum continentur millia, ab Oceano Atlantico abeſt leucis 20, ab Atlante Majore 18, & à Suſo amne tribus. Vrbs hæc Volaterrano perhibente S. Auguſtini patria eſt. *Taradante caput Provinciæ.*

Habet item Suſana provincia Occidentali in littore Promontorium *Aguer*, quod pro Vſagio Ptolemæi vulgariter accipiunt, cum oppido Sinui appoſito, quem Atlas Major efficit inter Meſſam Teſtanamque urbes, cornu ſuo in Oceanum ſe ſpargens Atlanticum. Tenuerunt oppidum Portugalli primum, à quibus arx ſanctæ Crucis tunc titulo inſignis eſt condita, Mauris nunc *Darrumia*, hoc eſt, Domus Chriſtianorum appellata; at poſtquam in munimenti formam eſſet redactum, Portugallorum manibus id anno 1536 Cherifi extorſere. In ipſis Atlantis in Oceanum porrecti extremis juxta fauces Suſi amnis, Garitgueſſem, locus munimine tutus viſitur; verſus Auſtrum vero flectenti in littore obvia loca ſunt *Aguilon*, *Alganzib*, *Samotamat*, eique vicinum *Guilon* Promontorium, cum Promontorio *Non* ſeu *Nun*, obtinente 27 grad. elevationis Poli. Id à Meridie terminum Suſanæ Provinciæ conſtituens, nomen invenit, quod priſci illi mortales minus navigationibus exerciti quam poſtremorum homines ſeculorum, crederent Promontorium hocce tranſiri ſine maximo periculo non poſſe; aut ſi cui robur & æs triplex circa pectus eſſet, fragili hunc locum rate prætervehere, de ejus deſperarent reditu. Vim tamen ſeu cauſam appellationis maxime dedit quorundam de iſtorum temerariorum in patriam reditu interrogatio, & aliorum negativa ſeu per adverbium *Non* facta reſponſio. Porro non modo Promontorium *Non* adjacensque ager, ſed etiam illud quod ultra Promontorium Aguer in Auſtrum extenditur, Suſanæ Provinciæ

ciæ eſt, paulo remotiore ad Numidiam ſpectante.

Montes. Montes Suſæ ſunt *Henquiſa*, Occidentalior Atlantis ramus, inter Occaſum Ortumque leucis duodenis porrectus, Meſſamque urbem ad radices habens; *Ilalem* ſeu *Laalem Gezula*, ab Henquiſæ extremo incipiens, procurrensque demiſſioribus paulatim in Ortum jugis Guzulam verſus, in Auſtrali camporum Sus parte reliquæ planitiei æquatur; *Ilde* in Orientali Provinciæ parte conſpicuus, Guzulam ab Occidente à Suſana Provincia ſubmovet.

Soli qualitas. Meſſani culturam agris ſuis adhibent, cum Suſus amnis ſolitis Septembri menſe atque exeunte Aprili incrementis augeſcit. Quod ſi neutro tempore ſe exſerat, manifeſtæ ſterilitatis eſt ſignum. Ceterum Meſſanus ager dactylorum admodum eſt ferax, qui tamen nec optimæ notæ ſunt, nec annum ferunt.

In littore Meſſano ſuccinum ſubalbidum invenias laudatiſſimum, quod balænarum hoc frequentantium mare excrementa eſſe ſeu ſperma accolæ putant, creduntque deſcripto ſuperius à nobis Templo Divina tributum virtute, ut quotquot id ipſum balænæ præternatant, illico moriantur.

Teceutanus ager frumenti, hordei & aliarum frugum eximie fertilis eſt; ſaccharifer idem, ſed hoc mellis ex arundinibus collectum nec coquere incolæ norunt, nec expurgare. Dactylorum ingens in eo copia eſt, ſed mira (ſi uvas, ficus, ac pruna perſica excipias) fructuum ceterorum raritas. Taradantinus ager, qua is Atlanticis jugis accedit, frumento, leguminibus fructibusque præcocibus & ſerotinis, oleo item, vino & ſaccharo abundat, conſitis per Cherifos arundinetis, cum anno 1516 Taradantam ſuum in regnum evexere; at quæ in Auſtrum vergit planities, ad paſcua tantum Arabibus ſervit. Tedſino in territorio præter frumentum, naſcitur glaſtum & ſacchar; Tagoaſtanus vero variarum rerum ferax, pecoribus quoque abundat, quorum itidem inſignem proventum ſuppeditat interjecta monti Lalem & Taradantæ planities, *Paſco* Arabibus dicta. Inter montes Henquiſa frigoribus nivibusque adſiduis ſubjectus eſt, ſolo ejus hordei duntaxat ferace, ad ceteras fruges inepto; mellis tamen in eo copia colligitur.

Lalem equorum proventu dives, argentum ſuis viſceribus includit. Ceterum inter animalia hujus regionis, equis montanis exceptis, qui parvo ſunt numero, præſtantes tamen, frequentiores cameli ſunt. Taradantæ Struthionum plumas, ſuccinumque colore cinereo Azanegorum è regione littoreque advecta, magna copia invenias.

DVCALA. *Limites.* *Ducala* ſive *Duquela*, Maurocani Regni Provincia, limitibus clauditur ab Ortu Vmarabia amne, & regione *Temeſne*; ab Occaſu Tenſiſto fluvio, promontorio Cantin, ac Hea Provincia; à Septentrionibus Oceano; à Meridie autem Maurocana Provincia, atque amne Habid.

Dimenſio. Longitudo ſumma inter Ortum & Occaſum porrecta, eſt leucarum 30, latitudo vero dimetiente Marmolio viginti quatuor; aut, ut Leo refert, prior tridui itinere patet, hæc bidui duntaxat.

Loca ejus in littore hac ſerie ſequuntur: *Azamor*, oppidum faucibus Vmarabiæ amnis appoſitum, Ramuſio & Marianæ pro vetere *Thimiaterio* Hannonis accipitur, quibus portus ejus *Ruſibis* Ptolemæi & flumen, *Aſſama* indigetatur, loco quod Marmolius Oſtium fluminis *Cuſam* Ptolemæi nuncupet. *Loca.*

Diſtat hoc oppidum tribus verſus Orientem Mazagano leucis, qui locus eſt ditionis Hiſpanicæ. Antequam autem à Portugallis anno 1513 caperetur, domorum fuit millia quina complexum, atque etiamnum laxo circuitu eſt, habitaturque frequenter à Mauris, quorum firmo cuſtoditur præſidio. Nec incelebre piſcibus emporium eſt, quos Ommirabih amnis ab Octobri menſe uſque in proxime ſequentem Aprilim annuatim magna copia ſuppeditat.

Elmedina ſeu *Almedina*, caput olim univerſæ regionis, oppidum vetus eſt, in amœna planitie inter Safi & Azamor poſitum, diſtansque Safi leucis decem.

Mazagan à Portugallis egregie munitum oppidum, alio à nobis commodiore loco deſcriptum eſt.

Tit, leucis Hiſpanicis quatuor Mazagano Occaſum verſus disjunctum, & *Tut* olim appellatum, ex oppido in pagi formam Portugalli, quibus tributarium eſt, redegere Promontorium *Cantin*, quod à Ramuſio pro monte Solis Hannonis, cui Ptolemæus 31 grad. elevationis Poli, Sanutius vero 32 tribuit, accipitur.

Promontorium *Cannaveral*, quod Septentrionales Sinus fauces efficit, cui Safi oppidum appoſitum, plerisque *Azaffi* dictum, Afris *Asfi* Marmolio teſte, Portugallis autem *Safin*. Id valido circumſeptum muro, turribusque vicenis & quatuor defenſum, firmo munitur præſidio, habetque Conſulem Gallicum, cujus hic ſedes eſt, ut tanto commodius res Mercatorum curentur.

A littore ad interiora abeunti primum *Conté* oppidum occurrit, à Safy ſeptem verſus Orientem leucis remotum, nec procul diſtans à loco, qui acutiore angulo in mare protruſus, recentioribus *Cabo di Eſparto* appellatur. Sequuntur deinde, *Maramer* oppidulum, antiquis mœnibus cinctum, quinis Orientem verſus à Safy leucis diſſitum, domosque continens quadringentas; atque in ipſa Safienſi ditione tribus à Safi leucis *Cernu* oppidum, olim dirutum, nunc vero inſtauratum ac frequenter incultum: *Aguz*, in ripa fluvii cognominis, ab Afris Bereberis de gente Vledoxedmala poſſeſſum, cum circumjacente agro, ſed ruinis ſuis deforme; tum *Telmez Vmezque* oppidula, ad radices montis Beninaguer quinque à Safi leucis, nullis cincta mœnibus, & ab iiſdem Afris inculta. Eſt quoque in Ducalæ locis vicus *Miatbir*, quod vocabulum cum centum puteos gentis iſtius lingua ſignificet, Sanutio Magino & ceteris Geographis data anſa eſt, ut locum hunc Italice *Cento Pozzi* dicerent à ſcrobibus frumentariis, in quibus Arabes ac reliqui incolæ frumenta ſua utiliſſime diutiſſimeque conſervant. *Sudeyt*, tenue oppidum eſt in ripa fluminis Vmarabiæ, antiquo muro & turribus aliquot conſpicuum. *Tamarrocx*, multis *Temeracoſt* dictum, ac in prædicti fluminis ripa ſedens, domos

circiter quadringentas numerat. *Terga*, eidem amni denis ab Azamor leucis prætextum oppidum, Ptolemæi *Iagath*, nunc dirutum jacet. *Benecafiz*, quindenis ab Azamor, binisque à Monte Viridi leucis, itidem Vmarabiæ adjacet. *Guilez*, Terrer & Cea, haud ignobilia olim Xerquiano in agro oppida, nunc maligne incoluntur, possidentibus eorum territoria Arabibus. Postremum est *Bulaaguan* seu *Bulahuam*, oppidum in ripa Vmarabiæ, via quæ Fessa Maurocum ducit, munitum.

Montes. In montibus Ducalæ celebres sunt, *Benimeguer* seu *Benimager*, ab Azafi leucis remotus quatuor, qui Marmolio teste idem est, quem montem Solis Ptolemæus indigetat; *Iubelhadra* seu *Mons Viridis*, ab Vmarabia amne inter Ortum atque Occasum usque ad Hascoræ colles protensus, Ducalam à parte Tedelæ disterminat. Habet hic mons altaria complura ad Mahometanorum normam erecta, & nonnulla à veteribus Afris constructa ædificia. Subest ei lacus ingens, spatio Vulsinienſi in Italia par, lacus Viridis vulgariter appellatus.

Soli qualitas. Pleraque Ducalæ loca frumento, oleo, & melle abundant, ficubus hic copia mediocri, aliis autem fructibus omnino raris nascentibus. Azamor amnis piscium illud genus, qui Sabalos Hispanis dicti, rara quadam pinguedine turgent, accolis suppeditat, quæ olei ad lucernæ usum vicem præstat. Quondam, cum in hoc tractu terrarum alta pace incolæ fruebantur, plerisque boum paria centena erant, & mille, nonnullis etiam ter mille frumenti modii reditus annui.

Mons Viridis solus inter montes laudatus ob lignorum & glandium copiam: Razillio quoque à turturum & columbarum innumerabili multitudine, frequentiaque anguillarum, luciorum ac aliorum Europæis ignotorum piscium commendatur.

HASCORA. *Limites.* *Hascora* seu *Escura* Maurocani Regni Provincia, à collibus Septentrionalem Ducalæ partem stipantibus ducit initium. Terminatur vero eadem ab Occasu Tensisto amne infra Hanimmeyum montem; ab Ortu vero Elguadelhabid fluvio, qui Hascoram à Tedela disjungit.

Loca. Clariora ejus loca sunt, *Elmadina* seu *Abnedina*, Atlantis jugis adhærens, ab Almedina Ducalæ Ortum versus viginti, & Mauroco triginta distans leucis, complexaque domorum millia bina. *Alendin* seu *Elemendin*, oppidum Almedinæ Occidentale, à qua aliquanto longius unica leuca abest, situm obtinet vastissima in valle, quam quaterni insigni altitudine montes circumstant, continetque circiter ædificia mille. *Tagodast*, seu potius *Isadagas*, ut placet Marmolio, monti cuidam incumbit, quatuor aliis montibus stipato. Interiora hujus oppidi amœna reddit fontium pluribus in locis erumpentium copia. *Elgiumuha*, monti quoque, quem montes alii circumsident, impositum oppidum, Tagodasto leuca unica distat. *Bzo* seu *Bzu*, Elgiumuha leucis septem dissitum oppidulum, montano quoque situ superbit. Nunc montes Provinciæ videamus.

Montes. *Tenueves* seu *Teneudez*, quidam vultus Atlantis est Meridiem spectans, remotusque à Darha regione circiter triginta quinque leucis Hispanicis. *Tenhite*, itidem Atlantis membrum ab extremo Teneceves inter Occasum Ortumque ad juga montis Dedes usque porrectus, à Meridie Darhæ desertum contingit. Mons ille vicos complectitur quinquaginta, singulos muro ex creta & lapide munitos, amnique Daræ appositos. *Guigidine* seu *Gogidine* Tenhito conterminus, qua Septentrionem spectat, duntaxat incolitur, Meridionali ejus parte omnino deserta. *Tesevon* seu *Tescevin*, nomen unum, montes duos amplectitur sibi invicem conterminos, atque à Gogidini Occidentali parte ad Tagodasti juga productos. His ipsis montibus flumen quoddam ortum, in amœnam planitiem descendit, cui sinuoso influxu gratissimam temperiem impertit.

Soli qualitas. Vniversa Hascoræ regio oleo, vino, nucibus, ficubus aliisque fructibus mire abundat; pruna vero armeniaca producit magnitudine aurantiorum Portugallensium. Equi passim aluntur magno numero. Tagodastinus ager uvas fert rubentes magnitudine mirabili, ob quam acinos earum ova gallinarum indigetant. Idem colonis suis oleum melioris notæ, mel generis duplicis, alterum lactea albedine, flavo alterum colore præstans, frumentum, hordeum, oves caprasque suppeditat. In monte Tenueres frumentum vix nascitur; at hordeum in eo glastumque incredibili copia producitur, quanquam summa ejusdem per omne anni tempus nivibus tegantur. Idem alendis ovibus benignus est. Tensite dactylis fœcundus existit; Gogiden vero caprarum, & mulorum, quos tamen nulla corporis commendat proceritas, magnum alit numerum. Ceterum mons hic rarissimo imbre rigatur, eo quod in Meridiem proclivis sit.

TEDELA. *Tedela* Maurocani Regni Provincia Orientalior, exiguo protensa spatio, ab Oriente termi- *Limites.* natur fontibus Ommirabih amnis; ab Occasu Quadelhabid qua is Ommirabiho jungitur; à Meridie autem Atlanticis jugis. Figuram ferme sortitur triangularem; amnis quippe uterque Atlante profluens, inque Septentriones decurrens, alter paulatim ad alterius alveum accedit, donec aquas suas commisceant.

Loca. Primarium oppidum est *Tebza*, Atlantis jugo cuidam adhærens duabus ferme ab ipsa planitie leucis. Circuit id firmo opere murus, è lapide, qui *Tefza* incolis dicitur, unde & oppido nomen, exstructus. Ad muri firmitatem amplitudo atque incolarum accedit frequentia, templorumque pro loci ratione numerus sat magnus, & amœna subjacens planities, Fixtela communiter appellata.

Tefza seu *Fixtela*, vicus est, leuca unica à Tebza oppido colliculo impositus ad radices fere Atlantis, constansque ædificiis septingentis. *Cithiteb*, locus est edito in monte conspicuus, tribus circiter Orientem versus Tefza leucis. *Eithiad* seu *Aitiat*, parvo Atlantis jugo quaternis Cithitebo leucis incumbens, trecenta ædificia complectitur, muro montanam duntaxat partem muniens, rupibus præcipitiisque defensa, quæ in planitiem obvertitur. Eminentius in eo templum referta aquis fossa sive canalis circumdat.

Montes. Montium notiores sunt, *Segghemus*, quem huic Provinciæ, Austrum licet respiciat, tribuunt com-

communiter. Is à finibus Teſeveni, qui Haſcoræ mons eſt, inter Occaſum & Ortum ad Magranum procurrens, à Meridie quoque ad Dedes juga pertingit. *Magramus* Segghemo ab Occidente anterior, ab eodem ſumpto initio, ad montis Dedes radices textum abſolvit, à Meridie in regionem Farcla in deſerti confinio obverſus. Mons *Dedes* à finibus Magrani Occiduis capit exordium, extenditurque ad Adeſan montem uſque, idem alibi Tolgano campo muri inſtar prætextus. Longitudo ejus computatur octoginta circiter milliarium Italicorum. Extant hoc in monte veteris oppidi Tedſi ruinæ.

Soli qualitas. Anguſto multis in locis ſpatio proximus Atlas Provinciam hanc arctat, in crebra montium juga, nivibus plerumque obſita ſurgentem. Plana locorum multa invenias omni frugum genere fœcunda. Viridaria fructiferis nobilibusque conſita arboribus huic terrarum tractui ſingulari & commodo ſunt & ornamento. Cithitebiæ valles non ſolum ficuum rara magnitudine, ſed etiam nucum vitiumque ſunt fertiliſſimæ. Caprarum hic quidem, mulorum aſinorumque numerus eſt ingens; at haud parvus leonum luporumque morſibus interit. Si tamen aliqua incolis adnaſcitur ab his animalibus commoditas, eam pulices adſidue homines infeſtantia animalcula, quorum fœcundiſſimus genitor mons Dedes eſt, miris modis imminuunt.

Vires. A civium frequentia, locorumque ſitu difficili univerſæ provinciæ robur augetur. Verum qui Segghemum montem Zanagana de gente incolunt, reliquis bellicoſiores feruntur. Arma eorum ſunt haſtæ minores, bellicæ falces pugionesque. Silicibus quoque pugnant, quos in hoſtes dexterrime magnoque niſu ejaculantur. Adhæc ipſa montis aſperitas præſtat invictos.

Guzula ſeu *Gezula*, Marmolio teſte, inter Mau- GVZVLA PROVINCIA.
rocani Regni Provincias relata, veteris Gætu- *Nomen.*
liæ, cujus fere nomen retinet, portio tantum eſſe videtur, cum longe minori ſpatio, quam Gætuliæ tribuant autores, nunc Gezula arctetur. A Gætulia autem quæſitum fuiſſe huic provinciæ nomen, vel inde probabili argumento colligitur, quod veteres Gætuli, Libyæ Interioris populi ſub ipſo Atlante Meridiem verſus locentur, quo ſitu etiam Gezuli porriguntur.

Terminos habet Gezula ab Occidente Ildam *Limites.*
Suſanæ montem provinciæ; à Septentrione Atlantem, cujus radicibus prope adjacet, & quo à Maurocana ſubmovetur provincia; ab Oriente vero Heam provinciam.

Nullum in hac provincia oppidum viſitur *Loca.*
mœnibus cinctum, vicatim incolis ſine murorum tutela habitantibus. Vici autem plerique ædificiis mille conſtant, aliis plura, pauciora aliis continentibus.

Habet Guzulanus ager ferri ærisque fodinas; *Soli qualitas.*
hordeo item ac pecoribus abundat, ceteris ferme rebus omnibus ad uſum neceſſariis deſtitutus.

Armis incolæ utuntur acinacibus, pugionibus *Vires.*
brevioribus, ſed latis, ancipitibus & præacutis, haſtisque. Iidem in campum valent educere armatorum 62000, adeo ut nec Arabes metuant, nec Portugallos, cum aliquando Maurocum regni caput manibus eorundem fuerit deſtructum.

REGNVM FEZENSE.

Nomen. EST autem *Fezenſe Regnum* Mauritaniæ Tingitanæ pars Orientalior, recentioribus *El Garbe* dicta. Montes ejus *Ampeluſia* Veteres nominavere, quod creberrimis eſſent vineis obſiti, inprimisque Abyla ſive Alcudia, Calpæ monti, qui in Hiſpania eſt, oppoſitus: quos ambos, Herculis columnas, & metas laborum ejus dixerunt.

Limites. Terminos habet ab Occaſu Maurocanum Regnum, à quo interfluente Vmarabia, qua nimirum id Ducalæ Tedelæque Provinciis confine eſt, divellitur; ab Oriente Malvam amnem, quo à Trimiſeno ſubmovetur regno, & Mauritania Tingitana à Cæſarienſi ſeparatur; à Septentrione Oceanum & mare Internum ab Vmarabiæ faucibus ſcilicet, ad quas eſt Azamor oppidum, uſque ad Malvæ Oſtium, oppidumque Caſſacam; à Meridie autem Atlantis juga extrema, hinc in Numidiam ſive in Gætulos abeuntis.

Fluvii. Fluvii, qui in Oceanum labuntur Atlanticum ſunt iſti; *Burregreg* ſeu *Buragrag*, olim *Sala* dictus, quodam Atlantis jugo hoc in regno oritur. Is nemora aliquot vallesque perlapſus, relictis quos utrimque comites habuit, collibus, campeſtre iter ingreditur; quo confecto, inter Cale & Rabatum oppida, quibus Oſtium ejus pro portu eſt, in mare ſe injicit. *Subu*, Ptolemæo *Suber*, in maximis Barbariæ amnibus computatus, Cilige ſeu Selelga montis, qui Atlantis in Cuz ſeu Chauſa Provincia pars eſt, profunda ex valle tam copioſus violentusque erumpit, ut immiſſum in fontes ejus centeno pondere ſaxum non ſemel egeſſerit. Iuxta fontes eoſdem pons admirandus conſpicitur, cubitorum centum & quinquaginta altitudine evectus à flumine, quo duo inter ſe montes junguntur. Amnis hic qui, lato ſit licet plenoque alveo, pluribus in locis vadari poteſt, longo inter montes vallesque curſu feſſus, tandem planitiem ſedulo proſequitur, ſalutataque eminus (interjecto ſcilicet duarum ſpatio leucarum) Feſſa urbe, cognominem Provinciam, Aſgarettamque interfluit, mari deinde apud Arox oppidum demerſus Atlantico. Fabuloſe à quibuſdam narratur, fontes eximii amnis

in

in montibus Gayaf & Zarahanun exiſtere. Influunt in eum amnes plurimi, ut *Guarca*, & *Sador*, quos Errifanæ Provinciæ montes fundunt; itemque quæ in Tezarano agro flumina naſcuntur, & cui cum Feſſa urbe nominis communio eſt, quemadmodum etiam *Ynavan* amnis, infra Feſſam urbem ſcaturiens. Porro ea piſcium copia ſcatet, ut non ſolum Feſſanis, ſed multorum præterea oppidorum incolis viliſſimo precio emantur.

Fez, accolis unionum amnis improprie dictus, Fez propriiſſimo nomine ſignatur, eſtque idem, qui Plinio *Phut*, Ptolemæo *Phuth* ſeu *Thuth* nuncupatur.

Bath, Atlante Majore fuſus, atque Aſgarettam perlapſus, Subu amni miſcetur, poſtquam ejus alveo *Gurgivora* & *Bunazar* recepti ſunt.

Lelucus, olim *Lixos*, Gomero è monte proſiliens, Habatæ atque Aſgarettæ campos irrigat; tum Naraugiam Baſramque prætervectus, Geziram inſulam ternis à mari leucis efficit; inde Alcazaræ mœnia præfluens, curſum continuat, donec apud Laracham Aſgarettæ oppidum in finibus *Habat* ſe in Oceanum exoneret. Portus Larachanus ad hujus fluminis eſt oſtium, qui imperitis non facile ſubitur.

Homar, ab oppido, quod præterlabitur, vocatus, in Habatæ montibus oritur, influitque in Oceanum apud Taximuxium.

Guir, tenuis amnis, qui Ptolemæi *Dyos* eſt, Temeſnæ in montibus ortus, poſtquam hanc ipſam provinciam percurrit, leuca ab Almanſore oppido dimidia Oceanum ſubit. Reſtant numerandi amnes, qui in Mediterraneum influunt.

Gomer, Gomero ex monte ducens originem, hoc mari apud Gomerum oppidum accipitur.

Cherzer, ex Errifanæ montibus profluens, modico terrarum emenſo ſpatio, mari miſcetur Interno juxta cognomine oppidum.

Nocor, qui Caſtalio Molocath Ptolemæi eſt, cum mihi verius *Malucan* eſſe videatur, ex Chauſæ montibus Septentrionem verſus decurrens, Errifanam à Garetia ſeparat, Mediterraneo deinde receptus.

Melulo, magnum flumen, ex Atlante inter Tezaram & Dudubum oppida, vicinius tamen Dudubo, decurrit, peragratisque Terreſti & Tafratæ deſertis aſperis ſiccisque, cum Malucano alveum committit.

Malucan, ingens itidem flumen, ex Atlante novem à Garci-Luyno, Chauſæ oppido, leucis profectum, poſtquam ejuſdem Provinciæ deſerta luſtravit, ad Anguedias Garetianasque ſolitudines pergit; inde Benizenetanos ſubterfluens montes, receptis prius Melulo, aliisque amnibus, infra Caſſacam oppidum, à quo non longius emiſſione ſagittæ abeſt, in mare devolvitur. Niger in Africa ſua memorat eum Maurorum lingua Munzenar vocari.

Muluya amnis, cujus oſtium Ptolemæo *Malva* dicitur, Atlanticis jugis ortus, flexo in Septentriones curſu, apud Onam oppidum Mediterraneum intrat.

Provinciæ. Habet Feſſanum Regnum Provincias ſeptem, quot in Maurocano etiam Regno numeravimus. Primus eſt *Feſſa*, unde toti Regno eſt nomen; at ceteris Occidentalior eſt *Temeſna*. Reliquæ quinque ſunt *Asgaretta*, *Habata*, *Errifana*, *Garetia* & *Chauſa*.

FESSA. *Limites.* Finibus clauditur *Feſſa* ab Occidente Burregreg amni, quo à Temecena ſive Temeſna dividitur, porrigitur verſus Orientem ad amnem Imnavan uſque; à Septentrione, Cebu ſeu Cubu fluvio, & illo tractu maris, qui inter Salam Mahmoramque extenditur; à Meridie radicibus Atlantis. Longitudo ejus inter ortum & occaſum à Burregrego ad Inavanum computata, eſt milliarium Italicorum centum. *Dimenſio.*

Loca. Vrbium antiquiſſima eſt *Celé* ſeu *Salé*, quæ non alia eſt, quam Ptolemæi *Sala*, Maſſilienſibus nautis *Salec*, & nonnullis Geographis *Sella*, appellata. Situm dimidia Rabato leuca intermedio Burregreg amne, ea in littore maris Atlantici obtinet, eo loco, quo Beregregi ſeu *Salæ* amnis, qui quibuſdam *Cumior* dicitur, eſt oſtium.

Vrbs hæc Septentrionale latus munitiſſimum habet Maurorum Granatenſium opere, qui ſuperioribus annis Hiſpaniis expulſi, hoc in loco conſederunt. Illi libertatis amantes nulli Regum parent, portus eorum validiſſima turri, quam machinæ bellicæ ab exteris acceptæ inſtruunt, defenſo. Nec leve urbi munimentum ab arce accedit, quæ nunc Præfecti ſedes, Maurocanorum Regum Gynæceum quondam fuit, in quo illi concubinas ſeu pellices 800 ſub Eunuchorum, quos lingua vernacula *Abd Khaßi* nuncupant, cuſtodia alebant.

Quingentis circiter ab urbe paſſibus in littore viſitur Marabuti cujuſdam Sacellum, juxta quod erectum propugnaculum, *Haytan* dictum, inſtructumque tormentis bellicis, paucorum præſidio militum cuſtoditur. Vlterius abeunti conſpicitur ingens terræ tractus vivarii ſpecie, circumſtructo muro ſecluſus, cujus ambitus trium leucarum ſpatium implet. Murum hunc Abdelrezzacus Mauroci Rex exſtruxit, ut in loco omnigena à ſe amœnitate donando reliquum vitæ tempus conſumeret. Extant quoque in urbe hac etiamnum ſuperbiſſimi Palatii rudera, ex quo, cum quid pulchri operis conditur, marmoreæ ſumuntur columnæ. Obverſum urbis latus valida arx tuetur pariter & frænum eidem imponit. Ea *Careſane* incolis appellata, turrim *Ladallan* dictam vicinam habet, ad cujus ima ſedem fixere Arabes quodam in loco qui Rabat vocatur. Ceterum ædificia urbis antiquam normam quidem præ ſe ferunt, ſed muſivo ſunt opere, & marmoreis columnis magnifica. Suæ eam poteſtatis aliquando Portugalli fecere, at non multo tempore interjecto victorum fuit de manibus excuſſa.

Vrbes aliæ. *Tefenſara*, ſeu, ut Leoni & Sanctio placet, *Fanzara*, pro Banuſſa Ptolemæi autore Marmolio accipienda, quæ à *Gualil*, ſecundum Grammajum, minime diverſa eſt, Feſſanæ provinciæ oppida inter refertur, vetuſtate ſua maxime cenſenda, diſtanſque Sala leucis tribus.

Ejuſdem Provinciæ eſt *Maamora* ſeu *Mahmora*, oppidum dirutum, ſed ab Hiſpanis jamab Auguſto menſe anni 1614, (quo tempore id Ludovico Faxardo duce ceperunt) poſſeſſum, atque

atque in validi munimenti formam redactum. Iidem portum adjacentem contra incurſiones munivere, quem onuſtiores quæque navium nullo negotio ingrediuntur.

Mequines, quibuſdam *Mecheſſa* & *Mechnaſa*, Anglis *Micunez*, leucis Hiſpanicis ſeptendecim Sala, vicenis Mahmora, duodenis Feſſa, & quinis Atlante Majore diſtans oppidum, Ptolemæo *Silda* appellatum, ut Marmolius refert, deſtinatumque Feſſani ſucceſſoribus Regni, ſitum tenet in amœna planitie, tenui cuidam amnivicinum. Id, præterquam quod antiquitatem ſuam præ ſe ferat, parum abeſt quin domorum ſena millia contineat, firmiſſimis mœnibus, viis ſingulari latitudine directis, aquarum ex ſuburbano rure advecta copia, derivataque in arcem, templa, balnea, collegia, inſtructum eſt. *Tifelfelt* ſeu *Tefelfelt*, tenue oppidum, Ptolemæo *Tamuſiga* dictum, loco plano conſpicitur, quinis Mahmora leucis, & quatuor ab Oceano remotum, cujus ruinæ ſceleſtis quibuſdam Arabibus præbent perfugium.

Gemaa el Hamen ſeu *Gemia Elchmen* vel *Elchmel*, oppidum vetus, diſſitum Meridiem verſus leucis quinque Mequines, Feſſa Occaſum verſus decem, tribuſque circiter ab Atlante, in vaſta conditum planitie eſt, ſed bellis ſuperioribus adeo evaſtatum, ut tectis ſuis nudata templa & domus videantur, ipſumque Arabum nunc tantum vicina infeſtantium ſeceſſus ſit; & tamen ex Tedela in Feſſam viantium frequentia hac iter dirigit.

Hamiz Metagara ſeu *Camis Metgara*, in campo Zuaga inter Gemaa el Hamen & Feſſam, quinis ab urbe utraque leucis, viæ, quæ Feſſam Mauroco mittit, propemodum adſidet. Oppidum hoc quondam dirutum ac maligne incultum, à Mauris Granatenſi regno expulſis inſtauratum, frequenter habitatur.

Beni Becil ſeu *Beni Baſil*, oppidum Mequines Feſſamque interjacens, in ripa amnis non magni ſedet, qui *Hued Nija* dictus, oritur in eodem cum fonte *Ain Zore* loco, dimidia ab hoc oppido leuca, quod bellis ſuperioribus deſtructum, conſequentia tempora reparavere. *Macarmede*, Marmolis Erpis Ptolemæi habita, diſtat Feſſa Auſtrum verſus leucis ſeptenis, Saydenſi bello everſa. *El Habat*, nonnullis *Hubed*, caſtellum eſt muro circumſeptum, ſeptem Feſſa leucis, montis præcelſi acclivitati impoſitum, unde Feſſa urbs, & late circumjacens ager deſpicientium oculis ſe ingerunt. Suam id originem cuidam Marabuto Mahumetano debet, at excidium bellis acceptum fert. *Zavia* ſeu *Zaguia*, pro *Voluſſa* Ptolemæi accepta, & quaternis leucis cum dimidia Feſſa Orientem verſus disjunctam, Ioſephus ejus appellationis II Marinorum ex gente rex condidit; at diruta ſunt intramurana omnia, uno Noſocomio excepto, quod idem rex erexit. *Halvan*, aliis *Chaulan*, muro circumdatus vicus, appoſitus eſt amni Suba ternis Feſſa leucis. Vicinæ loco ſunt thermæ, quibus ad ſeceſſum adædificata domus.

Montes. Montium in hac provincia nomina ſunt, *Zalag*, *Zarhon*, *Tagat*, & *Gureygura*. *Zalag* inter Ortum porrectus & Occaſum, ab amne Cebu leucarum quinque tractu ducit initium. Iugum ejus eminentiſſimum à Septentrione eſt, leuca unica ab urbe Feſſa. Inter præcipua montis hujus loca eſt *Lamta* oppidum.

Zarhon, Afris *Zarahanun*, tribus leucis & media à Feſſa urbe Eceiis ſeu Aſeiis in campis ſe elevans, juga ſua in Occidentem denarum ſpatio leucarum promovet, eadem in latitudinem quibuſdam in locis ad leucas tres & dimidiam diſpergens. Mons hic proprie ſpectat ad Mequinenſem ditionem, continetque inter adſidua ferme oliveta, ultra quadraginta oppida ſeu loca frequenter habitata.

Tiulit oppidum, editiſſimum montis jugum inſidens, quondam hujus Provinciæ caput extitit, murorum ſuorum ambitu ultra leucas duas excurrens. Verum ex quo Ioſephus rex Almoravidarum ſtirpe genitus, laceram ei ruinoſamque faciem impreſſit, à quindenis, aut ſummum vicenis ſacrificis duntaxat, totidem circum Templum domibus habitantibus tenetur. Habet idem mons oppidum, cui nomen *El Cacar Faraon*, hoc eſt Palatium Pharaonis, at celebratioribus ſcriptoribus Africanis *Cacar Zarahanun* dicitur. Id Tiulito leucis tribus diſſitum, rivis duobus irrigatur, late porrectis olivetis, quæ Azuragi Bereberique ſparſim incolunt, circumſeptum. Dirutum autem fuit eodem Cacar Zarahanun tempore, quo Tiulit everſum eſt, foro nunc tantum incolis *Larbaa el Haibar* dicto celebris, quod quot diebus Mercurii Fezenſes Meſquinenſeſque frequentes adeunt. *Dar el Hamara*, oppidum pro Eptitiano Ptolemæi Marmolio acceptum, in eodem hoc monte integrum habitatumque conſpicitur, leones etſi huc crebri ad paſtum concedant, quorum feritas incolis ex conſuetudine minime formidabilis exiſtit. Eſt & in hoc jugorum tractu *Maguila*; & ad radices, via regia, qua à Mequinez urbe Feſſam abitur *Gemaa*, olim *Gontiana*, ab Abud Saydo Beni Merinorum de gente rege deſtructa, ex eoque tempore prorſus deſerta.

Taget ſeu *Tagat* mons, duabus verſus Orientem Feſſa leucis conſpicuus, duarum leucarum ſpatio ab Ortu ad Bu Nacer amnem protenditur.

Gureygura, qui frequentiſſime incolitur, Atlantis Majoris vicinus eſt, Feſſa vero leucis tredecim remotus. Is inter Eceiios Ahaſenioſque campos medius, Auger amnem protrudit, qui in occaſum directo curſu, tandem à Bebero intercipitur.

Habet quoque Feſſana Provincia planities ſuas ſeu campos, nominatimque *Eceiios* ſeu *Aſeiios*, Gureyguræ monti Septentrionem ſpectanti contiguos, diſſitos Feſſa leucis ſeptem, atque oppidis viciſque refertos; *Adhaſenios*, & *Benignaritenſes*, Feſſa ortum verſus leucis ſeptem disjunctos, continenteſque ducenta circiter loca ab Arabibus Bereberiſque habitata.

Provinciæ Regnique Metropolis. Compendium vero Provinciæ non ſolum, ſed etiam univerſi Regni eſt *Feſſa*, Mahometanis appellata Regia Occidentis. Eam nonnulli *Sildam coloniam* intelligunt; plures tamen pro *Volubili* Ptolemæi accipiunt. Poſſet nomen urbis ab Hebræorum *Phut*, quo vocabulo Africæ regio-

nem notavere, videri corrupte deductum, niſi urbis conditor eſſet ſeu potius reſtaurator Arabe Idris temporibus Aronis, anno vero æræ Chriſtianæ 801 Ioanne Leone teſte, qui appellatam urbem inde commemorat, quod primo die, quo ejus effoſſa fundamenta fuere, in iiſdem auri maſſa inventa fuerit Arabibus *Fez* appellati; ſeu verius à perfluente amne, cui Fez nomen eſt.

Situm ea centenis circiter à mari milliaribus ſortitur, eſtque interjectum ſpatium viantibus aſperum ac perdifficile. Figura urbis, ſi ſuburbia demas, directa eſt in quadrum oblongum, quæ radiorum inſtar quaquaverſum ſe à vaſto hoc corpore explicant. Murus altus atque eleganti opere circumſtat, firma laterculi coctilis lapidiſque miſtura, interpoſitiſque paſſim turribus, ſed paucis propugnaculis defenſus. Portæ urbis 86 numerantur, quas foſſa pleraſque ambit aquarum copia ſcatens, reliquo circuitu in colliculos elato, à quibus urbs ipſa quoque iniqua omnia, umbilico excepto, ſortitur. Dividitur porro in regiones duodecim, in fora ſexaginta duo, tabernis mercatoriis utrimque ſtipato, vias capitales ſive primarias 200, innumeraſque alias: Quapropter ea minores exſpatians, Cluverio totius Barbariæ princeps, ingens, opulenta, frequens, ſplendida, ac magnificis ſuperbiſque ædificiis miranda indigetatur. Nam, præterquam quod ſeptingentis templis decora ſit, Collegiorum, noſocomiorum, molendinorum, & Balneorum publicorum longum recitat catalogum, viis omnibus longa utrumque ſplendidorum ſerie ædificiorum à ſe invicem diſcluſis.

Fez amnis divortium agens, duobus urbem locis ingreditur altero cornu ad Feſſam Novam flectente, utroque vero varios in ramos commoditati publicorum & privatorum ædificiorum diſſecto. Iuxta templa paſſim centum & quinquaginta loca ſeu ſecluſoria alvis ſolvendis comparata numerantur, quæ quadratarum domorum ſpecie, in longos receptaculorum ſeu cellularum ordines partita, ſingula fontem habent, cujus aquæ ab altiore muro in canalem marmore contectum tanto labuntur impetu, ut ſordes ſimul omnes ſecum in flumen devehant.

Impoſiti ſunt amni Fez ducenti ac quinquaginta pontes, quorum nonnulli ædificiis utrimque ſtipati, viiſque connexi, ſolidarum ſpeciem viarum mentiuntur.

Fontes publici numero 89 divite aquis vena per urbem funduntur, quibus ſexcenti alii in Palatiis Oratoriiſque erumpentes accedunt. Ædificia urbis ex laterculis lapidibuſque ſingulari quadam elegantia compoſita, pleraque muſivo incruſtata opere reſplendent.

Solariis porticibuſque ex laterculo item, ſed artificio quodam variegato florulentoque & ad ſplendorem vernice illito conſtructis. Tabulata uſitato jam more auro niteſcunt, aut alio quodam grato oculis colore elegantiam ſibi conciliant, pavimentis aſſeribus ſegmentatis, ut per æſtatem cubicula in iis habeantur. Domus fere omnes binis contignationibus aſſurgunt, quibuſdam etiam aſcendentibus ad tertiam, porticibus inferioribus ſuperioribuſque inſtructæ, ne per aream ſeu impluvium ab uno cubiculorum ordine ad alterum eundum ſit. Oſtia conclavium magnifice in altum latumque patent; interiora ſunt picturatis ornata armariis, quæ ipſorum conclavium latitudine porrecta, res precio cariores cuſtodiunt. Porticus lateritiæ ſuſtinent columnæ, pleræque pictæ verniceque illitæ, aut muſivo incruſtatæ opere, aut ſolido ex marmore fabricatæ. Domos plurimas invenias, in quibus ciſternæ picturato ac vernice illito laterculo conſtructæ, patenteſque longitudine cubitorum 10 aut 12, latitudine ſex aut ſeptem, profunditate vero ſex aut ſeptem palmorum, quarum angulis ſunt inſerta inferius epiſtomia aquam marmoreum in labrum fundentia. Turrim quoque pleriſque adædificatam domibus cernes, cujus ſumma picturatis conclavibus diſtincta, ſpecioſum ſexui feminino carcerem præbent, è quo tamen in ſubjectam urbem agrumque, cum pedibus id ex gentis more vix liceat, oculos liberius curioſiuſque circumferunt. Inter ſeptingenta hujus urbis templa ſupra à nobis memorata, ſecundum Leonem & Sanutium quinquaginta, ſecundum Grammayum vero quinquaginta ſex reperiuntur, quæ non ſolum amplitudine, ſed etiam columnarum fontiumque ex marmore, aut alio incognito Europæis lapide commendentur ornatu. Columnis ſingulis tribunalia ſuperſtant aut muſivo nitentia opere, aut ſcriniario. Templa in fornices arcuata ſunt, quemadmodum etiam Gallorum, Germanorum, Belgarum atque Anglorum ædificandi mos fert, concameratione univerſa tabulata, ut in plurimis Italiæ urbibus, ſegmentataque. Pavimenta nec marmore videas, nec porphyretico aliove rariore lapide magnis ſumptibus conſtrata, ſed fiſticulata, concinne copulatis tegetibus ex ulva ſeu ſcirpo, aut ſparto operiuntur, quo ſimpliciore ornatu ima parietum quoque altitudine humana teguntur. Singula horum templorum ſingulis evehuntur turribus, quam illi aſcendunt, queîs convocandi ad ſacra preceſque populum eſt cura. Ex omnibus autem templis iſtis Caruvanenſi Caoranenſi, ſeu Cayroanens (quod cognomen ei à Califatu Cayroano Feſſam transportato quæſitum;) nullum neque majus eſt, neque celebrius, neque ornatius. Ambitus ejus Grammayo autore, quingentorum eſt paſſuum, at Leone Sanutioque teſtibus, mille & quingentorum paſſuum, ſeu ſeſqui milliarium. Portæ templi marmoreæ prægrandes ultra triginta numerantur; porticus vero templum ambientes quadraginta duæ, ſub quibus foveæ oleo, lampadibus, tegetibus aliiſque uſu neceſſariis rebus condendis exſtructæ; patent autem porticus ſingulæ longitudine cubitorum quadraginta, latitudine triginta. Arcus noningenti ſunt, columnis marmoreis innixi, quarum ſingula ſingulis lampadibus per noctem coruſcant, præſertim illæ quæ chorum medium intercurrunt, lampadibus centum & quinquaginta micantem, ornatumque lucernis inſigni magnitudine compluribus, quarum unaquæque 1500 facile lampades ſuſtineat.

Extra Veteris Feſſæ ſuburbia milliari unico Brumalem Ortum verſus abeunti *Feſſa Recens* con- FESSA RECENS.

conſpicitur, ab Iacobo primi de Marinorum ſtirpe Abdulachi filio magnifice exſtructa, ut primaria Regum ſedes eſſet. Poſita eſt urbs in amœniſſima planitie ad alterum amnis cognominis cornu, quod à Septentrionali parte urbem ſubiens, plura molendina circumagit, altero duos in ramos partito, quorum Novam & Veterem Feſſam interfluit; alter per valles hortosque veteri vicinos urbi decurrens, tandem ipſam à Meridie ingreditur. Prius autem cornu in arcem & collegium Regis Abichinami ſe inſinuat. Fundator hujus urbis principio eam Albæ cognomento ſignavit; at deinde Feſſæ Recentis appellationem ſuſcepit, quam Rex ille eo conſilio condidit, ut Telenſino Regi, à quo multa initio Regni tulerat incommoda, ad inferendum bellum eſſet vicinior. Idem tres in partes urbem diſtinxit. In prima Palatium Regium, Palatium liberorum & fratrum Regis, & utrique adjacentem hortenſem amœnitatem locavit, eidem attribuens templum magnificum, domumque monetariam, quæ quadratam aream complexa, operariis plures officinas, & præfecto monetæ habitationem aſſignat, Notariis & Secretariis commorantibus in medio. Iuxta hoc ædificium locus alius eſt, aurifabrorum, eorumque Conſulis, & cuſtodis ſignorum, quibus nummi ſignantur, officinas continens. Altera urbis pars Aulicorum, Officialium & Præfectorum Palatium complectebatur, ac ab Orientali porta uſque ad Occidentalem ſpatio mille & quingentorum paſſuum ingentem plateam mercatorum atque opificum ſtipatam tabernis. Pars tertia excubitoribus Regiis primitus habitata, nunc ab aurifabris Iudæisque incolitur. Templa, balnea, collegiaque tam Feſſa Recens habet quam Vetus; aquarum vero copiam è perfluente vaſtiſſimarum beneficio rotarum in ſuprema ambientis muri perductam, canales deinde capacitate mediocri excipiunt, & ad palatia, hortos, templa, collegia, balnea, & id genus ædificia publica devehunt. Centum & quadraginta annorum ſpatium hanc urbem perfecit, intra quod tempus non ſolum firmiſſimo circumſepta muro eſt, ſed etiam commodis omnibus ornamentisque, quæ cadere in urbem aliquam poſſunt, inſtructa, rotarum aquas adducentium artificio excepto, quod ſuperioris ſæculi debetur initio.

Soli qualitas.

Omnis hæc regio frumenti, goſſypii linique eximie fertilis eſt; fluminum item ac fontium copia rigua. Ficus, amygdala, oleæ, uvæ, & id genus fructus alii ſingulari hic felicitate naſcuntur; nec minor eſt equorum incolis, camelorum, boum, ovium, hinnulorum leporumque proventus. Sed omnia hæc terræ munera ingens à cælo malum comitatur; quippe agrum iſtum, qui Feſſæ Veteris Occiduam partem tenens, in ſummi ditione Templi eſt, & longitudine ſua decem, latitudine leucas quinque implet, peſſimus aër infeſtat, adeo ut lurido non ſolum vultu ſint incolæ, ſed peſtiferis etiam febribus pene adſiduo crucientur. Inſalubritatem iſtam nimia fortaſſis terræ humiditas affert, quæ fontibus paſſim riviſque ſcatet. Hinc ager univerſus quaſi continua hortorum ſerie obſitus, linum, melones, cucurbitas, napos, raphanos majores minoreſque, braſſicam, lactucam aliaſque herbas & olera ea abundantia ſuppeditat, ut fructuum herbarumque plauſtra quindena millia per æſtatem, totidemque per hyemem colligi credibile ſit. Iam autem Septentrionem, Orientem ac Meridiem verſus æquè frequentes horti viſuntur, omnis generis arboribus fructiferis conſiti, pleriſque perductis è Fez amne rivis irriguis. Verum cum explicantibus ſe late arboribus ſolum velut à nemore quodam opacetur, id ipſum jacet incultum, Majo tamen menſe ſuperfuſis aquis rigatum, tanta fecunditate donatur, ut copiæ fructuum præſtantiam adjiciat, prunis perſicis exceptis, quæ maligne ſunt ſucculenta. Ferunt copioſioribus annis ab hortorum colonis divendi per ſingulos dies fructuum plauſtra quingenta, non computatis hoc numero uvis, quarum ingens quoque copia eſt. Ad hanc ſoli benignitatem ſua flumen munera adjicit piſcium genus, Sabalos Hiſpanis dictum. Capturæ eorum October menſis initium dat, finemque Aprilis. Ex jam dictis facile cognoſces, Feſſanum agrum in feraciſſimis Africæ habendum, cum præter lignorum circum Feſſam urbem ac loca alia copiam, omne genus frugum fructuumque præſtanti bonitate producat.

Salenſis ager buxo abundat, unde pectines incolæ conficiunt. Idem goſſypii feracior, frumentum avarius producit, quod qui Sale oppidum ager circumjacet, arenis obſitus ſit.

Mahmoranum ſolum parte una ſilvoſum, prunorum damaſcenorum magnitudine glandes fert oblongas, eximia præditas dulcedine; parte alia in pinguia paſca diffunditur, feraxque eſt rerum omnium, pomis, pyris, nucibus & ceraſis exceptis; quem tamen defectum ſupplet aurantiorum, nulla licet inſignium magnitudine, citreorum, ciceris, fabarum, ficuum, dactylorum & frumenti copia. Nec minor eſt boum oviumque proventus; volatilia vero tanto quotidie numero abſumuntur, ut ſi idem alibi fiat, valde metuendum ſit, ut ſpatio annuo ſpecies intereat. Equi item frequentes in hoc tractu ſunt, ſed adſiduo curſu emacerantur, quorum aliqui camelino tantum lacte aluntur roborantur-que. Ex his aliquando Florentiæ viſus quidam in numero equorum Magni Ducis Etruriæ, hoc alimenti genere contentus. Illud autem inter incolarum mala jure computes, quod nemora eorum leones frequentes producant, queîs nihil tota Africa formidabilius reperias. Ceterum & melle abundant incolæ eximie candido claroque, ſaccharo item; quod tamen colligere ex arundinibus ignorant, niſi forte à Mauris ex Hiſpania ejectis hanc artem didicerint. Tefeltenſis ager in ſilvis amni contiguis leones nutrit homini perquam infeſtos. In Mechneſſano tractu inter ceteros præſtantes fructus, mala cydonia inſigni magnitudine, granata item, pruna damaſcena, albaque, ficus atque uvæ, queîs veſcuntur recentibus, pruna perſica, oleæque magna copia naſcuntur: terra item lini feraciſſima eſt. Metgarenſe ſolum moris albis eſt ad alendos bombyces conſitum Granatenſium labore, qui Ferdinando regnante anno 1492 Hiſpania

exceſ-

excesserunt; arundinetis item sacchariferis, quæ tamen non æque feracia sunt ac Andalusiensia. Thaulanum rus suburbanum thermas habet magnifico ædificio insignes, in quibus Nobilitas Fezensis Aprili solet mense lavari. Mons Zelag in Septentrionali parte creberrimis vitibus obtegitur, quæ uvas ferunt dulcedine sua gratissimas palato. Zathon mons inutiliter silvescere procul videtur; at ubi propius accesseris, referta oletis omnia videbis, à leonibus frequentata. Aseiis campis propriissime competit leones nutrire mansuetos timidosque adeo, ut etiam ab imbelli femina baculo armata compellantur in fugam.

Regimen. Mahometica lege Califi soli domini legitimi habentur, Africa initio rerum dominatus omnis nescia, excepto eorum, qui Pontificali titulo quoscunque ditionum usurpatores patriis è finibus ejiciebant. Electio quoque Principum omnino fuit ignota, cujus primum usus esse cœpit, Almahadicorum Regum primo, titulo duntaxat Protectoris communis libertatis, à 40 discipulis decemque Secretariis Elmahdii prædecessoris sui ad rerum fastigium evectis. Verum qui deinde secuti sunt, acceptam semel potestatem hoc modo ad filios cognatosve transmiserunt, ut vivi adigerent proceres ad fidelitatem ei jurandam, quem ipsi essent successorem designaturi. Atque hoc modo electio Fezensium Regum peragitur, qui sceptro coronaque majestatis insignibus carentes, throno duntaxat aut Sella aureo textili contecta, ac pulvinari unionibus lapillisque pretiosis obsito, majestatis suæ argumento utuntur. Illi, ut primum regnum iniere, Consiliarium magnum creant, assignata ei redituum regni parte tertia; tum Secretarium, qui tribus diversis, Secretarii scilicet, Quæstoris ac magni Aulæ Præfecti muneribus fungitur. His duobus Cancellarius regii custos sigilli accedit, qui mandata regia literis à se sigillatis evulgat. Est etiam tunc cura eligendi Magistros Equitum, quorum partes in regni finibus tutandis versantur; mox Præfectos singulorum oppidorum, Tutoresque populorum, qui montana incolunt, atque Arabum qui Fessano parent imperio.

Ministri Regii.

Populus, qui Fessam urbem inhabitat, est ex variis nationibus conflatus; nam & Turcas hic & Tartaros, & Persas, & Hispanos, sed rariores, Italos autem Gallosque, atque Anglos & Græcos Orientales admodum frequentes invenias. Habet quæque Natio suum Consulem, contractuum litiumque mercaturam concernentium judicem. Cetera opificia, numero centum ac triginta tria, singula peculiaribus ordinata statutis, in controversiis ad Consulem suum provocant. Bajuli, Aurigæ, Molitores, Pistores, Cunicularii cum Mercenariorum turba, statis diebus suos quique conventus celebrant, in quibus quæ ad singulorum exercitia pertinent, certis legibus atque ordine ad vitandam confusionem statuuntur. Nobiles triplici in discrimine sunt; alii enim tales nati, alii munere, & alii censu seu divitiis tales, iisdem omnes privilegiis gaudentes. Noscuntur autem sandaliis, ut iis maxime propriis. Iidem ad exhibenda quædam Regi officia tenentur, cujus & in castris esse debent, cum aut bellum infertur aliis, aut illatum defenditur. Ceterum in incessu & sermone gravitatis terminos egressi, quandam arrogantiam ostendunt. Atque hujus ordinis familias ter mille Fessa urbs habere putatur; Arabum vero opulentiorum, qui ex agris in urbem venerunt, octingentas, reliquis per suburbia camposque dispersis.

Nobiles.

Arabes.

Iudæos una Fessæ Recentis regio habet, reliqua vero Provincia numerum eorundem ingentem. Plurimi inter Iudæos Aurifabri sunt, Mahometica lege Mauris exercitium artis hujus vetante; queis suus est Consul, qui imprimendi monetæ signi est custos. Non habet autem Fessa Vetus nummos aureos argenteosve cudendi potestatem, Iudæis Fessæ Novæ incolis tantum hac facultate præditis.

Iudæi.

Eadem Fessa Nova Supremæ Curiæ est sedes, quæ singulis diebus conventum celebrans, appellationum causas decîdit. Ibidem consiliis ad arma vergentibus, Bellicum celebratur Concilium.

Curia suprema.

Salè Præfectum habebat, Iudicemque (aliorum exemplo locorum, quibus Mahometici juris Doctores salario è Templorum reditibus affecti Iudices præsunt) ac alios vectigalibus præfectos; at hodie Mauri Granatenses munita contra libertatis adscitæ oppressores urbe sua, liberam Rempublicam instituere Fessanorum jugo regum excusso. Mechnessa Primogeniti regis portio seu assignatio est; quamobrem Abdala in hunc se locum recepit, fretus partim benevolentia populi, quam à puero fuerat expertus, partim etiam arcis munimento, qua furenti aut novis studenti rebus populo facile frenum imponitur. Ceterum hic populus quasi quodam naturæ ductu à Fessanis abhorrens, ultro quasi eos sequitur, qui cum Fessanis sunt bellum suscepturi.

Regimen aliorum locorum.

Qui Provinciam Fessanam incolunt, aut Mahometicam pravitatem sectantur, aut Iudaicæ superstitioni adhærent, aut Christiani nominis titulum præferunt. Mauri seu Mahometani, penes quos summa rerum est, quique multitudine prævalent, Morabutis in sacris parent, qui quidam quasi eorum episcopi sunt, pastores atque doctores. Verum omnes hi Mahometismo licet addicti sint, præcipue tamen sectæ, quæ tractu temporis irrepserunt in Africam, Fessam tanquam caput suum agnoscunt.

Religio.

Mahometani.

In binis Fessæ suburbiis, locoque Fessæ Novæ, *Zo* dicto, mercatores Christiani frequentes habitant. Inter hos ipsos tamen rari Hispani sunt, plures Itali Gallique, quos & Salè oppidum, aliaque præterea loca habent, sed minori commoditate gaudentes. Anglorum Græcorumque Orientalium longe major est numerus, utrisque religionis suæ exercitio liberrimo relicto. Ad mancipia Christiana quod attinet, eorum in sola urbe Fessa tricena facile millia invenias.

Christiani.

Iudæorum gens in tantam multitudinem excrevit, ut innumerabiles quidem Leo asserat, Grammayus autem quotquot Fessana Provincia habet, ad octoginta millia restringat.

Iudæi.

Nolo huc Nigritarum referre mancipia, quorum

Idololatræ.

rum multa idolorum cultui dedita, reliqua nulla Dei, cujus ineffabili bonitate creati ſunt, cognitione imbuta, viginti millia in Feſſa urbe numerantur, pecudum more tractata.

TEMECENA. *Temecena* ſive *Temeſna*, Provinciarum Feſſani regni maxime in Occaſum Solis vergens, finibus clauditur ab Oriente Buragrag amne; ab Occidente Ommirabiho flumine; à Septentrionibus Oceano, & à Meridie jugis Atlantis Majoris: *Limites.* *Longitudo.* Longitudo ejus inter Ortum & Occaſum ab Ommirabiho amne uſque ad Buragragum eſt *Latitudo.* leucarum 30. Latitudo inter Meridiem & Septentrionem ab Oceano ad Atlantem Majorem computata, eſt leucarum viginti.

Provincia hæc quadraginta urbes ſibi habitatas quondam prætulit, ut Leo perhibet, quibus Grammayus octoginta addit, trecentaque loca muro quæque incluſa ac frequenter habitata, præter vicorum numerum prope infinitum. Verum conſecuta deinde bella tanto urbium numero plerasque diruere, ruinis ipſis barbariem teſtantibus.

Loca. Hodie in maritimis locis celebriora ſunt, *Cocor* promontorium, diſtans ab Ommirabih verſus Septentrionem leucis aliquot; *Eſcoſſor*, & Camelinum Promontorium, vulgo *Cabo del Camelo*; *Anafa*, urbs à Romanis condita in littore Oceani ab Atlante verſus Septentrionem ſexaginta, totidemque ab Azamor verſus Orientem, atque à Rabato Occidentem verſus quinquaginta milliaribus, arcem habet mari imminentem, ab Arabibus exſtructam, quorum & firmo præſidio tenetur. *Fedala* & *Soncia* itidem maritima hujus littoris loca ſunt.

Almanſora ſeu *Manſora*, oppidulum Guir amni appoſitum, Almanſorem Mauroci regem conditorem habuit. Iacet id in amœniſſima planitie binis ab Oceano, viginti quinque à Rabato, ac totidem ab Anafa milliaribus remotum, hodie ab Arabibus incolitur. Sala ſeu potius *Sella*, nomen à Feſſanæ Provinciæ Sala diverſum, oppidulum eſt in ripa Buragrag à Romanis conditum, nunc dirutum. Ceterum ab Oceano diſſitum eſt milliaribus duobus, & à Rabato duntaxat uno. Manſor rex magnificum hic templum erexit, Palatiumque, cujus aula marmoreo muſivoque opere ſplendida, prædicti regis & ſucceſſorum cineres cuſtodit. Eodem in littore locantur Rotimum & Sala promontorium, juxta quod parvæ quædam inſulæ viſuntur, quarum major fortaſſis antiquorum *Pena* eſt.

Rabatum, urbs ingens, quam Niger eſſe Oppimum Ptolemæi ſuſpicatur, ſitum quoque in littore tenet, habetque ab Orientali parte Buragrag amnem hic ſe exonerantem in mare. Arx urbis faucibus hujus amnis imminet, quo ab una parte, ab altera vero marinis aquis defenditur. Plurima in hac urbe ſunt templa, palatia, collegia, balnea, atque officinæ; atque extra portam ejus Auſtralem turris quædam tanta altitudine evehitur, ut ex ea remotiſſimas in mari naves conſpicias. Leuca à Rabato dimidia *Menzala* occurrit, oppidum ruinis deforme, atque nemoroſo in loco abditum *Nuchele* oppidulum, itidem dirutum, ferme umbilicum Provinciæ tenens. *Adendum*, olim *Ecath* dictum, oppidulum eſt Atlanticis ab jugis leucis quinque, & à Nuchele quatuor remotum, ac medios inter colles exſtructum. *Tegegiltis*, oppidum Ommirabih adſidet via quæ ex Tedela in Feſſam ducit; *Hain-Elchalu*, oppidulum plano in loco ſitum, ſed frequenter incultum. Madaravanium, olim *Dorath*, milliaribus circiter decem ab Atlante Buragrago prætexitur. Thagia ſeu Dagia Atlantis oppidulum eſt, centum & viginti milliaribus Feſſa disjunctum. *Zarfa* ſive *Azarfa*, oppidum plano conditum loco, ac ſuperioribus deſtructum temporibus, nunc à quibuſdam colonis Arabibus incolitur.

Provincia hæc omnis in planitiem diffuſa, *Soli qualitas.* præpinguibus eſt glebis ob aquarum copiam. Frumentum cum in locis omnibus naſcatur, tum Anafani, Nuchelani magisque Zarfani campi feraces perhibentur, quod quinquagenario fœnore credita ſemina reſtituant, Thagianis duntaxat frumenti infœcundis. Frugum Anafanus ager, Manſoranus, Rabatinus & Zarfanus ſunt præ ceteris fertiliores, in quorum poſtremo fructuum genus cernitur *Rabbih* dictum, colore ac magnitudine ceraſi, at ſapore zizyphum referens; palmæ item ſilveſtres nulla altitudine elatæ, ferentes tamen fructum olearum Hiſpanicarum magnitudine, ſapore immaturis ſorbis ſimillimum.

In campis Temecenæ, maxime circum Anafam urbem melones præſtantiſſimi naſcuntur, Aprili menſe matureſcunt, quos Feſſam portant, quod illic tardius producantur. Vitium fertiles ſunt Manſoranus, Rabatinusque agri. Thagianum ſolum ob nimiam ſterilitatem & frugibus & fructibus ferendis ineptum, damnum iſtud incolis mellis abundantia compenſat. Idem ſolum caprarum felici proventu dives, truculentiſſimos ſuis in ſilvis leones nutrit, quos etiam locus habet, qui Madaravanium atque Atlantem interjacet, idem pantheris infertus. Tegegiltini agri coloni pecore abundant, ſuppeditantibus teſtudinum copiam paludibus. Adendinum Madaravaniumque agros ferri fodinæ præcipue commendant.

ASGARETTA. Aſgaretta Feſſani quoque regni Provincia, à *Limites.* Septentrione Oceano terminatur; ab Occidente Buragrag amne; ab Oriente Gomeranis jugis, parteque montis Zarhon, ac radicibus montis Zelag; à Meridie vero Bunaſar amne.

Latitudo. Longitudo. Longitudo ſumma milliarium eſt octoginta, latitudine tantum ſex implente.

Loca. Loca ejus in littore Oceani ſunt *Elharais*, quam nos *Laracham* dicimus, quæque hodie ditionis Hiſpanicæ eſt; & *Moxinar*. Reliqua loca ſunt *Elgiumha*, ſecundum Leonem, ſeu *Gemaa el Carvax*, ſecundum Marmolium, oppidulum loco plano *Huet Erguila* flumini appoſitum, 30 circiter à Feſſa urbe leucis, nunc deſtructum; & *Caſar el Cabir*, ſeu *Alcazar el Quibir*, quæ vocabula Palatium magnum ſignificant, Lucco amni adjacens, qui ſæpe tantis auctibus alveum egreditur, ut urbem inundet; Arzila diſtat milliaribus octodecim. Complectitur hoc oppidum domos circiter mille & quingentas, templa plura, unicum collegium ac noſocomium unicum. Cetera hujus Provinciæ oppida bellum deſtruxit.

Soli qualitas.

Eſt Aſgaretta tam leni temperatoque aëre, ut per verna tempora Feſſani reges plerumque huc ruſticatum venatumque abeant, hinnulorum, leporum, turturumque frequentia allecti. Hinc Feſſæ urbi & illis, qui Gomerana late juga incolunt, de pecoribus equisque plurimum providetur. Eadem hæc regio frumenti feraciſſima eſt, præcipue qua Elgiumhæ Alcazaræque accedit. Larachanus ager non producit frumentum, ſed magnâ goſſypium copiâ; anguillas autem flumen ejus abunde ſubminiſtrat. Proximæ ſilvæ leones producunt. Alcazaranus ager ſuburbanus duarum tractu leucarum in hortenſem amœnitatem ſe explicat, optimorum proventu fructuum laudatam. Verum intramurana puteis carent & fontibus, incolis aquam è ciſternis propinantia, ferentiaque maligni uvas ſaporis.

HABATA.

Limites.

Habata Feſſanis in Provinciis relata, à Guarga ſeu Erguila amne uſque ad Mediterraneum mare inter Auſtrum Boreamque producta, à Septentrionibus prædicto includitur mari; ab Oriente Gomeranis jugis; ab Occaſu Aſgarettæ paludibus.

Longitudo.

Latitudo.

Longitudo ejus ſpatio leucarum 35, latitudo viginti ſex protenditur.

Loca maritima.

Vrbes ſunt Oceani in littore, *Taximus*; poſt *Arzilla*, olim *Zilia*, oppidum Occidentali *Taximuxo*, Gaditano Freto 23 leucis, Feſſa vero urbe quadraginta remotum, Afris Azellæ nomine indigetatum. Id Portugalli circa annum Chriſti 1471 vi ceperunt, incolis omnibus in Luſitaniam tranſvectis, interque eos Mahometem, Feſſæ deinde regem, puerum tunc ſeptem annorum. Is libertati redditus, anno 1508 centum armatorum millibus idem obſedit, cepitque cum arce, turri duntaxat in Portugallorum poteſtate relicta. Verum cum Petrus Navarræus cum auxiliis in tempore veniſſet, repulſi ſunt Mahometani magna ſtrage ſuorum. Conſecutis tamen temporibus Portugalli Arzillam, aliaque ditionis ſuæ loca deſeruere, aut ſumptuum in præſidia numeroſa faciendorum pertæſi, aut Xeriforum adventantium metu perculſi. Anno autem 1578, cum ante eſſet à Mahometanis reſtauratum cultumque, Muley Mahomet Sebaſtiano Portugalliæ regi pignus quoddam ſervandæ fidei conſtituit: at deinde occupantibus id Xerifis, ab iiſdem etiam nunc tenetur *Spartelli* promontorium, quod Hiſpani *Cabo Eſparta* dicunt, Arzillæ Tingique oppido oppoſitum, in mare longius procurrit, ſcopulo ad extrema ejus extante. *Tanger*, ſeu *Tanjar*, Afris *Tanja*, olim *Tingi*, unde Mauritaniæ altera pars cognomen accepit, Heſperidum hortis, de quibus alio nos loco diximus, vicina, atque Arzilla Septentrionalior, Portugallici juris eſt, quo etiam Alcazara ſpectat; denique *Ceuta* juris ejusdem, de qua plura alibi.

Loca mediterranea.

In locis mediterraneis recenſentur *Ezagena*, oppidum ternis à Guarga fluvio leucis, & vicenis à Feſſa diſtans, acclivitati montis inſiſtit, pluribus fontibus riguum. *Beniteudia*, quæ communiter pro Ptolemæi *Babis*, ſeu Plinii *Iulia Campeſtri* accipitur, Guargæ adjacet plano in loco, quindecim à Feſſa leucis, & quinque Gomeranis ab jugis. Quondam ea ædificiorum millia octona complexa, nunc fere ruinis ſuis ſepelitur. *Amergo*, ſic Marmolio, Bertioque dicta, aliis *Mergo*, ac olim *Tocoloſida*, tribus Beniteudia leucis, in ſummo montis vertice conſpicitur. Muri ejus adhuc Latinis inſcripti literis cernuntur, intramurano tamen ſpatio prorſus inculto: at quà declivitate lenta deorſum mons vergit, aliud cernes oppidulum, frequens incolis; duosque ingentes amnes, alterum *Subu* dictum verſus Meridiem, atque alterum Guarga appellatum Septentrionem verſus, pari milliarium quinque intervallo ab oppidulo remotos. *Tanſor*, Marmolio *Tanſert*, qui id ab Arabibus *Tehart* vocari perhibet, olim Triſida appellatum, monti non magno incumbit, denis ab Amergo milliaribus, & mediâ, quà Feſſa ab urbe ad Gomerana juga contenditur viâ. *Agla* ſeu *Aguila* in ripa Erguilæ ſeu Guargæ fluminis, oppidum frequens eſt, & valido muro circumdatum. *Narangia*, decem Ezagena diſtans milliaribus, ab Anglis quondam deſtructa, nunc vero quodammodo reſtaurata, ad Luccum amnem ſedet (cujus ad fauces Gezira inſula, Hiſpanis *Gratioſa* dicta, in conſpectu eſt, quæ procul dubio *Cerne* Ptolemæi eſt) decem à Mari, & centum à Feſſa milliaribus. Ad prædicti amnis fauces Mauri oppidum ſuperioribus condidere temporibus, quod ab Hiſpano milite deſtructum eſt. Hinc ſpatio non magno verſus interiora Provinciæ ſeu mediterranea Bezati ruinæ viſuntur, quæ olim *Lyxa*, nunc *Beſara* ſeu *Baſra* quibuſdam appellata, plano in loco duos inter montes ſitum obtinet, Feſſa 80, & Alcazara Meridiem verſus 20 milliaribus remota, ac quondam ædificiorum duo millia complexa. *Homar*, quatuordecim Boream verſus Alcazara milliaribus, & ſedecim circiter Meridiem verſus Arzilla disjunctum oppidum, colli inſidet modico ſubterfluente amne. Id olim florentiſſimum, nunc à quibuſdam Arabibus incolitur, parum ſecuris, ob Portugallorum maritima loca tenentium excurſiones. *Tetuana* ſeu *Tetteguina*, Afris *Tetevain*, non contemnendum oppidum, Ceuta ſeptem, ac undecim ab Oceano abeſt milliaribus, continetque octingenta circiter ædificia, quorum eleganti ſtructura cum quibuslibet urbibus Africæ facile aut ex vero comparetur. Incolæ piratica infames, bellum ſe univerſæ Chriſtianitati inferre gloriantur; Subu amni quippe adſidentes leuca unica ab oſtio ejus, dena tenent aut ſummum duodena navigia, octonario, novenario uſque ad duodenarium remorum numerum inſtructa, quorum quinis aut ſenis in ſingulos menſes late mare infeſtant, nec prius revertuntur, quam prædam à Chriſtianis acceperint. Nomen oppido vulgare quæſitum à quadam Comitiſſa luſca, loci Domina; Tetteguin ſeu Tetevain enim unicum oculum ſignificat. Id bellis devaſtatum Almandalius, Maurorum à Ferdinando rege Granatenſi ejectorum regno dux, reſtituit; etiam nunc valido muro foſſaque, ac frequentia incolarum oppidi nomine digniſſimum.

Montes.

Octoni montes præcipue ſunt in Habatæ tractu, à Gomeranis inculti. *Rahona* ſeu *Arahona* mons Ezagenæ vicinus, leucarum circiter decem longitudine, latitudine quatuor porrigitur. *Beni-Fenſecara* ſeu potius *Beni-Zequer*, Rahonæ conterminus,

minus, longitudine octo, latitudine autem vix leucas tres occupat. *Beni-Arox*, Marmolio *Beni-Maras*, communiter pro Ptolemæi Heptadelphis acceptus, ac Alcazaræ proximus, in Occasum excurrit spatio leucarum septem circiter, in Septentrionem vero trium, latitudine ad duas leucas restricta. Caret is oppidis, perpaucis vicis, iisque Portugallorum metu maligne incultis, horridus, *Chebib* seu Teni Telit, Tingi leucis octo remotus, oppidulis sive castellis sex aut septem habitatur. *Beni-Hassen*, mons est insigni altitudine evectus. *Angaræ* seu *Amegaræ*, ab Alcazara minore Meridiem versus milliaribus octo dissiti longitudo leucarum est trium, latitudo unius. Mons *Quadres*, quem & *Huat-Idris*, & *Vateres* vocabulis indigetant, inter Ceutam Tetuanamque medius, ac Heptadelphis seu septem fratrum monti confinis, pro Abile Ptolemæi accipitur. *Beniguedarfeth*, seu potius *Benigued el Fetoh*, aut *Benihuedfileh*, mons est Tetuanæ proximus.

Soli qualitas. Pleraque hujus Provinciæ loca in planitiem crebris amnibus riguam, ac supra modum feracem se explicant; Ezagenam versus enim, ac Guangam flumen denorum tractu milliarium, adsidui horti visuntur, omni fructuum genere abundantes. Eadem amœnitate Beniteudiæ ager spatio milliarium 14 ad Gomeranos montes usque, cum circumjacente Homaram agro, formosus conspicitur. Ezagenanum, Beniteudianum, Mergense, Tansoranum Arzillanumque agros fructuum ac frumenti abundantia commendat. Rahona mons vitium est fertilis, unde vini albi rubrique copia.

Homaranum solum lini ferax est, quod optimum rerum munus Angera mons quoque impertit. Agla cum Benisensecara monte ceram affluenter suppeditat. Tansor pecoribus abundat; Agla vero boves vicinis suis suppeditat, nutritque in silvis leones tam degeneres, ut mulieris aut pueri vociferatione conjiciantur in fugam. Quamobrem proverbio solet in pusillanimos torqueri, similes eos esse Aguilanis leonibus, qui etiam imbellibus vitulis suam atteri caudam patiantur. Beniguedarfeth buxum largitur, è qua pectines conficiunt incolæ; Arzillani autem lignis carent, quem defectum larachanis solantur carbonibus.

ERRIFANA. *Limites.* *Errifana* Provincia terminos habet ab Oriente Nocor amnem; ab Occidente Columnas Herculis; à Septentrione limen seu initium maris Mediterranei; à Meridie vero montes, qui Guargæ amni respondent. Provinciæ summa *Longitudo.* longitudo inter Ortum & Occasum, est leucarum 47, *Latitudo.* latitudo summa in Meridiem ac Septentrionem leucarum est tredecim.

Loca maritima. Loca ejus in littore maris Mediterranei sunt, *Comera*, parvæ insulæ, duabusque aliis minoribus Hydrographicarum delineatione Tabularum expressis vicina, quarum illa mihi *Pennon* insula esse videtur; has pro scopulis vicinis *Tarsonelli* & *Nettegalla*, quorum Hydrographicæ itidem Tabulæ meminerunt, nullo facile abnuente accipiam. *Terga*, quæ *Targa* dicitur Marmolio, à Ruscellio pro Ptolemæi Gagatha accipitur, contra Leonem ac Sanutium, qui à Gothis condi-

tam asserunt. Distat ea à Freto Herculeo milliaribus octoginta, complectiturque ædificia circiter quingenta. *Chencer* & *Salquiza* nota in Tabulis sunt loca. *Yelles*, oppidulum est portu sat commodo, sed minore instructum, dissitumque à Bedi leucis duabus. *Bedis*, *Bellis* aliis dictum oppidulum, quo propius ad Hispanorum *Velez* accedant, eodem in littore inter duos excelsos montes positum, sexcenta circiter ædificia continet. Habet id intra muros suos spatiosam aream, arcemque mediocriter munitam, & juxta mare armamentarium non magnum, fabricandis triremibus, aliisque navigiis minoribus comparatum. Portus oppidi Fessa abest leucis quadraginta, cui non alius maritimus est propior. Contra hoc oppidum unius intercapedine milliaris sita est arx *Penon de Veliz*, Gothorum vel Saracenorum opus, quam Hispani nunc tenent. *Geba* seu *Gebba*, oppidulum dirutum, octo à Velez leucis, incolas quandoque habet, à quibus paulo post deseritur. Marmolius id juxta Oleastri promontorium locat. *Megima*, pro Ptolemæi *Teniolonga*, seu *Tenia longa* Antonini accepta, ampla urbs est, in littore quoque maris Mediterranei situm obtinet in ipso Garetianæ Provinciæ confinio. Illa monti non edito imposita, in vastam planitiem despectat, in Austrum novem intervallo leucarum porrectam, latitudine ejus tres implente. Mediam hanc Nocor amnis inter Errifanam Garetiamque terminus perlabitur. Ceterum urbs ipsa pleraque ruinosa, ab exiguo Arabum numero incolitur.

Loca mediterranea. In mediterraneis Errifanæ Provinciæ locis habentur, Tegassa, Marmolio Bertioque *Tagaza* appellata, acceptaque communiter pro *Thaluda* Ptolemæi. Ea angusto murorum ambitu contenta flumini cuidam prætexitur duobus à mari Mediterraneo milliaribus. *Seusaoen*, oppidulum monti cognomini insidet. *Guazeval*, tenue item oppidum, in monte Beniguazevol situm sortitur.

Montes. In montibus hujus Provinciæ sunt, *Benigani* seu *Beni Oriegan*, Targæ accedens, longusque milliaria decem, latus vero quatuor. *Beni Mansor* milliarium quindecim circiter longitudine, latitudine quinque porrigitur, quodam alio monte nominis ejusdem octo milliaria longitudine sua implente. *Bucchujæ* seu *Botovæ* summa longitudo est milliarium 14, latitudo vix octo attingit. *Beni Chelid*, seu *Beni Quilib*, via quæ Bedi Fessam mittit, verticem attollit. *Beni Ius* longus est milliaria duodena, latus vero octona. *Beni Zarval* quoque Errifanis in montibus refertur, quemadmodum etiam *Beni Razin* in Targæ finibus non procul ab Interno mari conspicuus. *Seusacen* seu *Xexuen* est omnium Africæ montium amœnissimus. *Beni Gebara*, mons inaccessa altitudine asper, radices suas tenuibus quibusdam fluviis irrigat. *Beni Yerso*, quondam fuit incolis frequentissimus. *Tezarin*, seu *Tiziran*, Beni Yerso vicinus. *Benigualid*, celsitudine sua perdifficilem præbet ascensum. *Merni Za* seu *Beni Vza* Benigualid conterminus est. *Haugustum* seu *Haguften* paucis oppidulis habitatur. *Beni Yedir*, mons vasto ambitu diffusus. *Alcai*, duodecim Fessa leucis asperrimo dorso evehitur. Beniguazeval, longitudine

æquans

æquans milliaria decem, latitudine quinque, oppidulo unico, ac centum viginti vicis insignis, in tres quasi partes seu montes diversos distinguitur, quos inter montesque Alcaï & Beni Yedir rivuli plures decurrunt. *Beni Gueriaghel*, seu *Beni Vrieguil*, Beniguazeval confinis, vicis circiter sexaginta celebratur. Subjacent ei amœnissimi campi Fessanæ accedentes Provinciæ, ac Guarguæ aquis regni *Beni Achmed*, seu *Beni Hamed*, in longitudinem porrigitur leucis sex, in latitudinem sex & dimidia. *Beni Iegenefen* seu *Beni Zanten*, Beni Achmed monti conterminus, ad tres leucas procurrit, à priore intermedio duntaxat rivo diremtus. Beni Mesgilda confinis est monti Beni Iegenefen amnique Guargæ. *Beni Gnamud*, interfluente amne à Fessana Provincia divisus, ab ipsa urbe Fessa decem abest milliaribus.

Soli qualitas. Errifana Provincia frequentissima in montes consurgit, frigoribus sterilitatique perquam obnoxios; arboribus quidem celsissima rectitudine silvosos, sed parum frumenti feraces. Hordei, avenæ, miliique copia passim mediocris est; ex fructuum genere autem frequentiores sunt uvæ, ficus, oleæ atque amygdala. Animalium proventus rarior est, si capras, asinos simiasque excipias, quas magno tenent numero montium opaca. Sunt tamen in Bucchuja monte aliquali frequentia equi, habetque Benigebara mons boves corpore adeo exili, ut eos octomestres esse vitulos putares.

Vina, quibus montana præcipue loca abundant, pleraque colore nigricant, ætatemque ferunt; adeo ut Beni Achmediana ad quintum decimum annum serventur, dummodo modica fuerint decoctione adjuta. Ad fructus quod attinet, præter ficus, amygdala, atque oleas, apud Yelles oppidum nucum pinearum seu strobilorum copia est, in Benibuseibetano solo abundantia nucum, & cydoniorum, quæ singularitas odoris commendat, fertiles sunt campi, qui Haugusto monti subjacent, cujus ficus esse sapore feruntur eximio. Alcaï mons cydonia mala, citreaque præstantia producit. Aquæ passim abundant, sed pluribus in locis fœculenta, inprimisque in montibus Beni Iuseb & Beni Achmed, qui salsas etiam aquas eructant. Benignamud mons aquarum ferme laborat penuria, Bedis autem intra suorum ambitum murorum potabiles aquas non habet. Est quidem incolis extra muros dulcium puteus aquarum, sed hirudinibus pestiferis infectus. Beni Guazeval mons valle celebris existit, in qua caverna seu crypta visitur adsiduò flammas evomens, quibus immissa ligna extemplo rediguntur in cineres. Qui ex Provincialibus littus tenent, ea piscium copia abundant, ut piscatoribus Bedisensibus præsertim, quoties piscantur, toties ad extrahenda retia adjutore opus habeant. Seusaoën, Beniguazeval & Benigueriaghel lini sunt feracia loca, existente passim lignorum copia.

GARETIA. *Limites.* *Garetiam*, sextam Fessani regni Provinciam, claudit ab Ortu Muluya amnis; ab Occasu Nocor, ac Chausæ montium pars; à Septentrione Mediterraneum mare; à Meridie autem Mullulo amnis, montesque conterminis Numidiæ desertis vicini.

Divisio. Dividitur Garetia in parteis treis, quarum una campestris, urbes continet; montana altera; tertia in vastas solitudines diffunditur, à mari Mediterraneo Austrum versus usque ad Chausæ deserta porrectas, ipsam ab Oriente Muluya amne, ab Occidente Montano tractu terminantibus. Pars prior, quam urbes seu oppida complecti diximus, Sanutio teste illa est, cui Leo longitudinem largitur milliarium 50, latitudinem 40. *Longitudo. Latitudo.*

Loca in littore Mediterranei maris, insulæque. Habet Garetia in littore maris Interni loca, *Tarfogarello*, Fetis, *Tarfoquirato*, *Montem Aleudiæ*, sic Arabibus dictum, ut Marmolius refert, qui eum cum Abyla, altera Herculis columna confundit; tum *Cabo de tres Furcas*, secundum Castaldum, seu *Cabo de tres Arcas* secundum Oliverium, pro *Metagonite* Ptolemæi, seu Strabonis *Metagonio* communiter acceptum, & quibusdam *Sestiaria Vetus* vocitatum. Id longius in mare procurrens, tres parvas insulas suis extremis in Ortum vergentibus habet obversas, triangulari fere situ dispositas, quarum duæ ad continentem proxime accedunt, at bis mille à se invicem passus disjunctæ. Contra hoc promontorium alia insula visitur ambitu mediocri, sed leucis octo ab eodem divulsa. *Melilla*, urbs, Ptolemæo Rysadirum dicta, Hispanorum præsidio tenetur. Ejusdem juris est *Cassaca*, de qua alio nos loco pauca retulimus.

Loca Mediterranea. Mediterranea seu recedentia à littore Garetiæ loca sunt, *Teznota*, leucis quinque post se Cassacam relinquens, insistensque præcelsæ rupi, angusta sinuante se circa rupem paulatim in altum semita aditur. Megenum, vulgo *Meggeo*, oppidulum est altissimo in monte conditum, versus Austrum à Mediterraneo mari duabus, à Teznota vero Occasum versus quatuor ferme leucis dissita.

Montes. Præter Alcudiæ montem, & quem trifurcum nuncupant, montes Garetiæ sunt, *Equebdenon*, seu potius *Mequeb Huan*, à Cassaca in Ortum ad Muluyam amnem usque, in Austrum vero ab Interno mari ad Gareticum Desertum porrectus. Septuaginta duo in eo vici numerati fuere antequam Cassaca esset in manibus Hispanorum, quos deinde solitudo magna invasit. *Benisahib* in Occasum haud procul Cassaca, usque ad vicina Nocori fluvio loca, octo circiter leucarum spatio se explicans, vicos complectitur centum ac viginti octo.

Azgangan ad Cassacam à Meridie accedens, Gareticum sub se desertum habet. *Beniteuzin* ab Austro Azgangano confinis, à Garetico deserto usque ad amnem Nocor intervallo denorum circiter milliarium extenditur, amœna uno ab latere stipatus planitie. *Guardan* à Meridie Beniteuzino conterminus, Internum mare versus duodecim, versus Nocor amnem vero milliaribus octo producitur.

Soli qualitas. Non omnia quæ precio ambitiosa sunt, aut usu necessaria, in Garetia reperias; optimarum quippe rerum aqua pleraque ejus loca carent, ut Teznota, cui non alia est, quam in cisternis servata, locis ceteris, Benisahib monte excepto, aqua potabili tenuiter instructis. Breviter, omnis hic tractus nimia soli siccitate steriliss-

mus

mus eſt, Numidiæ deſertis perſimilis, cum vix alio, quam Muluija flumine rigetur.

Pecoribus tamen alendis Muluija benignus eſt, cujus utraque ripa in pinguia prata diffuſa, Arabibus ac Bataliſanii anſam præbet ſuos per æſtatem hic equos, camelos, oveſque paſcendi. *Echebdevon*, Beniſahib & Azgangan armentis gregibusque herboſorum beneficio paſcuorum. Benitenzinis equorum eſt, Alcudianisque copia ſimiarum. Sub monte, cui Megenum oppidum inſidet, frumenti feraciſſimi campi viſuntur. Echebderon & Beniſahib montes, cum Azgangano hordeo abundant & melle. Verum præter has res ad victus rationem neceſſarias quoque in montibus invenies, in illis maxime qui Megenum circumſtant, ubi diſperſos circum fodinas vicos conſpicies, habitatos ab iis, qui ferrum è terræ viſceribus eruunt. Nec in Beniſahib & Guardan montibus defectum ejuſdem metalli notabis.

CHAVSA. *Chauſa*, Feſſani Provincia regni ſeptima, & noſtro ordine poſtrema, tertiam ferme regni ipſius partem obſidet. Illa à Leone Chaus ſeu Eſchaus, à Marmolio autem *Cuzt* ſeu *Cuz* appellata, Cauſa potius, ſeu Elcauſa, quam cum aſpiratione Latine ſcribenda videtur.

Limites. Claudit eam ab Oriente Zha ſeu Ezaha amnis; ab Occidente vero Guraigura fluvius. Lon-
Longitudo. gitudo ejus ab his utrimque terminis inter Ortum & Occaſum computata, leucarum eſt octo-
Latitudo. ginta, latitudine ad ſeptuaginta leucas & ultra porrecta; latitudo quippe Atlantis Majoris qua Mauritaniæ is objacet, hujus latitudinem Provinciæ efficit, ad quam non exigua quoque camporum Numidiæ, montiumque Libyæ confinium pars pertinet.

Loca. Nobiliora ejus loca ſunt *Teuretum*, veterum Afrorum opus, qui id juxta amnem Zha edito in colle condiderunt. Ager Teuretanus terminatur à Septentrione Garetico, à Meridie Adduhrano, ab Oriente Angahano, in Trimiſeni regni confinio, ab Occaſu vero Tafratano deſertis, quod poſtremum etiam Teharas oppido confine eſt. *Hadagia* ad Melluli Malvæque confluentes tanquam in inſula poſitum oppidulum, primum Arabes è Dardano profecti deſerto diruerunt, Teuretano deinde bello omnino deſertum. Turcæ autem immiſſa Arabum Mottigianorum colonia reſtauratum, eorundem nunc præſidio defenditur. *Garſis*, olim *Galapha*, quinque Teureto leucis ad Malvam amnem rupi impoſitum oppidum, Marinorum quondam munimentum ac horreum fuit; *Dudubum*, pervetus oppidum, montem editiſſimum, aſcenſuque difficilem tenet, atque à Zeretanis ex parte habitatur. Plurimis id aquis ſummo è monte labentibus riguum, milliaribus quinis ab ipſa planitie abeſt.

Clezara, elegans, munitaque urbs, à priſcis illis Afris condita, diſtat ab Atlante quinis, Feſſa, quinquagenis, ab Oceano centum ac triginta, à Mediterraneo vero mari, ſi per Gareticum deſertum verſus Caſſacam iter inſtituas, ſeptenis tantum milliaribus. Domos complectitur quinquies mille, ſed vix ullo ad elegantiam aut magnificentiam compoſito opere inſignes, ſi Palatium Nobilium, Collegia ac Templa excipias. Iuriſdictio hujus urbis latiſſime patet, utpote quæ montes complures diverſis habitatos populis complectitur. *Sofroy*, Feſſâ Auſtrum verſus leucis quinque diſſitum oppidulum, radicibus Atlantis adjacet, viâ quæ in Numidiam tendit. *Mezdaga* itidem radicibus Atlantis adſidens oppidulum, à Sofroy verſus Occaſum milliaribus octo, à Feſſa vero Auſtrum verſus duodecim abeſt. Id ambiens murus firmo opere exſtructus eſt, domibus intus ſordidioribus, ſingulis licet fonte inſtructis. *Benibuhhil*, olim *Benta*, dorſo Atlantis incumbit qua is Feſſam reſpicit, qua ab urbe diſtat milliaribus duodecim, ſive leucis quatuor. Non procul ab hoc oppido, quod præcipites è monte rivi amœnum reddunt, aditus eſt in Numidiam iter patefaciens. *Hamliſnan*, ſeu *Ainelguinunum*, creberrimos inter montes planitiem tenet via, quæ à Sofroy in Numidiam ducit. Ceterum vocabulum hoc fontem idolorum ſignificat, inde procul dubio derivatum, quod, cum antiquiſſimis illis temporibus Afri adhuc idololatriæ eſſent addicti, juxta oppidum Templum fuerit exſtructum, in quo ſtato anni tempore circa nocturnum tempus ſexus uterque conveniebat, peractoque ſacrificio, poſtquam extincta erant omnia ad tollendum pudorem lumina, ut ſors dabat, ſic corpora corporibus miſcebant. Poſtero die ſerio mulieribus, quas hic habuerat conventus, vetabatur, ne annuo tempore rem cum ſuis quæque maritis haberent, & qui anno iſto naſcebantur infantes, hos templi hujus ſacerdotes educabant. Verum conſecutis deinde temporibus in Templum quod fontem habebat, urbemque, ſævierunt adeo Mahumetani, ut nullum pene veſtigium utriusque appareat. Fons hic parvi nunc lacus ſpeciem refert, in tot deinde rivulos diviſi, ut meræ circum paludes eſſe videantur. *Mehedia* ſeu *Menhidia*, conditum in monte Arden qui brachium Atlantis eſt, oppidum, decem ab Hamliſnano milliaribus plano in loco, medias inter ſilvas aquasque ſitum ſortitur. Id dirutum Arabes quotidie reſtaurandum curant. *Tezerghe*, oppidulum anguſto munimenti inſtar ambitu murorum incluſum, rivo cuidam prætexitur, qui radices Cunaigelggenber montis obſcuras inter valles præterfluit. *Vmeginnabe*, antiquum oppidum, à quodam per Atlantis juga verſus Meridiem aditu leucis diſtat quaternis. *Gerſeluin* ſeu *Garcilicin*, à Bertio *Garelivum* indigetatum, oppidum vetus, ac valido muro à Regibus Marinorum degente circumſeptum, radicibus montis Zis, ad ejuſdem nominis amnem ſedet, ut tranſitus per id in Numidiam ſit.

Habet Chauſa late patentes amœnosque cam- *Campi.*
pos, quorum ille, qui *Sahblebnarga* dicitur, milliarium circiter quadraginta longitudine, latitudine triginta inter adſidua juga Atlantis membra protenditur. Vocabulum hoc Afrorum lingua campum viri fortis ſignificat. Alterum campum Azagari Cammaren indigetant.

Matgara ſeu *Matagara*, quinis tantum à Tezara *Montes.*
leucis remotus, inſigni altitudine eſt, ac perdifficili ob ſemitarum anguſta aſcenſu. *Gavata*, eadem aſperitate mons, ac quinquagenis circiter vicis frequens, fontibus aliquot erumpit, unde duo mediocria flumina exiſtunt. Is inter Ortum & Occaſum longus paſſus octies mille, latus quin-

quinque Tezara diſtat milliaribus quindecim. *Megeſus* quadraginta vicis elegantibus habitatur. *Baronis*, leucis quinque verſus Septentrionem Tezara diſſitus eſt. *Beniguertenagus*, tricenis ac quinque vicis ſtipatus, Tezara decem circiter leucis abeſt. *Gueblen* Tezara verſus Meridiem milliaribus 50 disjunctum, aliterque *Giubeleyn* dictus, leucarum viginti longitudine patet, latitudine quinque : conterminus is eſt ab Oriente Dudubo, ab Occidente vero monti *Benijazga*. Habet eadem Provincia montes, *Benijeffeten*, *Sellego* ſeu *Ciligo*, in quo Subu celeberrimi amnis ſunt fontes, *Benijazga*, & *Azgan*, quindecim latus milliaria, longus quatuor, quem ab Oriente Selelgo, ab Occidente Sofroy, à Meridie montes ultra Malvæ fontes ac Feſſanæ provinciæ campi terminant. Sunt præterea in Chauſanorum montium numero *Miabir* ſeu *Centopopho*, eminentiſſimus mons, cujus in vertice antiquorum rudera ædificiorum extant, juxta quæ puteum videbis ea profunditate, ut ad ima ejus nullus oculus pertingat. *Cunaigelherben*, ſeu *Cundigelherben*, quod vocabulum *Corvos* ſignificat, ſecundum Razillium monti Centopozzo vicinus, nec oppidatim incolitur, nec vicatim quidem. *Benimeraſen* ſeu *Mariſan*, & *Maſettazus* ſeu *Mezetalcus* itidem Chauſæ ſunt montes, quorum hic inter Ortum & Occaſum longitudinem obtinet leucarum decem, latitudinem quatuor, ab Occaſu terminatus Edecſenſibus campis, Temecenæ provinciæ conterminis. Neque Chauſæ montibus excludi debent montes *Zis*, amni, quem ſuis è viſceribus eructant, cognomines. Claudit illos ab Ortu Maſettazus; ab Occaſu Tedela provincia monsque Edis ; ab Auſtro Numidiæ pars, Segelmeſſa dicta ; à Septentrionibus vero campi Edecſenſes & Guregrani. Longitudo eorum ſpatium centum circiter milliarium æquat, latitudine quadraginta occupante. Iam enumeratis longo ordine montibus Chauſæ denique accedunt *Beniguertenaz* & *Benigebara*.

Pons admirandus. Subu amni, qua Benijazgam duas inter altiſſimas rupes ſubterfluit, incolæ, ut à rupe ad alteram nullo deſcenſu tranſitum haberent, pontem impoſuerunt hac ratione fabricatum : infixis utrique ripæ immanibus è ligno pilis, trochleas ſeu machinas tractorias ductariis è carice funibus craſſiſſimis utrimque connexas ſuperaddidere, quibus tranſituri denorum capacem hominum corbem è junco firmiſſime contextum appendunt, aliis tunc ductarios hoſce funes utrimque trahentibus, qui rotularum in trochleis adjumento facillime moventur. Ceterum memorabilis hujus pontis ſupra amnem centum ac quinquaginta cubitorum longitudo eſt.

Soli qualitas. Aquæ. Major Chauſæ portio ſterili ſiccitate notatur; quædam tamen ejus loca, inprimisque quæ Tezaram circumſident, crebris rivis ad fertilitatem ſcinduntur. Fontibus quoque Matgara mons inſtruitur, & Gavata duorum inſignium amnium eſt genitor. Selelgo cum Azgano monte vicinisque campis in plurimos fontes erumpit. Hamliſnan variis eſt fontibus amœnus. Tezerghe ſuo amne ſuperbit ; & Gerſeluin Zis fluminis vicinia gaudet.

Fruges ac fructus. Tezaranus ager ſæpe tricies reddit ſimpliciter acceptum ſemen. Matgara mons ſingulari aëris ſalubritate per omne anni tempus incolas ſuos donans, ipſe fœcundo vertice cum Capato, Sofroy & Mezdago montibus gaudet. Azgan autem cum Megeſo nimio frigore ad fertilitatem torpet.

Cunagegharbeam Septentrionales venti perflantes, non ſolum male excipiunt eos, qui è Numidia Feſſam commeant, ſed ipſum etiam montem ob frigora nivesque reddunt inhabitabilem. Zis, quo nomine montes quinque complector, itidem frigoribus horret ; plura tamen ex eo flumina naſcuntur. *Gueblen* adſiduis nivibus obtegitur.

Qui Garſim oppidum circumjacet ager, vitium quibuſdam in locis eſt ferax, ficuum alibi ac prunorum perſicorum. Quæ in Dudubi vicinia ſunt valles, fructiferis arboribus, vitibuſque abundant, quarum ex uvis albentibus, rubris nigrisque delicatiſſima Iudæi vina exprimunt. Matgarenſe ſolum frumenti, lini oleique ſuppeditat copiam. Megeſani lino ; Baroniſii uvis nigris abundant, quibus tamen torculare non adhibent. Beniguertenagis frumentum, linum, oleæ, mala citrea & cydonia affluunt. Benigeſletenſes frumenti inopia è panico conficiunt panem; radices tamen montis vitium fertiles ſunt, dactylorum perſicorumque, quæ in partes quatuor diſſecta ad Solem exſiccant, quo commodius in reliquum anni tempus ſerventur. Fructum hunc iſta ratione ſiccum delicatiſſimi inſtar cibi habent. Benijazganis olei eſt copia. Eſt etiam Azganis olivitas largiſſima ex illa montis parte, quæ Feſſam reſpicit, ſubjecta planitie hordei, lini cannabisque fœcunda. Moros hic paſſim alendis bombycibus videas frondeſcere. Sofroy in frequentia ſe oleta dilatat, ſolo ejus, ſi hordeum, linum cannabimque excipias, ad fruges ceteras inepto.

Ligna, & Animalia. Matgara mons ſilvoſo ſub tegmine ſuo nutrit caprarum greges numeroſos. Gavatæ in ſilvis ſimiæ pantheræque frequentes diſcurrunt. Selelgo in pinetis ſuis leonum, pantherarum ac ſimiarum catervas alit ; ſuppetunt tamen etiam incolis capræ ovesque. Benijazganis ovium felix proventus eſt, quas ſubtilior lana commendat, unde ſerico perſimilem pannum mulieres conficiunt, ſtragulis deinde aut veſtibus ſuis deſtinatum. Mezdagenſes ſilvæ leones producunt minus truculentos, utpote qui ad armati hominis ſtrepitum aufugiant. Benihahlul Auſtralem partem ſilvoſam exhibet ; Sahblel Marga vero ſuis in ſilvis leones habet, qui carbonarios horum locorum ſæpe dilaniant. Azgari Cammaren partim nemoribus opacatur, partim etiam in prata ſeu paſcua diffunditur. Beni Meraſen cum Mazettazo equis, aſinis mulisque abundat. Qui Zis montes incolunt, majorem habent ovium, aſinorum, ac mulorum copiam, quam lignorum. Tanta apud eos ſerpentum frequentia eſt, ut ipſis in ædibus alantur ab incolis, & domeſticorum canum aut felium more circa menſas reptent, neminem lædentes, niſi à quo primi fuerint laceſſiti. Gerſeluinis ejuſdem ſunt ingenii ſerpentes.

Metalla. Benijeſſetenſis mons argento carens, ferrum incolis largitur, è quo monetam cudant, equosque ſuos ferramentis induant. Ex hoc ipſo metallo pugiones fabricant, ſed minus acutos penetrantesque.

ÆGY-

ÆGYPTVS.

Nomen.

COmputatur *Ægyptus* in regionibus Aſiæ à veteribus Geographis, à poſterioribus autem, Arabico ſinu inter Aſiam Africamque termino conſtituto, Africæ tributa, nomen traxit ab *Ægypto*, qui filius fuit Beli Babyloniorum regis, & Danai frater, quo expulſo Ægyptus regnum Ægypti tenuit, atque ex ſuo nomine regionem hanc appellavit, cum ante Aëria à fuſco & caliginoſo aëre, Nili ſcilicet, diceretur, Stephano, Plinio, & Gellio autoribus. Sunt qui (quod vero ſimilius eſt) ab *Ægypto* amne, qui *Nili* poſtea nomen invenit, dictam Ægyptum putent. Ceterum variis præterea nominibus hæc regio ab autoribus indigetatur; nam & *Aëtia* dicitur ab *Aëte* homine Indo, & *Potamita* ab Ogygia amne ſuo, *Æthiopia* à vicinis Æthiopibus, *Hermochemia*, *Melambolos*, *Hepheſtiaque*. Hebræi *Mizraem* quoque à quodam Chami filio appellavere. Hodie Ægyptum *Mizraim* vocabulo Iudæi ſignificant, Arabibus Turcisque *Mitzir* ſeu *Mitzri* dictam; quamvis Leo affirmet, prioribus nunc *Mezraim*, poſterioribus *Meſne*, incolis autem *El Quibet* nuncupari.

Syris Ægyptii *Ægophtes* dicuntur, Mahometani vero Ægyptii Chriſtianos populares ſuos vocant *Elhibt*, & *El Kupti*, ſeu articulo omiſſo, *Rupti*, loco *Kupti* ſeu *Egupti*, Æthiopibus eoſdem *Giptu* ſeu *Gibetu* appellantibus.

Limites.

Ægypto quidam ab Oriente Arabiæ partem, Sinumque, qui ab ea cognominatur, terminum aſſignant; à Meridie deſerta montesque Æthiopiæ; ab Occaſu Libyæ deſerta; à Septentrione vero Mediterraneum mare. Alii aliis eam finibus includunt. Ptolemæus Ægyptum, Marmaricam Libyamque dedita confudiſſe opera videtur, cum nullam ex his certos intra limites conſtituat. Attamen ſi accuratiore diligentia Ægypti terminos ex ejus diſcurſu eruere coneris, invenies regionem hanc ab ipſo claudi Marmaricâ, parteque Libyæ Interioris ab Occidente; ab Oriente Arabico ſinu, & Iudææ parte; à Meridie Æthiopia ſub Ægypto; à Septentrione vero Interno mari.

Clarius autem Ptolemæus dubitationem veterum enodavit, quorum nonnulli Ægyptum Orbis partem fecere, ſeparatam ab aliis, quas notas ſibi eſſe putabant, eandem inter Africam Aſiamque mediam locantes: alii Nilum communem Africæ atque Aſiæ terminum, licet minus commode, minuſque rite, ſtatuentes, Ægyptum ad utramque amnis ripam porrectam, Africæ partim, partim Aſiæ dedere, contra Ptolemæum, qui omnem Ægypti tractum Africæ adjecit, cui terminum quoq; cum aliis aſſignavit non Nilum flumen, ſed ſinum Arabicum ſive Erythræum.

Leo Africanus tamen, recentior autor, incolarum fortaſſis opinione inductus, Ciſ-Nilanam duntaxat Ægypti partem, quæ in Occaſum vergit, Africæ largitus, reliqua Ægypto Aſiæ relicta. Sed quorſum tam nobilem provinciam, quam ipſa natura intermedio ſinu Arabico ſubmovit ab Aſia, dubitamus totam in Africæ regionibus cum noviſſimis doctiſſimisque Geographis referre?

Afri, utpote domeſticarum peritiores rerum, claudunt Ægyptum à Meridie Nubia; à Septentrionibus mari Interno, quod à Damaſco Syriæ urbe Damaſcenum appellant; ab Oriente Deſerto, quod Damaſcum ſpectat, ſinuque Arabico; & ab Occaſu Alvahata, quam à Barcana regione diſtinguunt, ut quæ ſit Nilo amni propinqua.

Celeberrimus quidam noſtri ævi Geographus fines Ægypto dat, ab ortu Solis Arabiæ Deſerta, Ægyptum inter ac mare Rubrum arenoſa ſiccitate in longitudinem octo ſecundum Maginum, ſecundum alios vero uſu ipſo edoctos, duodecim dierum itinere porrecta; qua Sol occidit, aſpera montium Libyæ, & Barcanæ regionis Deſerta, quæ itineribus vicenis protendi perhibent, Nubiam item regionem Africæ vaſtiſſimam; à Meridie Æthiopiam, Deſertumque Bugihæ, ac Nili cataractas; à Septentrione mare Internum. *Haithonius* ab Ortu Syriam Ægypto terminum conſtituit, interpoſito tamen octo dierum ſpatio, quod Arabiæ Deſertum occupat; à Meridie Nubiam, ſed intermedio duodenorum itinerum Deſerto.

Verum Marmolius, Africanarum rerum maxime omnium peritus, Ægypto limites tribuit ab Occidente Barcæ Libyæque Deſerta; ab Ortu extrema Aſiæ, & Deſerta Ægyptum ac Syriam interjecta, cum Sinu Arabico; à Septentrione Mediterraneum mare; à Meridie autem Bugiham, Nubiæ regnum, atque Æthiopiam ſub Ægypto.

Diviſio Ægypti varia.

Quod Nilus Ægyptum in duas partes prope æquales dividat, inde duplicem ſtatuendi Ægyptum nonnulli argumentum ſumpſere, *Orientalem* appellantes Ægyptum, quæ intra Nilum, montesque Arabiæ Troglodyticæ continetur; *Occidentalem* vero, omne illud terrarum ſpatium, quod à Nilo amne ad Libyæ montes pertingit. Alii aliter partientes Ægyptum, *Inferiorem* Ægyptum dixere quæ à Nili ſupra Δέλτα oppidum divergit, & ad Internum ſive Ægyptium mare protenditur; *Superiorem* autem, quæ ab hoc divortio Meridiem verſus ad eum locum aſcendit, ubi Nilus inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere. Alii in complures Ægyptum *Præfecturas*, Græco vocabulo *Nomos* dictas, ordinatasque primum ab Alexandro M. poſt à Romanis confirmatas deſcribunt, quas autor quidam octodecim recenſet, novendecim alius, quidam quadraginta, nonnemo quadraginta & unam.

NOVA ÆGYPTI TABVLA.

PARS ARABIÆ DESERTA & Deserta.

ARABIA PETRÆA

TERRA SANCTA.

IDUMEA.

AGARA.

MARIS SYRIACVM.

MARE MEDITERRANEUM.

ÆGYPTI INFERIORIS PARS.

REGIO DESERTA.

BARCHA olim MARMARICA.

MARE RVBRVM, Turcis SINVS ARABICVS. olim MARE DE MECCA, ET BOHAR CORSVN.

SAHYD, alias ABISSINA REGN. alias ÆTHIOPIA SVPERIOR.

Cossir Desertum.

Bugiba, al. Buge Desertum.

NIGRITARVM NUBIÆ REGN.

TERRA.

LIBYA BILEDULGERID, alias NUMIDIA EXTERIOR.

Milliaria Germanica.

M. S. Catharina
M. Sinai
M. Horeb
Batoch
Tema
Eltor
Caraz
Cesarea
Ioppe
Ierusalem
Hebron
Asdot
Ascalon
Gasara
Arentosa
Cajassa
Loca
Fara
Hamiones
Larissa
C. Galo
Catie
Bierdodare
Sues
Desertum
Hemelasin
Acola
Ostragi
Terette
Elboere
Messelli
Salachie
Catara
Albere
Damiata
Berelles
Belbes olim
Zuraf
Saidi
Magura
Canachi
Migni
Tecarie
Albosia
Matarea
Surebi
Emali
Signiti
Caneba
Tura
Echied
Rumbeli
Damanora
Scheni
Alcairo
Leonto
Munufi
Nucaria
Calissen
C. della Brule
Michale
Turbet
Fuoa
Subsir
Duriith
Zuga
Mechlat
Sachil
Gezirat
Derote
Piramides
Rosetta
Rasschit
Tebes
Dibi
Sindou
Demeriocuri
Nantubes
Atacon
C. de Bicheri
Bicheri
Farson
Naruit
Turamama
S. Vito
Antazon
Lac.
Niriota
Monasterium
Monasterium S. Macarii
Alexandria vulgo Scanderie
Farioni
Magrah
Torre dell' Arabi
S. Macarii
Cacobericho Turris
I. de Colombi
C. d. Rassori
Desertum
Palemet
S. Antonii
Bulli
Elbuchiari
Elbuchiara Lacus.
Palema
Sette Pozzi
Baltzophin
Betzemes
Dimas
Grondel
Azirut
Elmeni
Babutor
I. Genamani
I. Chisale
Buge
Zibit
Dan
Ficli
Docati
Cajassa
Hibeleel
Aesruan
Riffa
Macada
Tazitha
Dia
Georgio
Cana
Iemn
Almona
Veneria
Ansena
Mauisira
Mansfia
Asruan
Azoth
Abuticht
Elchiam
Barbanda
Consa
Alna
Astar Caferam
Elfium
Munia
Menuie
Benesuef
Dobissai
Dealmerath
Sacahemisie
Coaza
Ernet
Ascor
Conza
Elvocat
Eocat
Desertum
Fons Solis
Algueeet
Olim
Barbanda
Mansfia
Aesruan
Cossir
Desertum
Bugiba, al. Buge Desertum.
Milliaria Germanica.

Alii rurſum Ægyptum in *Superiorem*, *Mediam*, *Inferioremque* diſtinguunt, primam Thebaidi tribuentes; alteram Heptapoli ſeu Heptanomo, quod vocabulum ſeptem Præfecturarum regionem ſignificat; tertiam vero parti illi quam Δέλτα vocant, à forma ambientis Nili, ſubtendente tamen baſim mari Interno. Δέλτα Iuſtinianus iterum bifariam ſecat, trifariam Ptolemæus; quorum ille partitiones ſuas *Primam* ac *Secundam* appellat; hic *Majorem*, *Minorem* & *Tertiam*. Haithonius in quinque Provincias Ægyptum partitur, quarum primam *Sayt* vocabulo indigetat, ſecundam *Dremeſor*, tertiam *Alexandriam*, quartam *Reſint*, quam Inſulam à cingentibus eam amnibus appellat, quintam vero *Damiatam*.

At Leo Africanus treis in parteis diviſam fuiſſe Ægyptum perhibet eo tempore, quo eam Mahumetani occuparunt; quarum illa, quæ à Cairo urbe Roſettam uſque extenditur, *Errifana* appelletur, montes littuſque complexa; altera ab eadem urbe Cairo ad Bugihæ confinium porrecta, *Sahid* ſeu *Aſſahyd*, hoc eſt *Terra*; tertia autem, quæ cornui iſti prætexitur, quod Peluſium ſive Damiatam & Tenez deſcendit, *Bechria*, ſeu, ut in Marmolio legitur, *Beheyra*, hoc eſt, *Maritima*.

Situs. Ægyptus, ſi ejus initium conſideres, ſitum Meridionalem ſortitur, à Tropico Cancri nonnihil remota, interque ſeptimum decimumque parallelos, prope tota ſecundo climati ſubjecta.

Dimenſio. Quidam longitudinem hujus regionis dierum quindecim itinere metiuntur, latitudinem duntaxat trium; alii vero longitudinem ejus ab Interno mari ad Bugiham uſque computant quadringentorum circiter milliarium Italicorum, ex quibus Maginus milliaria hæc nimis magna eſſe ratus, longitudinem Ægypti ad quingenta ac ſexaginta communia extendit, Marmolio omne hoc eoſdem intra fines ſpatium centum & quinquaginta leucis dimetiente. Latitudo ſumma verſus Internum mare eſt leucarum Hiſpanicarum viginti ſex, Marmolio teſte, cujus non magna ratio habenda eſt, cum illum ſolum Tractum complectatur, qui Nili aprica montium Deſertis vicina interfluentis littoribus prætenditur, adeo ut perexiguum ſit à Nili ripis ad hoſce montes ſpatium, quod ſuos habeat colonos. Ad hunc modum ſtipantes utrimque rupes latitudinem Nili, ab Aſna Cairum uſque coërcent. Ceterum octoginta adhuc ſupra Cairum milliaribus duo in cornua ſcinditur, altero in Occaſum vergente, quod deinde ad alveum, unde abierat, revertitur. Verum ubi milliaribus circiter ſexaginta Cairum poſt ſe reliquit, in duo iterum cornua diffunditur, quorum ſiniſtrum, *Canopicum* à *Canopo* parva inſula ejus oſtio oppoſita, appellatum, Roſettam tendit, dexterum Damiatam vergit; è quo tamen iterum ramus emergit in lacum converſus, ſed ea ratione, ut peranguſtis faucibus, ad quas eſt vetus oppidum Tenez, Interno mari jungatur.

Delta. Duo autem hæc cornua magnam Ægypti partem quodam veluti triangulo includunt, ipſis latus utrumque ſtatuentibus, baſin autem ſubſternente mari. Quapropter hæc Borealior Ægypti pars, quam Inferiorem appellant, inter duo Nili cornua inſulæ in modum contenta, Δέλτα veteribus fuit indigetata, quod quartæ Græcorum literæ ſeu elemento eſſet ſimillima.

Ea, teſte Guilielmo Tyr, *Mahelech* Ægyptiis vocitata, ambitu ſuo (ut Strabo autor eſt) 3000 ſtadia, ſeu trecenta ſeptuaginta quinque milliaria Italiæ complectitur. Maginus tamen intra trecentorum milliarium ſpatium coarctat omnem Deltæ circuitum, Roſetta Damiatam uſque Peluſiaco appoſitam oſtio milliaria 140 computans, relicta cuique Nili brachio longitudine milliarium octoginta. At Villamontius Deltæ ambitum latiore ſpatio extendens, tribuit eidem milliaria 700, ſtatuitque ingentem lacum qua Nilus in Orientem torquetur. Verum illi, qui curioſius hoc terrarum ſpatium conſiderant, adhuc alium Nili canalem artificialem ponunt, Villamontio *Galiz* dictum, ac prope ad Alexandriam accedentem. Hic quoque cum Damiatano triangulum efficit, ſed nonnihil obliquum.

Quoniam autem per omnem Ægyptum vagus diffunditur Nilus, eamque quaſi in partes diſtinguit, loci hujus ratio monet, ut ortum ejus pro ſcientia, curſumque verboſius dicamus.

Nili deſcriptio. Quorundam jam ab Homeri temporibus ſuſpicio fuit, tractum illum terrarum, qui nunc Delta dicitur, primitus aquarum fuiſſe tractum ſe inſtar Delta inſinuantium in terras, partemque iſtam Ægypti Nili donum eſſe, quæ ex advecto ab amne limo paulatim conſtiterit retrahente ſe Nilo, ac deinde in quoſdam ſe ramos ſpargente. Iidem aſſerunt Ægyptum Superiorem intra Arabiæ Troglodyticæ Libyæque montes à Memphi ad Thebas uſque Ægyptias Elephantimque urbem antiquiſſimis illis temporibus ſinum maris fuiſſe. Alius non modo fertilitatis Ægypti Nilum, ſed ipſius etiam terræ laudat autorem, eundem conſervatorem Superioris, creatoremque Inferioris appellans, ob limum, quem aſſiduò advehit.

Nilo multiplex nomen eſt. Varia à veteribus nomina impoſita Nilo fuere; Hebræis quippe dictus eſt *Nahal Mitzraim*, hoc eſt, Flumen Ægypti; quod nomen è recentioribus Geographis quidam comprobare videtur ex eo, quod qui Nilum accolunt, eundem *Nuchal* appellent. Nec Mela diſſentit, qui Nili fontes ait *Nuchul* ſeu *Nuchal* vocari, quod ab Hebræorum Nahal ſeu Nachal vix differt. Nomine *Schihor* quoque Nilum indigitavere Hebræi, quod vocabulum *turbidum* & *nigrum* ſignificat; talem enim limus efficit. Eandem ob cauſam Græcis *Melas* dictus fuit, ejuſque ſignum non ex candido lapide, ut fluminum aliorum, ſed ex nigro fecere.

Sunt quibus *Gihon* ſeu *Gehon* ſacris in literis expreſſus amnis eſſe putetur; at Gehon, qui in Paradiſo terreſtri locatur, fluvius eſt Aſiæ, non Africæ; ut Armeniæ præfecti ad Cypri Regem litteræ teſtantur, cui, utpote uſu perito credendum eſt, pluribus aliis hoc flumen in Aſia locantibus.

Fuit etiam Nilus olim dictus *Ægyptus*, *Oſiris*, & *Siris* qua è Libya Syenen ditur, cujus incolæ *Nilum* dixere à Nilo Regis filio in eo ſubmerſo.

Ægyptii

Ægyptii temporibus Ori, ut ipſe ille commemorat, *Noym & Nam* vocavere. Afri hodie, ſeu potius Ægyptii, *Nil* vocabulo eundem ſignificant, Abiſſini *Abanhi*, hoc eſt, patrem fluviorum dicunt, Nigritæ *Tauci*, quo etiam Abiſſinis nomine vocari ajunt, quibus brachia Nili *Aſtuſapes*, & *Aſtabores*, *Tagazii*, & *Abanni* vocantur. Sanutius refert, quod Nilus incolis Regni Goyame *Gihon* dicatur; at quia ſine autore loquitur, in dubia ſe fide conſtituit.

Nili fontes. Sed nunc maximi incomparabilisque amnis indagandi ſunt fontes, in quos curioſiſſime veteres inquiſiviſſe, Hiſtoricorum ac Poëtarum monumentis docemur. Multum in his ipſis reperiendis Alexandrum Magnum temporis tribuiſſe conſtat. Seneca natur.quæſt.lib.6.c.8.memorat, Neronem Centuriones duos ad inveſtigandum Nili caput miſiſſe, audiviſſeque ſe eos narrantes Regis Æthiopiæ auxilio penetraſſe ad immenſas uſque paludes, quarum exitum nec incolæ noviſſent, ibique tandem duas comperiſſe petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat.

Par Ptolemæum Philadelphum, Dicæarchumque Hammoniorum Regem inveniendorum Nili fontium cura exercuit, ſed uterque idem laboris præmium tulit, ignorantiam. De Sultanis Ægypti quoque, Turcarumque Imperatoribus referunt, vehementer eos fuiſſe ſollicitos, Nili ut fontes reperirent, ſed & hi oleum perdiderunt ac operam. Proxime omnium in iſta opinionum varietate ad veritatem Ptolemæus accedit, qui originem Nili putat duobus ingentibus ex lacubus exiſtere.

At noſtris temporibus origo Nili tot ſæculis incognita, è tenebris ad lucem emerſiſſe videtur; niſi quod de Lacus (ex quo, aut ſaltem juxta quem oriri omnes Nilum fatentur) nomine ac ſitu non ſatis adhuc inter autores conveniat.

Nili curſus ante Cataractas. Iovius, cum omnia didiciſſet verbis Petri Abiſſini viri doctiſſimi, ac præterea pleraque quoque noviſſet à Petro Alvares Luſitano, apud Pretojoannem diu verſato, ab immenſis aſperrimisque rupibus, quæ Lunæ montes vocantur, frequenti & copioſa ſcaturigine Nili fontes deducit, tribuendo eis locum vehementer abſtruſum qui *Beth* (hoc eſt, deſertum) Abiſſinorum lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi per Gorgiani regni ſpatia modo diſſipati, modo coëuntes in longe maximam toto Orbe aquæ dulcis paludem effunduntur. In hac palude amplius viginti inſulæ numerantur incolis frequentes, & multis cultæ ædificiis, in quibus turrita templa, & luculenta ſacratorum hominum cœnobia eminent. Ex hac tanta palude Nilus primo lenis, mox rapidus & præceps ſeſe effundit, variisque mæandris & gyris Nigritarum fines lambens, Gorgianum regnum, & mox Amuranum inſolenti curſu proſcindit. Alius autor ex Lunæ montibus quoque ortum Nili fluminis trahit; at lacum iſtum, quem permeat Nilus, *Saphe* nuncupat, qui forte idem eſt, qui *Zaſlan*, à Geographis haud procul à montibus Lunæ locatus.

Multi Nili fontes in Regni Goyamæ finibus ponunt, ubi lacus fundi expers conſpicitur, ultra quem Godinius, diei unius ſcilicet & medii itinere verſus Meridiem eoſdem reperiri, deindeque hunc lacum permeare Nilum cenſet. Cui adſtipulatur Imperatoris Æthiopiæ à P. Bertio in Breviario Orbis terrarum recitatus titulus, in quo is ſe regem Goyamæ nuncupat, hoc addito, *ubi Nili fontes ſunt*. Alii tamen Nili originem & ditioni Neguz, & Lunæ montibus, hisque vicinis Ptolemæi lacubus abnuunt, quorum alter in Ortum, in Occaſum alter vergens, centum & quinquaginta circiter leucis à ſe invicem diſtant. Ieſuitarum autem ex Æthiopia litteræ de annis 1625, & 26 memorant, Nilum in regno Goyamæ oriri, fontesque ejus erumpere in loco *Sacala* dicto, qui ad territorium Agaos ſpectat, atque ab Auſtro in Aquilonem tendere, donec in Ægypto mari miſceatur Interno. His literis plurimum Godinii confirmatur ſententia, qui Nilum ab extrema Goyama accerſit. Quod vero tenuem initio ait ſeſqui dierum itinere profluere, antequam prædictum lacum ſubeat, id ex Tabulis Geographicis evidenter apparet, in quibus duodecim Auſtrum verſus ab Æquatore gradibus, apud Tauci oppidum modicus à Meridie decurrens amnis pingitur, per ingentem lacum Nilidem, qui nunc *Zaire & Zembre* dicitur, cxx milliar. Germ. permeans. Ab eodem Tauci oppido Nilum ab Abiſſinis Tauci appellari, valde probabile eſt. Perrumpit autem lacum Nilidem ad eum modum, quo Rhodanus apud Valleſios ortus, dein lacu Lemano exceptus, ſe per medium in leucarum ſeptendecim ſpatio integer, ſervatoque colore agens, quantus venit egreditur; aut quomodo Rhenus Brigantinum lacum pervadens, longiſſimum deinde curſum ſolus proſequitur. Egreſſus Nilidem Nilus, cum diu ſimplex ſævusque receptis dexterâ magnis aquis deſcendit, *Aſtapus* cognominatus, quod Æthiopum lingua ſignificat aquam è tenebris profluentem, circa *Meroem*, Inſularum, quas innumeras lateque patentes ſpargit, clariſſimam, lævo alveo *Aſtabores* dictus eſt, hoc eſt, ramus aquæ venientis è tenebris; dextero verò *Aſtuſapes*, quod latentis ſignificationem adjicit, nec ante, quam ubi rurſum coit, Nilus dictus eſt. Præterlapſus igitur Abiſſinorum ac Nigritarum regiones, Meroënque inſulam, quæ Nubiæ vicina, nunc *Naule-babé* ſeu *Neuba* Marmolio teſte appellatur, Nubiam attingit, qua vix peragrata, in Gianadelum montem incidit, tam aſperas objicientem cautes, ut Nubienſium navigiorum omnino impatiens ſit Nilus. Quapropter merces Nubienſium hucuſque navi advectas ſuis Nigritæ camelis imponunt, duodecimque itinere dierum eas Aſuanum uſque aſportant, ſuperioris Ægypti terminum; nec Ægyptii adverſo poſſunt flumine altius aſcendere. Hic igitur locus qui ſua aſperitate præcipitiisque Nubienſes longius navigandi privat facultate, cataractis infamis eſt, de quibus tot autores meminere.

Sunt autem Cataractæ duæ, Strabone, Ptole- *Nili Cataractæ.*
mæo ac Plinio teſtibus; quarum altera major, minor altera, in ipſo Auſtrali limine Ægypti viſuntur. Has *Catadupas* quoque dixere, eodem accolas nomine ſignantes. Hodie *Catadhi* accolis vocantur, quod gentis iſtius lingua tumultum ſtrepitumve ſignificat. Locum Cataractarum

extendi veteres prodiderunt ſtadia quingenta, ubi per arduas exciſasque pluribus locis rupes, Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat: frangitur enim occurrentibus ſaxis & per anguſtias eluctatur, ubicunque vincit, aut vincitur, fluctuat. Tandem eluctatus obſtantia in vaſtam altitudinem ſubito deſtitutus cadit, cum ingenti quidem circumjacentium regionum ſtrepitu, perſimili, cum Æthiopicis imbribus eſt auctior, ſævienti mari, ſed non tanto, quem perferre gens ibi aſperis collocata non poſſit, obtuſis adſiduo fragore auribus, ut veteres fabulati ſunt. Inter miracula fluminis incredibilem pene accolarum audaciam Majolus recenſet: Bini parvula navigia conſcendunt, quorum alter navem regit, alter exhaurit; dein multum inter rapidam inſaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuiſſimos canales tenent, per quos anguſta rupium effugiunt, & cum toto flumine effuſi, navigium ruens manu temperant, magnoque ſpectantium metu in caput miſſi, cum jam adploraveris, merſosque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo in quem ceciderant, loco navigant, tormenti modo miſſi, nec mergit cadens unda, ſed planis aquis tradit. Porro hoc præcipitium Nili ducentos circiter pedes demittitur, directius, ubi incrementa flumen acceperit, obliquius vero cum ſuas aquas vehit.

Nili curſus poſt Cataractas. Inde latiore laxatus exceptusque alveo, fractis aquis domitaque violentia per Ægypti plana, incolentibus utramque ripam Ægyptiis & Arabibus, Cairum devolvitur, ubi ad portum Bulach, ut Villamontius narrat, alveum ſuum ad

Divergia. unius leucæ Gallicæ ſpatium extendit. Poſtea octoginta infra Cairum milliaribus in duo cornua divaricatur, in plures deinde ramos dextero, pauciores lævo diſſecto. Verum incolæ, ut quædam eſſet inter Nili ripas diſtinctio, Garbiam illum terrarum tractum appellavere, qui Orientalis eſt Nilo, Chargnia dicto, qui Meri-

Oſtia. dionalis eſt, & Damiatam verſus porrigitur. Ex his Nili cornibus ramisve Oſtiorum ejuſdem diverſitas exiſtit, quæ ſeptenario numero veteres plerique complexi ſunt, exceptis Ptolemæo, qui novem quidem, ſed bina ex iis non vera oſtia ſtatuit, & Plinio, qui undena numerat, ſed non vera quatuor. Nomina ramorum ſeu brachiorum Nili ſunt Heracleoticum, quod etiam Canopicum, & Naveraticum dicunt; Bolbiticum ſeu Bolbitinum, Sebenniticum, cujus vinum Plinio vehementer laudatur; Pathmeticum, quod Strabo Pharniam nuncupat, & Herodotus Bucolicum; Mendeſianum, Taniticum ſeu Saiticum, & Peluſiacum. Duo iſta Nili oſtia non vera Dioclos & Pineptimi appellantur.

Si tamen Nilus, ut nunc eſt, conſideretur, novem ejus oſtia ſtatuantur neceſſe eſt; at præcipua ſunt Canopicum, quod hodie Roſettanum dicitur ab appoſito ejus nominis oppido; & Peliſſiacum, quod multis Damiatanum eſt oſtium, aliis vero *Tenezenſe*; quod tamen Tanicum ſive Taniticum potius eſſe videtur, licet Peluſiacum Guilielmus Tyr in Hiſtoria Belli Sancti *Carabez* nuncupet, quod nominis nautæ Hiſpani Gallique Alexandriæ ruinis tribuunt. De Bolbitino quod eſt, id nondum aliud nomen invenit, niſi quod Ruſcellius cum Roſettano confundat. Sebenniticum nunc Sturioni indigetant, Pathmetico veteri adhuc appellatione contento. Mendeſianum quidam pro Damiatano, alii pro Migniano intelligunt. Taniticum nonnulli Calixenicum nuncupant, aliis Taneſium ſeu Teneſium vocitantibus. Fictum Pineptimi oſtium pro eo loco communiter accipitur, quem Tabulæ *le Brule* appellant; Dioclos autem Sanutio Damanora dicitur. Explicatis iis, quæ in genere de Ægypto prænoſcenda fuere, ordo poſtulat ut nunc ſingulas ejus partes inſpiciamus. Ab illa autem noſtræ deſcriptionis primordium capiemus, quæ à Barcanæ regionis finibus ducit initium.

ERRIFANA. *Errifana* autem pars Ægypti Occidentalior eſt, quæ à Barcana regione Roſettam uſque porrecta, omne interpoſitum littus, & quidquid duo inter Nili brachia à Roſetta Alexandriaque Cairum uſque protenditur.

Loca. Igitur Barcanæ provinciæ fines egreſſus, tendensque Orientem verſus, poſt Arabum Turrim, quæ olim Plinthine, & Moneſter oppidum maritimum, vicenis circiter Alexandria milliaribus *Buſirin* conſpicies, nunc *Boſiri*, oppidum in *Boſiri.* littore maris Interni poſitum, ſed dirutum eo tempore, quo id Chriſtiani cepere; quamobrem deſertum nunc jacet, incolis ad lacum Elbuchairanum transgreſſis.

Alexandria. Sequitur deinde Alexandria, olim *No*, & *No Ammom* Hebræis; poſt Alexandria ab Alexandro M. appellata. Eadem Romanis Sebaſta, Iulia, Claudia & Domitiana, & Alexynteria. Ceterum plures Alexandriæ fuerunt, quarum una fuit hæc ipſa, de qua nunc ſermo eſt; alia ad radices Caucaſi montis in Aſia; alia in Scythia ſupra Tanaim; in India Orientali alia; alia rurſum in Troade; ejuſdem nominis urbem Thracia habuit, quæ Lacedæmonia primo fuit appellata, ſeptendecim annos ante natum Alexandrum condita; alia iterum in Aria Perſiæ provincia, in Cilicia, in Cypro, in Caria, in Bactriana, in Arachoſia, alibi. Hodie ceterarum vix, aut ne vix quidem meminerunt autores, hac ipſa Ægyptiaca excepta, & quam Mediolanenſis Ducatus in Italia habet. Porro urbs hæc apud Chriſtianos Europæos vetus Alexandriæ nomen retinet, Turcis eam Scanderie vocitantibus; *Scander* enim ſeu *Scandar* illis idem eſt quod Alexander. Situm Alexandria tenet in littore maris Interni loco ſabuloſo, quadragnita, ut Leo refert, à Nilo amne milliaribus. Baro à Beauvau crucis eam forma exhibet, longitudine ubique latitudinem ſuperante, geminamque facit, veterem ac novam, quarum illa trium milliarium ambitu ſuo duos, ut Belonius ait, aut tres montes arenoſos complectitur; utraque autem ſena, aut ſecundum quoſdam duodena putatur habere milliaria in circuitu. Verum Villamontius quadratam Alexandriam conſtituit, cinctamque adhuc veteri ſuo muro, qui vaſtiſſimi eſt ambitus; quem tamen ille non exprimit. Mercatores Europæi qui frequentant iſta locorum, memorant murum hunc tot turribus ad munimentum urbis exſtructis diſtingui, ut mirum, ac prope incredibile dictu videatur. Palernus numerum ea-

rum

rum iniens, quater mille enumerat, ſingulas quadruplici contignatione evectas, amplius centum armatorum capaces, integroque adhuc opere, ſed ad ruinam inclinante. Vrbs ipſa, pauciſſimis reliquiis exceptis, *Krabez* incolis dictis, diruta eſt, vetere prorſus deſerta. Ædificia pleraque ſubtus concamerata, & columnis marmoreis ſuffulta ad ciſternarum cuſtodiam. Vrbs nova, ut quæ plano in loco ſita eſt, aliquanto amœnior eſt. Adjacet illi ſiniſtrorſum Portus vetus, quem arx urbis veteris defendit. At quia difficulter aditur, præterquam quod locum aliquando quieſcentibus triremibus præſtet, uſum hodie nullum habet. Sane, niſi urbs nova littori eſſet appoſita, ad eamque, ob portus commoditatem, quam præbet ex Nili brachiis unum, hinc non longe remotum, atque è loco quodam, qui paulo ſupra Foan oppidum eſt, perductum, navigantes ex Occidente in Ægyptum appellerent, eam inſalubritate aëris omnino deſertam fore credibile eſt.

Portæ illi præcipuæ quaternæ ſunt, laminis ferreis contectæ, Cairana ſcilicet ab Oriente; altera Occidentalis ad vaſtas Barcanæ regionis ſolitudines mittit; tertia Auſtralis, dicta, Villamontio teſte, Papalis, mittit ad Mareoticum lacum piſcoſum qui nunc *Elbuchaira*, ſesqui leucis ab urbe disjunctus eſt. Lacus hic latiſſime diffuſus, (ut qui, Palerno referente, trecenta milliaria circuitu ſuo, quem crebra palmeta conveſtiunt, complectitur) parvas quaſdam inſulas habet, quo incolæ ſe nonnunquam adventantium hoſtium metu recipiunt. Aquæ ejus (quod mirum) ſextis majoris hebdomadæ feriis omnibus rubeſcunt. Quidam eum ab adjacente oppido Arſtacomum vocant. Quarta demum porta maritima eſt. Ceterum, ut Breveſius memorat, urbs ſeptingentos aut ſummum octingentos paſſus à portu abeſt, ſeu loco, ad quem naves ſolent appellere. Idem portus eodem Breveſio autore capaciſſimus eſt, ac navium appulſu frequens, ſed inelegans, periculoſusque ob duos ingentes in limine ejus extantes ſcopulos; tutiſſimam tamen admiſſis navibus ſtationem præbet. Quo tempore Arabes urbem diripuere, reperta fuerunt in ea balneorum millia quatuor, duodena millia eorum qui olera divendunt, hiſtriones quadringenti, ac Iudæorum tributariorum millia quatuor.

Pharus inſula. *Pharus* inſula, quæ tantopere celebratur autoribus, incolis nunc *Magrah*, Arabibus *Magar Alecſandria*, hoc eſt, Pharus Alexandriæ, Ortelio vero *Farion* indigetatur, Turri ejus ſive Laterna *Garoſalo* appellata. Homeri temporibus hanc inter inſulam atque Alexandriam urbem viginti quatuor horarum ſpatium maris interceſſit; at nunc, ut plerorumque conſtans relatio eſt, continenti eadem adhæret. Pinetus tamen ab Alexandrinis adiri ponte exiſtimat; præbetque Pharus & navigantibus obſcura nocte laternam, & urbi contra ſævientis maris fluctus vicem molis ſeu propugnaculi. Villamontius autem, qui omnium accuratiſſime loci ſitum notaſſe videtur, Pharum continenti, atque adeo ipſis Alexandriæ mœnibus conjungit, aquarum pontisque omni intercapedine remota; ea tamen ratione, ut inſulæ hujus duo veluti cornua adverſo in Ortum atque Occaſum ſitu porrecta, duobus aliis continentis cornibus connectat, relictis utrobique ſpatiis tantum ad ſubeundum utrumque portum ovali prope figura circumductum. Ceterum portuum alter Vetus appellatur, Italis *Porto Vecchio*, qui ſola urbis veteris arce, non alio munimine, defenditur. Verum ad alterius portus os arces duæ ripæ utriusque cuſtodes excubant, quarum arbitrio (nam bellicis tormentis inſtructiſſimæ ſunt) ſubeant naves exeantque portum neceſſe eſt. Illud autem arx utraque habet incommodi, quod aquæ dulcis laboret penuria, quam è ciſternis depromptam cameli ex urbe apportant. Arcium major munitior quoque eſt; nam & prælto turritoque muro circumdatur, & arcam habet ingenti circuitu quadratam, ex qua turres quaternæ diſpari ſurgentes altitudine, robur arcis non parum amplificant. Atque hæc illa ipſa eſt, quam vigil adſiduo miles obſervat, & in qua ad illuſtrandum per noctem mare ignes accenduntur. Vtrique autem arci Palernus dat nomina, *Farzion* vocans quæ portûs latus dexterum tenet, quæ vero ſiniſtro in latere ſita eſt, *Caſtelletto* vocabulo Italico indigetans. *Portus.*

Ædificia. Ædificia urbis, ut in Orientalibus regionibus pleraque, nulla tectorum acclivitate conſurgunt, ſed ſuperiora ſui plana habent areæ in modum, ambulationi poſt cœnam quietique nocturnæ deſignata. Suſtinent ædificia antrorſum arcuati hiatus, ſub quibus ciſternæ ſunt exſpatiantis Nili aquis recipiendis inſtructæ. Nam etſi amnis hic longius ab Alexandria aquas ſuas devehat, pars tamen ejus ſeu ramus, ductâ ſupra Foam oppidum, quod Cairum Roſettamque interjacet, ab Ægyptiis foſſâ, ſub ipſis mœnibus urbem ingreſſus, ciſternas adimplet.

Antiquitates. Montes tres. Ternos habet Alexandria in intramurano ſpatio monticulos, monti Teſtaceo, quem Roma Italiæ caput habet, ſimillimos, in quibus hodieque teſtacea vaſa quam plurima reperias. *Obeliſci duo.* Iuxta vetus in urbe Palatium duo Obeliſci viſuntur ſolido è marmore, pedum centenorum altitudine, latitudine octo. Marmor autem, ex quo uterque conſtat, Thebaicum eſt, diſtinguentibus cinereum colorem paſſim ternis aliis punctorum in modum coloribus diverſis.

Columna Pompejana. Columna Pompejana ſolido item ex lapide marmoreo, eoque rubro, tam rara craſſitie in altum evehitur, ut hucusque non ſit inventus artifex, qui ullarum adjutorio machinarum in alium eam transferre locum potuerit; eſt quippe alta pedes centum ac viginti, ſola baſi ſeu inferiore ambitu pedes quindenos complectente. E monte conſurgit ducentos circiter ab urbe paſſus remoto, è quo in lacum Buchiaram, & quæ eundem circumſtant palmeta, item in mare Internum, partemque continentis lato diffuſam ſpatio proſpectus eſt omnino amœnus.

Locus refugii S. Athanaſii. In ſuburbanis quoque locum invenias, in quem Arianæ perſecutionis rabiem declinans S. Athanaſius ſe abdidit, Symbolo (*Quicunque vult ſalvus eſſe*) ab eodem compoſito inclytum. *Locus Martyrii S. Catharinæ.* In urbe vero juxta ternas illas è marmore porphyretico columnas D. Catharina cervicem ferro ſubdidit.

didit. Chriſtiani hunc ſanctum locum exſtructo quondam templo venerati, Turcæ ſuperſtitioſis exercitiis ſuis dicarunt. In propinquo capitis ſupplicio S. Marcus Euangeliſta affectus, Chriſtianæ fidei veritatem ſuo ſanguine conſignavit. In templo, quod hac in urbe à Chriſtianis S. Ioannis Baptiſtæ honori dicatum eſt, lapidem cernes, ſupra quem caput ſanctiſſimo viro Herodiano mandato abſciſſum. Ferunt hunc lapidem Infidelium neminem inſeſſorem ſine gravibus corporis tormentis dimittere.

Locus Martyrii S. Marci Euang.

Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi librorum 700000.

Porro Alexandriæ nomen late pervaſit ad poſteros ob celeberrimam illam, quam Ptolemæus Philadelphus in ea ſeptingentorum millium librorum Bibliothecam inſtruxerat, Regum Ægyptii olim ſedem, ac Ptolemæi Geographorum atque Aſtronomorum principis incunabula. Verum noſtro ævo Alexandria quondam Ægypti totiusque Africæ caput, nunc ignorantiæ ſedes eſt, ac exemplar veriſſimum, quod injurioſo temporis pede cuncta humana opera tandem proterantur. Nam ex urbe, quam Cluverius tradit in tantam creviſſe multitudinem atque frequentiam, ut uni tantum Romæ cederet, nunc tria duntaxat, aut ſummum quatuor templa integra Mahometanorum ſacrificiis aptata, forum, quod ædificium eſt in varias tabernas partitum, unicum, mercatorum Gallorum, Genuenſium, Raguſæorum, Venetorumque hoſpitia non multa, Turcarum per noctem clavibus occluſa, ac Chriſtianorum templa tria ſuperſunt, quorum primum S. Sabæ dicatum, S. verò Catharinæ nomine nunc inclytum, Græcorum monachorum habet annexum cœnobium; alterum D. Marco ſacratum, Venetis S. Euangeliſtæ corpus ad immortalem urbis ſuæ gloriam conceſſit; tertium autem D. Michaëlis Archangeli inſignitum titulo eſt. Atque hæc de ipſa Alexandria hoc loco dicta ſufficiant.

Bocchir ſeu Bicchieri.

Ab Alexandria in ortum Solis abeunti Bocchir oppidum, quibuſdam Bicchieri, olim vero Canopus dictum occurrit; tum Turris Promontoriumque Bocchir, infamis eorum naufragiis, qui è Syria navigantes nocturnis à tenebris oppreſſi, Alexandrinum nequeunt portum ſubire; poſtea Arces duæ, Breveſii in itinere ab oppido ſeu promontorio Bocchir appellata; denique lacus Bocchir, cum Caſar & Ahacon locis eidem appoſitis.

Roſetta.

Nobile exinde eſt cum arce oppidum *Raſchitt* ſeu *Raſit* Arabibus Turcisque dictum, Palerno, ſed ſine autore, *Rachil*, quod Europæi Roſettam & Roſſettam vocant, & quibuſdam putatur *Schediæ* nomine à Strabone indigetatum, qui & id quatuor ab Alexandria ſchœnis locant; aliis vero Metelis Ptolemæi intelligitur. Situm tenet Alexandriam inter ac Cairum urbem (quam tamen longius à ſe ad Mediterranea removet) ad quoddam ex majoribus Nili oſtiis, quod nonnullis Heracleoticum Canopicumque dicitur, octo ab Interno mari milliaribus, ut Beauvavius refert, ſeu leuca majore, ut Villamontius, Palernus & Leo notarunt, Alexandria, Villamontio teſte, leucis communibus triginta, & trecentis circiter Cairo milliaribus. Nullis quidem Roſetta mœnibus cincta eſt; attamen ædificia ejus ſtructuræ elegantia commendat, & compoſitus ex auro variisque picturis ornatus. In ripa Nili habet Roſetta magnifica Palatia duo, areamque diverſis mercatoribus artificibusque frequentem, ac Templum operis majeſtate conſpicuum, cujus porta altera in aream, altera per magnificos gradus exeuntes in Nili ripam demittit. Sub ipſo Templo portus eſt, in quem ſe onerariæ naves recipiunt; quam commoditatem alia conſequitur commoditas, quod Alexandrinis ad ipſas ædes foſſarum è Nilo perductarum beneficio naves advehantur. Extra Roſettam quandam ſuburbii vides imaginem, ubi aſinorum mulorumque, quibus Alexandriam veharis, facilis eſt copia. Subeunti porro Errifanam interius medii circiter diei itinere *Natumbes* oppidum in conſpectu eſt, quod utrique Nili ripæ prætexitur; poſt *Fuoa* ſeu *Foa* oppidum vetus, olim *Niig* dictum, 45 Roſetta milliaribus verſus Auſtrum Nilo appoſitum. Id incolis frequens, peranguſtis tamen viis diſtinguitur. Suburbium eidem adjacet ſat amplum, luparum concubitu merentium domicilium. E regione oppidi Foa in ſiniſtro Nili alveo inſulam conſpicies, quæ olim *Nathos*, nunc *Gezirat Eddeheb*, & Inſula Aurea nuncupatur. Habet illa vicos quam plurimos ac ſuperba palatia, quorum tamen aſpectum præternavigantibus tollunt celſarum arborum umbræ denſiſſimæ. Sequuntur adjacentia Nilo oppida *Mechella*, incolis frequens, ſed mœnibus invalidis; *Derota* ſeu *Dorota*, nullis mœnibus cinctum oppidum; tum *Mechellat Cays* edito impoſitum colli, atque in hujus Tractus oppidis relatum.

Natumbes. *Fuoa.* *Gezirat Eddeheb.* *Mechella.* *Derota.* *Mechellat Cays.*

ELBECHRIA.

Elbechria ſive *Beheyra* altera Ægypti portio, Mediterraneo partim mari, partim etiam Orientali ſeu dextero Nili alveo, qui Damiatam vergit, prætexta eſt. Initium ejus eſt à finibus Roſettæ, porrigiturque Faramicam uſque; quapropter Ægyptii regionem Maritimam vocant, Itali *Maremma*, ut in Leone videre eſt, licet ſpatio longiſſimo Cairum verſus Nilum ſecuta procurrat.

Itaque ſi Orientalem Elbechriæ partem primum perluſtres, Brulanum Sinum, cui Orientalis Nili alveus aquas communicat, portus in modum concluſum, adulterinum Nili oſtium Ptolemæo putatum, cum Promontorio cognomine, quod vergens in mare terra excitat, invenies.

Sinus Brulanus.

Exinde Damiata in conſpectu eſt, quam Nicetas in Annalibus Emanuelis Tamiathum vocat, & ferme omnes pro Peluſio accipiunt; quibuſdam vero eadem Stephani Tamiatis intelligitur, quorum probabilior ſententia eſt. Guillandino *Tanis*, de qua in Sacris Litteris, & unde Tanici appellatio oſtii eſt, eadem cum Damiata eſſe videtur. Verum Burchardus accurate inter hæc duo vocabula diſtinguit, Tanidem cum Tenez oppido confundens, cujus à vicinia ac celebritate quondam cognomentum Tanico Nili oſtio adhæſit. Illi vero, qui Peluſium Heliopolimque olim, nunc Damiatam eſſe exiſtimant, tota mihi via errare videntur, cum Peluſium inter ac Heliopolim tantum ſpatii interſit, quantum Mediolano Venetiisque Italiæ urbibus inter-

Damiata.

interjacet. Huc accedit, quod Peluſium ſit in maris Mediterranei littore locandum; Heliopolis autem à mari diſtet milliaribus circiter centum. Peluſium quod attinet, id Belbaidem nunc appellari quidam aſſerunt, quo nomine à Tanide diſtinguitur. Ceterum leucis aliquot à mari remotum, Nilo adjacet, qui alteram oppidi longitudinem lambens, ductarum beneficio foſſarum utramque etiam latitudinem munit. Longitudinem alteram nullus murus tuetur, ſed continuata domorum ſeries, munito nihilominus à ſitu oppido, qui ex omni parte eſt planus. Ædificia Peluſiaca hortorum ornat frequentia, queis Nilus fœcunditatem, ac nobilium multitudo arborum ſingularem amœnitatem conciliat. Diſtat Peluſium, quod *Caphtor* olim appellatum fuiſſe Benjaminii Tuli Itinerarium memorat, Cairo ducentis ac quinquaginta milliaribus.

Tenez. Sequitur Orientem verſus *Tenez* ſeu *Tenex*, Burchardo *Taphnis* dicta, acceptaque pro Tanide S. Scripturæ, in Geſſenſi Tractu locata. Eſt in vicinia Sinus nominis ejuſdem, communiter pro Sorbonide Ptolemæi acceptus. Quidam perhibet Stagnonam Barathramque vocari à nautis, ab incolis Bayrenam; alius vero Sinum Damiatanum appellat, Mantagatio eundem Bareræ nomine ſignante. Lacus hic ſeu Sinus, in quem ramus quidam è majore Nili alveo Orientali derivatus ſeſe inſinuat, valde periculoſus eſt, ob extantia quandoque, nonnunquam autem latentia in eo brevia, ſeu loca arenis obſita, quorum aſpectus navigantibus dubium creat, vadoſo in loco ſint, an vadi experte. Poſthinc Ariſſa eſt, olim Oſtracina, quæ in Tabulis Oſtraca, & Oſtraci appellatur; tum Faramida, in Ægypti Syriæque confinio à Strabone poſita, olim Rhinocolura, nunc autem Faramica quibuſdam nuncupata. Idem oppidum Pharma Burchardus vocat, laudatque ab amplitudine atque ædificiis, ſed ſerpentibus infeſtum ab habitatoribus narrat fuiſſe deſertum. Ceterum Faramica, quæ Ægypti locus ab Oriente poſtremus eſt, Teneſium uſque numerantur à Burchardo leucæ vicenæ; Teneſio Damiatam quindenæ; Faramica Alexandriam centum ac viginti; Alexandria Cairum totidem; Faramica Cairum directo Teneſium Damiatamque itinere, centum. Verum leucæ iſtæ Burchardi Gallicanis diſſimiles ſunt, neque etiam cum milliaribus, quibus recentiores locorum metiuntur ſpatia, conveniunt. Iam autem ſi à Septentrione in Meridiem, ſeu à mari Nilo adverſo Cairum verſus iter inſtituas, *Seru* & *Raſcaillis* loca antiqua, ſibi, ut Villamontius ait, invicem vicina ſunt obvia; inde *Maſura* ſeu *Maſur*, olim Miſcormus, ubi Nilus ramum exerit, *Batzoger* incolis dictum, à quo Menzaranus Tractus Ægypti portiuncula fertilitatem mutuatur. Hoc loco Ludovicum IX Galliarum regem, ob innocenter actæ vitæ meritum à Bonifacio VIII Pont. in Sanctis relatum, qui anno 1248 cum valida manu trans mare in Ægyptum bellum ſacrum invexit, ab Ægypti Sultano. Maſuram excipiunt *Damanora*, unde Nili vicino canali cognomen, & plura alia loca, è quibus memorabilius eſt *Fuſtato*, hoc eſt, tentorium, parvum in Nili ripa oppidum, quod etiam vulgari vocabulo *Meſreatichi* vocant, hoc eſt, civitas vetus, quod ei nomen Cairi reſpectu jure competit, cum id Hanir filius Haſi Arabici cujuſdam exercitus ab Homaro Califo has in partes miſſi Dux condiderit. Eſt præterea oppidum *Menye Canibir*, à Villamontio notatum, via quæ Damiata Cairum ducit, media viſendum. Sequuntur Caracania, Bulgaitæum, Abeſſus & Suba oppida. Poſtmodo Sahidam ingrederis.

Diſtantiæ præcipuorum Ægypti locorum.

Seru.

Raſcaillis.

Maſura.

Damanora.

Fuſtato.

Menye Canibir.

Eſt autem *Sahida* Ægypti pars tertia, *Thebais* olim à capite quondam ſuo Thebis Sanutio teſte appellata, ubi Regum olim ſedes fuit, quæ poſtea Memphim, inde Alexandriam, atque hac crebris bellis deſtructa atque conciſa, Cairum tranſlata eſt. Ceterum Sahid vocabulum terrenum ſignificat, inde probabiliter deductum, quod in hoc Tractu ſolidius firmiusque ſolum exiſtat, quam in reliqua Ægypto. Hæc ipſa illa regio eſt, quam Ægyptum Superiorem veteres dixere, quæ à Bughorum confinio Cairum, indeque Aſſuam uſque protenditur. SAHIDA.

Cairus metropolis. Nomen varium.

Cairus, non Sahidæ modo, ſed totius adeo Ægypti nunc caput eſt. Quidam hanc urbem pro Memphim interpretantur, quæ tamen adverſam ſive ſiniſtram accipiunt, Nili amnis ripam tenuit; alii pro Babylone Ægypti, quanquam Cairus & Babylon duæ urbes diſtinctæ, poſtea unitæ fuerint, ut communior opinio tenet. Ea Arabibus hodie *Mazar* ſeu *Mezir* appellatur; Armeniis Maſſar; Chaldæis Alchâbyr; Hebræis Mizraim, eodem prorſus nomine, quo Ægyptum poſtremi indigetant. Poſtelius Cairo nomina *Mitzir*, *Foſtat*, & *Nitzrulatich* indit. Benjaminus Miſraim eandem nuncupat. Turcæ *Mitzir* ſeu *Miſſi* (à *Mitzor* forte, quo nomine Hebræi Ægyptum & Munimentum ſignificant) & *Alcayr* nuncupant. Leo dicit, quod *Caira* ſeu *Cachira* appelletur ab Arabico vocabulo *el Cahira*, ut Marmolius refert, quod conventum ſignificat. Alii volunt eam Arabibus Perſisque *Meceré* (*Meſré* potius dicerem) vocari, adduntque, quendam ex Ægypti regibus Mohez dictum, Præfectum fuiſſe in *Meceré-Iawar-Kaden*, condidiſſeque prope hanc urbem, quo firmior ea eſſet contra incurſiones hoſtium validiorque, arcem ſeu munimentum, quam ab uxore Principis ſui *Kaireh* appellarit, quæ deinde in tantam ſit aucta magnitudinem, ut priori nomine pene obliterato, hodie Caireth nomen duntaxat retineat, in Europa præſertim, ubi corrupte *Caire* Gallis, Hiſpanis Italisque *Cairo*, Latinis vero Cairus vocitatur. In hoc Leo & Marmolius conveniunt, quod recens urbs ſit Cairus, nullam antiquitatem præ ſe ferens, à Sclavo quodam, Califi cujuſdam, *Gehoar el Quetib* dicti, mancipio condita. Ceterum *Foſtat Metſr* & *Cair* vocabula pro una eademque urbe in Geographia Nubienſi ſumuntur, quanquam alii communiter alterum ab altero diſtinguant.

Situs.

Situs urbis hujus in Superioris Inferiorisque Ægypti confinio eſt, tenetque, ſi regionem omnem ſpectes, propemodum umbilicum ejus, in quadam planitie, quæ *Elmucatun* ſeu *Monratun* monti ſubjecta eſt.

Diviſio in urbes 4.

Vniverſam quadrigeminam ſeu quadriurbem merito dixeris; conſtat etenim urbibus quatuor,

quarum prima *Bulac* vocatur; altera *Cairus nova*; tertia *Cairus vetus*; & quarta *Charafa*, ſeu, ut alii malunt, *Charaflat* ſive *Maſſar*; & hæ ea ſunt inter ſe ratione connexæ, ut non plures urbes diſperſæ, ſed una multis par eſſe videatur. Ambitus urbis univerſæ, Beauvavio teſte milliarium triginta eſt; quem tamen alii multo latius extendunt. *Ambitus.*

Bulac. *Bulac*, ampliſſimus vicus, duobus circiter milliaribus à Cairo nova disjunctus, qui Cairo quidam veluti portus eſt, prope integræ leucæ longitudine Nilo prætenditur, domos circiter, ut Villamontius narrat, quater mille complexus, plerasque ipſa in ripa exſtructas. Bulacum Cairumque novam late patens locus interjacet, vernacula lingua *Lesbrechi* dictus, aquis repletus ubi Nilus intumuit.

Cairus nova. Ambitus ejus. Cairus nova octodecim, aut, ſi Villamontio credimus, viginti duorum milliarium ambitu exſpatiatur, quem in equo vehens, niſi incitet curſum, vix decem horarum ſpatio emetietur. Privatorum in ea domus tricies mille numerantur, quibus ſi ſuburbiorum, Cairi veteris, Bulaci, & quæ magno numero ſunt, minora ædificia accenſeas, ducenta millia univerſe reperias. Vias urbs magnitudine ſtupenda ſedecim, ſeu, Beauvavio referente, octodecim mille complectitur. Templa præcipua 6800; omnium autem rationem ſi ineas, 24000 Beauvavio teſte, invenies; quem tamen numerum Villamontius ad 22840 reſtringit, cuncta quoque ſub eo oratoria comprehendens. In quodam in Orientem verſo ſuburbio templa 1200 habentur, & in alio, quod in Auſtrum vergit, 700.

Longitudo. Longitudo Cairo, ſi Cairum Veterem cum ſuburbiis addas, eſt trium milliarium Germanicorum, quæ Cruſio autore, etiam vir expeditus in equo, minore quam horarum quatuor tempore non abſolvet. At Villamontius inquit Cairum veterem novamque, cum Bulaco, & Charafato milliarium triginta & unius ſpatium longitudine implere, latitudine viginti. Bulacum ac Cairum Veterem nulla mœnia circumdant, uti & illam Cairi Novæ partem, quæ Nilo prætexitur, cetera circumſtructus murus ambit.

Figura. Figuram urbs, ſecundum Villamontium, ovalem ſortitur; at, ſecundum Belonium, eadem tres in angulos protruditur, quorum primum arx colli impoſita conſtituit; alter è colle ſecundum mœnia abeunti occurrit; tertius in Septentrionem flectenti apparet. Iam vero, quoniam tam ſuburbana, quam intramurana continuis ſunt ædificiis referta, multi falſo crediderunt carere Cairum mœnibus.

Arx. Arx, quæ Cairo quoddam caput eſt, rupi inſiſtit, abrupto ſaxo inciſis ad faciliorem aſcenſum gradibus. Forma molis in orbem ſe ſinuat, turribus eam antiquo, nec admodum firmo opere ſtipantibus. Area ejus inſigni longitudine latitudineque diffunditur, ipſa habitationem jucundiſſimam ob proſpectum in ſubjectam urbem maximam, ac ingentem Ægypti tractum ſuppeditante. Ceterum præter feneſtrarum, fatigato per multitudinem obtutu, ordines longiſſimos, pluribus contignationibus exſpatiantur aulæ atque conclavia, picturatis imaginibus hodieque conſpicuis, quæ Sultanorum quondam Ægypti Mamelucorumque magnificentiam teſtantur. Qui circuit arcem murus, ſpirâ inferius marmoreâ cingitur latitudine pedali; portæ autem ac feneſtræ vario concharum, hebeni, cryſtalli, marmoris, coralliorumque ornatu reſplendent, ceteris partibus diverſi coloris vitro ad vermiculati emblematis normam contectis. Eadem magnificentia quorundam privatorum ædes collucent. Ambitum arcis hujus Norimbergam Germaniæ urbem mediam perhibent æquare.

Ædificiorum forma. Ædificia Cairi plana ſuperius concameratione obtecta, eadem humilia ſunt, ac januis adeo anguſtis, ut equum nullum, nec hominem niſi incurvatum admittant. Iſtæ oſtiorum anguſtiæ per omne imperium Turcicum communes ſunt, ut belli temporibus hac ratione ſe ab excipiendis hoſpitio equitibus liberos incolæ præſtent. Seræ, quibus obſerantur domus ſive claudantur, pleræque ligneæ ſunt, non minore quam ferreæ artificio fabricatæ. Domus introrſum auro pictisque imaginibus ornatæ, extrorſum rudem ſui ſpeciem exhibent, ut quæ magna ex parte macerie ſeu parietibus è luto conſtructis ſordidæ ſunt, exceptis illis, quæ amni prætextæ, ad conſervationem ſui parietes habent altitudine duntaxat humana lapidibus contectos. Sunt tamen etiam in urbe Palatia quædam extinſecus intrinſecusque antiquo ac prorſus magnifico opere; ac plurimi hodie mercatorum Æthiopum ad recentem ædificandi normam domos inſtruunt ſuperbas, quarum è numero unam Radzivilius Princeps notavit, quæ nondum perfecta, ternis centuſſium millibus domino ſuo conſtiterit.

Templum primarium. Inter templa Beauvavius illud, quod *Bemaaſar* vocant, pulcherrimum perhibet, in eoque tricenas numerat columnas marmoreas, quibus in hoc genere alibi vix quidquam videas elegantius. Verum Leoni *Gemih Elhas har* (quæ voces Templum illuſtre ſignificant) quod conditor urbis, cognomento *Elhaſar*, hoc eſt, *illuſtris*, exſtruxit, reliquis eſſe celebrius auguſtiusque videtur.

Viæ celebriores. Arctiſſimæ ſunt urbis viæ, ut Villamontius ait, ac domus duplici triplicique contignatione evectâ, ad arcendos Solis ardores, præſtandamque ultro citroque commeantibus umbram, queîs ipſa ſibi occurrentium frequentia ſatis moleſta eſt; frequentiſſime enim Cairus incolitur, ut in tam vaſta urbe adhuc plerique anguſte habitent. Sed ex octodecim ſupra memoratis viarum millibus, tres præcipuæ ob longitudinem notandæ, quæ ad celebriora urbis loca deducunt.

Hoſpitia publica. Domorum Hoſpitalium, ſeu Hoſpitiorum publicorum ingens hic numerus eſt, ex quibus unum centies mille nummos Turcicos, Sultaninos vulgo dictos, reditum annuum habet. Leo centies mille ſerafos ponit, qui totidem faciunt. In hoc cujuſcunque nationis advenæ honorifice, nullo dato precio, tractantur; ægroti vero tamdiu à Medicis viſitantur, curanturque, donec omnino convaluerint. Sin autem mori eoſdem hoc in loco contingat, nihil illatarum rerum efferre permiſſum eſt.

Habet

Arvum in urbe. Habet arvum urbs media, *Zebeguium* incolis dictum, vicenis porrectum jugeribus, tam pingui feracique solo, ut adsiduo productu latissimum existat.

Portæ. Ex portis plurimæ sunt ferro obductæ; at præcipuæ istæ sunt his insignitæ vocabulis: *Babe Nansre* seu *Bib Nansaré*, ut Marmolius notat, hoc est, porta Victoriæ, quæ Orientem spectat Desertumque sinus Arabici; *Beb Zuila* seu *Bib Zuila*, quæ ad Nilum amnem veteremque Cairum ducit; *Bebelfutuh* seu *Bib el Fetoh*, hoc est, porta triumphalis, quam egressus lacum conspicies, & viduum arboribus solum, frugibus ferendis idoneum.

Cairus Vetus. *Cairus Vetus*, gentis istius lingua Mifrulherich, hoc est, civitas vetus dicta, conditaque ab Haniro Hornari Califi duce, nullis est mœnibus cincta, sed potius vico cuidam ampliſſimo simillima, quamvis nonnemo referat, ejus hodieque mœnia extare, ambitu milliarium viginti quatuor. Prætenditur Nilo, domos circiter quinquies mille complexa. Verum, Belonio si fides est, Cairus vetus tenuis duntaxat oppiduli seu vici speciem habet, à Christianis Græcanicæ religionis Armeniisque habitata. Leo tamen ac Sanutius multa eidem Palatia in Nili ripa ædificata, Templum structura insigne, Haniranum appellatum, plurimasque artificum officinas largiuntur. In eadem domum recipiendo ab iis qui ex Zahida veniunt, vectigali locant, atque extra eam Sultanorum quorundam magnifica sepulcra, lenta concameratione fornicata.

Charaffa. Inter Arcem Cairanam, quæ urbis latus Orientale tenet, novamque Cairum *Charaffa*, quæ & Carraffar & *Massar* dicitur, maximæ urbis pars interjacet. Illa quondam majus spatium obsedit septem ambitu leucas continens, cum Sultanorum sedes esset; at nunc eam Cairus nova amplitudine sua, & splendore ædificiorum longissime antestat. Extant adhuc in ea septem illa Iosephi granaria. Ceterum à Cairo Nova Niloque milliaribus abest duobus, continetque domos circiter bis mille.

Behzuaila suburbium. Nec per se solum ampla Cairus est, sed & pluribus suburbiis augetur, quorum præcipua sunt *Bezuaila* seu *Bibzuila*, *Gemehtaillon*, & *Bebelloch*. Suburbium Bebzuaillanum seu Bibzuillanum cognominem egressis portam conspicitur. Id duodecies mille circiter domos habens, ab porta nominis sui usque ad arcem, quæ à Sultano cognominatur, sesqui milliarium spatio ab Occasu in Meridiem extenditur, contingens idem tectorum suorum medio Bebellochiarum suburbium. Sunt in eo Templa plura Collegiaque eleganter exstructa, præcipue vero unum, quod Hesenus Sultanus condidit; Arx unica, Sultani inclyta cognomine, Præfectorum Turcicorum, secundum Radzivilium, sedes, Mochtano monti incumbens, ac valido muro circumsepta. Coronant suburbium Palatia laxitate & structura censenda, in quibus pavimenta vario colore marmorea, ac deaurata pictaque laquearia. Feneſtræ versicolore vitro constant, portis præstanti è ligno materiatis, exsculptisque in varias imagines auro & coloribus illitas. Atque hæc ipsa Palatia quondam aut Sultani destinata erant secessibus, aut conjugi ejus, aut concubinis eunuchisque, aut solemnioribus festis celebrandis, aut exterorum Principum excipiendis Legatis, aut ministrorum habitationi aulicorum.

Gemethailon suburbium. Suburbium *Gemethailon*, sat amplum quoque, ac Bebzuailano confine suburbio, ab occasu Solis versus Cairum veterem porrigitur. Extraxit id ante Cairum quidam Tailon dictus, Califi cujusdam mancipium. Præter insigne Palatium, Templumque magnificum, officinæ in eo ac tabernæ artificum & mercatorum ex Barbaria plurimæ visuntur.

Bebelloch suburbium. Suburbium *Bebelloch* seu *Bibelloch*, Cairo mille circiter passus dissitum, amplitudine itidem mediocri est, tria ædificiorum millia complectens.

El Miquias insula. *Miquias* sive *Elmiquias* (quod nomen mensuram significat; ibi namque Nili sunt notata incrementa) insula est, è regione Cairi veteris in medio amne tractu longiore excitata, domos circiter mille quingentas continens. Editiorem insulæ partem Palatium tenet, quod è postremis Sultanis quidam condidit. Iuxta illud Templum est magnitudine notabili, cujus altero à latere locus concluſus visitur, fossam habens in medio profundam, directamque in quadrum, è qua aquæductus sub terra ad Nilum flumen usque procurrit. In medio autem fossæ columna exsurgit, in octodecim cubitorum distincta mensuras, ad quas incrementa Nili observant. Crescens siquidem Nilus per hunc aquæductum fossam subit, & primo die binorum digitorum fit; trium altero; tertio vero dimidii cubiti altitudine columnam ascendit. Singulis igitur diebus destinati ad id muneris ad columnam accedunt, observaturi quantum eo die Nilus accreverit; *Nili incrementa quomodo observantur.* compertoque, pueris quibusdam annuntiant, qui flava caput fascia redimiti, aut, ut Brevesius narrat, eadem ex altero defluente humero ornati, quotidiana Nili incrementa evulgant, publicaque voce ad Deo gratias de auctu Nili agendum invitant, strenis passim ab illis, quibus obvii fiunt acceptis.

Geza oppidum. Miquias insula oppidum *Geza*, à veteri Cairo disjungit. Hic Palatia plura cernuntur à Mammalucorum Sultanis condita, & ad voluptatem exstructi secessus, cum Templo in Nili ripa erecto.

Muhallaca. Ternis circiter à Cairo Veteri milliaribus in ripa Nili oppidulum visitur *Muhallaca* dictum; senis vero à Cairo milliaribus Cancha urbs ingens, de qua infra, in limine Deserti ad Sinam montem tendentis occurrit.

Memphis. *Memphis*, Hebræis *Moph* seu *Noph* appellata, ex altera Nili ripa Cairo objacens. Ea urbium Ægypti quondam clarissima, regia aliquamdiu, post Thebas, atque ante amplificatam Alexandriam, cujus nomen duntaxat hodie in juxta positis Pyramidibus Regum sepulcris, idque corruptum servatur; incolis quidpe *Menchis*, non *Memphis* dicitur. Aberat hinc viginti dierum Oraculum Hammonis, Thebaica regio 120 stadia, & Delta oppidum schœnos tres.

Pyramides. Supersunt tamen adhuc Pyramides juxta Memphim extructæ, quæ turres sunt fastigiatæ, ultra celsitudinem omnem, quæ fieri manu possit;

ſit; itaque menſuram umbrarum egreſſæ nullas habent umbras, regum pecuniæ ocioſa ac ſtulta oſtentatio. Ea Turcis, Breveſio teſte, *Pharaon daglaré*, hoc eſt, montes Pharaonis appellantur. Iſta ſupra cetera omnia celebrata miracula, quæ orbem terrarum implevere fama, viantium plerique Cairo ad quatuor milliaria ſpectatum con

Prima. cedunt. Pyramides quidem in hoc Tractu multæ ſunt, ſed earum præcipuæ tres. Pyramis igitur celſiſſima, paribus laterum intervallis ſenſim gracileſcentibus quadrangularis, baſi ſeu ambitu inferiore paſſus occupat 1200, lateribus ſingulis trecentos comprehendentibus paſſus; aſſurgit vero ſexcentorum altitudine pedum. Belonius tamen notat latera ſingula inferius continere paſſus trecentos ac viginti quatuor. Lapides, è quibus compoſita eſt, æqualem fere omnes magnitudinem obtinent; longi namque ſunt pedes ternos, lati binos, totidemque craſſi. Cacumen ejus quanquam in acutum deſinere videatur, planum tamen id eſt, lateribus ſingulis viginti & unum pedes habentibus. Principio in eam quinquaginta paſſibus deſcenditur, aſcenditurque deinde quadraginta; ac tum aditus conſpicitur latus pedes quatuor, longus tres, altus quinque, in cujus extremo conclave quadratum eſt, paſſus octo in ſingulis lateribus procurrens, ruinoſum, ac ſordibus fœdum. Verum ubi per eundem aditum fueris regreſſus, dextrorſum eſt os ingentis profundæque ciſternæ; aſcendens deinde per gradus 68, cameram ſubibis altitudine inſigni, longam pedes quadraginta & unum, latam 21, marmoreo lapide contectam, in qua lapis concavus viſitur Thebaico ex marmore, ternos aut ſummum quaternos digitos craſſus, palmos longus 12, latus quinque, profundus vero quinque cum dimidio. Is ea ſubtilitate fertur, ut altero pulſatus lapide, campanæ inſtar clariſſime ſonet.

Secunda. Altera Pyramis procul viſentibus in ſublimius ſurgere cacumen videtur, eo quod locum occupet editiorem; prope autem aſtantibus contrarium apparet. Ad verticem ejus, cum extrorſum gradibus careat, conſtrataque marmore ſit, nullus datur aſcenſus. Eadem quaternis lateribus ſolida ad faſtigium uſque evehitur. Primæ Pyramidis, ut jam diximus, vertex quadrata planitie eſt hominum quinquaginta capace; at ſecunda è lato in tam acutum verticem tendit, in quo ægre homo unus conſiſtat.

Tertia. Tertia longe prioribus duabus minor, ſed multo ſpectatior, Æthiopicis lapidibus ſuopte ingenio duriſſimis conſtat. Ex iiſdem Sphynges Ægyptiacæ fuerunt exſtructæ. Præter jam memoratas Pyramides tres, plures aliæ in Africæ Deſertis hinc inde aſſurgunt, ſed non æque ſpectabiles.

Coloſſus. Vnico milliari abhinc coloſſus cernitur ſeu caput idoli cujuſdam, quod Pharaonis caput appellant, è rupe, cui adhæret, elaboratum, cujus altitudo vultûs duodenos ad minimum pedes colligit, latitudine proportionem ſervante. Id olim Ægyptiis ſub ortum Solis edidiſſe oracula perhibent.

Materea hortus, balſami fruticibus conſitus. Senis à Carraffa milliaribus *Materea* eſt, quæ & Matalia dicitur, & *Neterea* potius dicenda eſt ſecundum D. Hieronymum, qui *Nitriam* appellat, locatque in regione Oniorum Ptolemæi. Hic Deipara Virgo, Herodianam cum ſponſo ſuo S. Ioſepho perſecutionem fugiens, cum ardentem ſitim conciperet, Divino munere fontem elicuit, hodieque putei ſpecie viſendum, juxta quem porta conſpicitur, quo loco Beatiſſima Virgo ſæpe filii ſui linteamina lavit. Ipſis *Fons miraculoſus.* Mauris fons iſte ſumma in veneratione habetur, cujus aquas credunt ad expellendam humanis corporibus febrim valere. Aqua, quæ hoc ex fonte hauritur, marmoreo primum conceptaculo excipitur, antequam vicinum balſami fruticibus conſitum hortum irriget. Frutex hic binis *Balſamum.* duntaxat pedibus aſſurgit, perpetuo virore præditus, folia habens paulo majora quam acymum, ſed perſimilia. Is cum inciditur (quod plerumque Auguſto menſe exeunte fit) rubrum à ſe diſpergit liquorem, qui veriſſimum balſamum eſt, bis in anno ſedulo à Turcis, Chriſtianos Iudæosque ab hoc loco arcentibus, collectum, quod hi quondam in patria ſua Iudæa laudatiſſimum hunc fruticem paſſi fuerint intermori. Porro propter marmoreum hoc conceptaculum feneſtram videre eſt, ad quam Deipara puerulum Ieſum, ut creditur, tam diu repoſuit, donec linteamina laviſſet. Chriſtiani hic in parva ara lignea Miſſæ ſacrificium peragunt, Turcis in dextero latere extructum ipſo in muro Oratorium habentibus. Perexiguo à fonte præ- *Ficus miraculoſa.* dicto ſpatio ficus ingens cernitur, duas miraculoſe in partes diſſecta, quam Beata V. Maria cum puerulo Ieſu ſanctoque Ioſepho, ut perſequentes ſe eluderet, divino ſubiit inſtinctu, ſuperſtante tamdiu pari miraculo donec tranſiiſſent perſecutores parte altera. Hæc hodieque ſic diviſa conſpicitur, crediturque illegitimo è thoro genitum ſub ea tranſire non poſſe.

Inter ſpectanda iis, quos Cairum aut negotia vocant, aut curioſa antiquitatum indagatio, Mumiæ ſolent recenſeri, Cairo leucis minoribus *Mumiæ.* novem remotæ. In vico Zarcara tribus circiter leucæ quadrantibus à Mumiis diſſito ductores pretio accipi ſolent, qui hoſpites ad eas deducant. Sunt autem illæ in vaſta quadam arenoſaque ſolitudine, loco ſubterraneo amplius leucas tres porrecto, in quo inciſæ ſaxo cavernæ variis longiſque ordinibus procurrunt. Hæ ſepulcra antiqua ſunt, in quibus Memphorum corpora magno numero condita hodieque ſervantur. Sane percommodus fuit vicinis Memphis hic locus, cum ob ſitum, qui in regione montana eſt, tum ob ſolum ſubtus ſaxoſum, ad ſepulchra excavanda aptiſſimum. Is acceſſu difficili, formaque quadrata, ſeptendecim aut octodecim pedes ſine gradibus deprimitur. Ad perluſtrandum eum facibus ſeu luminibus opus eſt, ingreſſu ſingulis duntaxat per foramen quaternum pedum patente. Intus elaboratæ è ſaxo cavernæ ſunt, cellæque quamplurimæ humili aditu ſibi invicem oppoſitæ. Exhibent cavernæ iſtæ innumerabilem adhuc integrorum cadaverum numerum, quæ panni involvunt lintei, plicati concinnius, ut nobiliora conveſtiunt corpora. Nam multorum velamina ſive volumina cadaverum nigricant, quod pollincta ſint duntaxat ſale piceque.

ceque. Alia vero, quæ uncta aloë ac myrrha fuere, horum longe nitidiora velamina sunt, inter quæ ungues aliquorum auro illiti visuntur, reliquorum unguibus croceo tantum colore depictis.

In singulis cadaveribus, quibus intestina tollebant, confecta ex argilla, imbutaque cæruleo colore aut violaceo idola, specie panno involuti infantis, digitali longitudine, & quædam minore reperias, Ægyptiacis literis signata. Circum vero cadavera è lapide aut ligno cubitali, pleraque altitudine idola varia specie visuntur; quædam enim avium, alia reptilium, dæmonum alia formam habent. Sed jam reliqua Zahidæ loca nos vocant.

Mæris lacus. *Mæris*, vicinus Cairo lacus, ut qui unico tantum hac ab urbe milliari abest, etiamsi veteres eum ad decem stadia removerint; ambitu suo secundum recentiores milliaria Germanica octo tantum complectitur. Forsitan idem ille lacus est, quem Paulus Iovius humano effectum opere memorat, superbisque ædificiis circumdatum.

Cancha. *Cancha* sequitur, in Deserti Sinam mittentis limine extructa, senis Cairo milliaribus, urbs ampla, domibus, templis, ac collegiis magnifico opere censenda.

Suez. Est exinde *Suez* oppidum, quod Ptolemæus Civitatem Heroum nuncupat, pro Arsinoë à nonnullis acceptum. Id extrema sinus Arabici tenens, primi à Septentrionibus hoc in mari portus commoditatem suppeditat, tridui itinere Cairo distat, ut Sanutius aliique sentiunt, Belonio propius idem maximæ huic urbi admovente. Est in eo arx non magna opere antiquo, posita edito in loco, cujus muri vetusti ac invalidi. Multi Ptolemæum secuti, oppidum hoc Ægyptiacis accensent; at ab aliis rectius Arabiæ Troglodyticæ attribuitur. Paret id tamen Turcico Cairi præfecto, à qua urbe secundum Belonium haud procul remotum est, cerniturque prope Cairum, ut Villamontius perhibet, Armamentarium sinus Arabici, cui Suez portum ministrat. Ab Arabico sinu ad mediterranea Austrum versus abeunti *Bethsames* spectatur, quod Arabicum vocabulum *domum Solis* significans, cum antiquo *Heliopolis* nomine, quo urbs Solis significatur, quandam affinitatem habet. Illa Hebræis *On*, Arabibus quondam *Bahalbet* indigetata, templo Solis famigerata extitit, in quo oraculum consulebant Ægyptii. Inde *Muhaisra* est, Australe Cairo oppidum, Nilo appositum; distat autem tricenis Cairo milliaribus. Reliqua oppida Cairo Meridionalia sunt, *Benisuaif* seu *Benisuahid*, olim *Garda Hermipolitana*, secundum nonnullos in Nili ripa posita, centum viginti Cairo milliaribus. *Munia* veteri vicina Nicopoli, aut certe ipsa Nicopolis, nitidum oppidum est, Nilo adjacens loco editiore, ac centum octoginta milliaribus Cairo dissitum. *El Fium* seu *Fijum*, olim *Abydus* Ægypti, quam nonnemo *Abutich* vocat, ad tenuem quendam Nili ramum altiore è loco eminet, ubi Iosephus filius Iacobi primum creditur sepultus, quem Moyses deinde, postquam deseruere locum Israëlitæ, alio transtulit.

Bethsames seu Heliopolis. *Muhaisra.* *Munia.*

Manfloth, Nilum flumen, ingentes hodieque columnas ostendit, superbasque porticus, Ægyptiacis versibus inscriptas. *Azioth*, olim *Bubastis*, centum ac quinquaginta à Cairo milliaribus Nilo prætexta, urbs est non solum magnitudine spectabilis, sed etiam antiquorum ædificiorum epitaphiorumque non contemnendis operibus. *Manfloth.* *Azioth.*

Anthius, olim *Antinoë* seu *Anthedon*, secundum Marmolium, oppidum elegans, à Romanis conditum, Orientalem Nili ripam tenet, exhibetque etiam nunc lapides marmoreos variis inscriptionibus notatos. *Barnabal* vicinum priori oppidum est in Nili ripa. *Ichmin* vetustissimum Ægypti oppidum, Ichmin Misraimi filius ad Nilum extruxit, trecentis circiter Cairo mill. in Occidentali Nili latere. Dirutum id fuit sub Mahumesanorum in Ægyptum adventum, fundamentis ejus duntaxat adhuc visendis; columnæ siquidem lapidesque in alteram Nili ripam transvectæ, ad *Munsiam* seu *Musiam* oppidum fuerunt adhibitæ, quod vias habet angustissimas, ac per æstatem ob pulverem molestas. *Anthius.* *Barnabal.* *Ichmin.* *Munsia.*

Thebæ, quam urbem non alio indigetat nomine Leo, ex vetustissimis Ægypti est, at crebris bellis ita destructa atque concisa, ut vix ultra trecentas domos contineat. Ipsa Occiduo in latere Nili sita est quinis Cairo itineribus. *Thebæ.*

Habet eadem hodieque inscriptiones Ægyptiacas, Græcas, Latinasque complures, & extra muros rudera ac columnas magno numero, priscæ magnificentiæ testes. Stephano *Hecatompylos* seu urbs centum portarum dicitur; Ortelio autem Cluverioque Diospolis, quam in Thebaide locat Ptolemæus. Ambitus ejus complexus olim stadia centum ac quadraginta, centum portas habuisse fertur; quem tamen alii numerum, ut Diodorus notavit, in dubium vocant, dicentes, centenario hoc portarum numero, veteres ingentem earum numerum significare voluisse. Ex adverso alii, quibus centenarii istius numeri veritas probatur, addunt tam frequenter Thebas fuisse incultas, ut re sic postulante eodem ex unaquaque porta tempore potuerint dena armatorum millia emittere. Ceterùm centenarium illum ab Homero expressum numerum, quidam de centenis Principum virorum Palatiis interpretantur. Credidere nonnulli universam hanc urbem subtus concameratam fuisse eo consilio, ut Reges Ægypti maximas quasque possent insciis omnibus hac via copias perducere. Circumsident hanc vetustate collapsam urbem Thebaidis Deserta, quæ olim tot Eremitis à S. Hieronymo visitatis inculta fuerunt; bidui autem Cairo itinere Ægypti Desertum est, ubi *Crypta S. Pauli* conspicitur, in qua illum sanctus visitavit Antonius; tum *S. Macarii Cœnobium*, hodieque à quibusdam Religiosis Græcis habitatum, severa vitæ disciplina exercitis, ob quam præcipue qui Nitriæ Monasterium tenent, S. Hieronymo laudantur.

Georgium ingens erat atque opulentum Christianorum cœnobium, à S. Georgio nuncupatum, dissitumque Munsia sex circiter milliaribus. Monachi hujus loci, quorum semper ducenti erant, magnas circum possessiones habebant, ad- *Georgium.*

advenasque gratuito excipiebant hoſpitio, quod ex annuo reliquorum erat reditu, Chriſtianis diſtribuendum pauperibus Cairano Patriarchæ mittentes; at jam ducenteſimus annus agitur quum Monachi omnes, incidente per iſta locorum gravi peſtilentia, interierunt. Munſiæ igitur dynaſta deinde locum oppiduli in formam muro circumſepſit, extructisque intus quam plurimis ædificiis, varii generis opificibus ac mercatoribus habitandum dedit. *Elquian*, tenue ad Nilum oppidum eſt, quod Sanutio videtur una eſſe è Diospolibus Ptolemæi. *Barbanda* quoque Nilo flumini adjacet quadringentis circiter *Cairo* milliaribus. Romani eam diruere, extantque adhuc ingentia rudera, quamvis optima quæque ex ruinis Aſnam ſive Syenen tranſlata ſint. Inveniuntur hodieque inter ipſa rudera numiſmata aurea atque argentea, ac ſmaragdorum fragmenta complura.

Elquianum. *Barbanda.*

Cana. Objacet Syene *Cana*, centum ac viginti ab Arabico ſinu, per Deſertum ſi iter inſtituas, milliaribus, quo ſpatio inter dictum ſinum Nilumque interjecto nullæ prorſus aquæ exiſtunt.

Choſſir. *Choßir* Nilo appoſita, à Magino Troglodyticæ tribuitur, Sanutio eandem ac Anania ad Ægyptum referente. Sequitur *Conza*, olim *Metacompſus*, ubi Elephantina in Nilo inſula eſt, Aſnæ oppoſita, ad quam uſque Nilo adverſo navigant, cataractis navigandi ulterius facultatem tollentibus. In Auſtralibus Ægypti finibus *Elephantis* locatur, cui hodie Propertianum illud convenit: Et *Thebæ ſteterant, altaque Troja fuit*. Demum *Aſna* & Aſſuanum oppida in Auſtrali parte viſuntur.

Conza. *Elephantis.*

Aſna. *Aſna*, quondam Syene dicta, Aſnæ vocabulo, quod *Pulchram* ſignificat, ab Arabibus indigetatur, eo quod *Zeycha* propius ad Syenes nomen accedens, Arabica lingua deformem dicat. Nili ea in ripa Occaſum verſus ſita eſt, ex parte quidem à Romanis deſtructa, ſed reparata deinde à Mahometanis. Ambitus ejus diffuſior ſplendida continet ædificia, ſepulcraque admiranda, Ægyptiacis Latinisque inſcriptionibus notata. Verum inter ſpectanda urbis præcipuum cenſetur puteus quidam profundiſſimus, cujus fundus Sole Tropicum Cancri ingreſſo, umbræ eſt expers.

Aſſuanum. *Aſſuanum* quod attinet, quæ nonnullis Metacompſus loco *Conza* eſſe videtur, urbs antiqua eſt, Nilo prætenſa denis ab Aſna Orientem verſus milliaribus. Vltra hanc urbem adverſo navigationem in Nilo occurſantes ſcopuli ac cataractæ impediunt. Confinis hæc urbs eſt Bugniorum deſerto, per quod ad oppidum *Suaquen* iter eſt, à Marmolio in Ægypto, non autem in Troglodytica, ad mare Rubrum locatum. Ceterum Aſſuanum Turcicum in Ægypto imperium ab hac parte terminat, & à Nubiæ regno divellit.

Vicorum numerus. Vicos numerat Ægyptus ultra Delta Meridiem verſus, & in Septentrionali Cairi latere quadraginta mille, quorum campos, bis in anno innatans iiſdem, Nilus fœcundat, in Delta autem vicorum millibus vicenis repertis. Olim quoque Ægyptus viginti millia urbium Amaſe regnante habitata fuiſſe prætulit.

Cæli qualitas. Aër Ægyptum inſalubris noxiusque circumſtat, quod vitium trahit ab immoderatis Solis ardoribus. Eſt autem Alexandrinis cælum inprimis peſtilens; quamobrem Alexandria vix ab aliis, quam à mercatoribus incolitur, deſerta futura, ſi binis portubus ſuis deſtitueretur.

Tantus hic Solis ardor eſt, ut non modo ſolum, ſed & incolas adurat; qui adverſus hanc intemperiem præcelſam turrim ſingulis domibus adædificant, duplici janua patentem, altera minore ipſo in faſtigio, majore altera inferius ædificii cubiculis oppoſita, ut ventus ſuperiore turris oſtiolo exceptus, per inferius deinde in domus ſe inſinuet conclavia, caloremque attemperet. Et niſi hanc rationem incolæ excogitaſſent, ob immoderatum Solis æſtum durare vix poſſent. Cauſat autem calores iſtos non modò ratio climatis, ac ſolarium radiorum repercuſſio directior, ſed pluviarum etiam defectus, quæ rariſſime in hoc terrarum tractu delabuntur è cælo. Pluit hic Decembri menſe duntaxat, idque tribus aut quatuor per diem vicibus horario aut amplius ſpatio, adeo tenuiter, ut ſoli ſiccitati extremæ humor modicus neutiquam ſufficiat. Nonnunquam quidem etiam September dat pluvias, ſed tam avare, ut ros tantum non imber cecidiſſe putetur. *Pluviæ.*

Ex his pluviis vero morbos plures oriri Leo exiſtimat; addit tamen idem Medicorum plerorumque ſententiam eſſe, bubalinam carnem, ſalſumque caſeum, quibus incolæ veſcuntur frequentius, non uni morbo cauſam præbere. Ex adverſo Radzivilius ait, mari qua Nilus diverſis ſeſe oſtiis exonerat, appoſita loca pluviarum virtute ex noxio aërem nanciſci ſalubrem. *Morbi.*

Ceterum in Ægypto hi præcipue morbi vigent, gravedines ac diſtillationes, teſticulorum tumores febresque, quæ inviſa munera menſes Aprilis & Majus largiuntur, quod illi ventis ſint animatiores, à quibus peſtiferæ febres exiſtunt. Nec majus malum peſtilentia deeſt, qua ingens vis hominum è medio tollitur, Cairi præſertim, ubi alterno ſeptennio tam crudeliter flagellum hoc Decembri, Ianuario, Febr. ac Martio menſibus ſævit, ut viginti quatuor horarum ſpatio ſæpe vicena hominum millia moriantur, quem tamen numerum Leo ad duodena reſtringit. *Diſtillatio. Tumor teſticulorum. Febres.*

Aquas omni ferme Ægypto Nilus communicat. Alexandriæ tamen non alia eſt aqua, quam quæ per canales ſeu rivos quoſdam ex ramo Nili, qui Calis dicitur, advecta, ſingulis amnis decima quinta die menſis Auguſti intramuranas adimplet ciſternas. Verum, quemadmodum à nautis & mercatoribus noſtratibus diſcimus, per maximam anni partem Alexandrinis aqua camelorum humeris fictilibus in urceis adfertur, reliquo tempore aquarum affatim ſuppeditante. *Aqua.*

Cancha aquis abundat, quas in effoſſis circum urbem canalibus decreſcens Nilus relinquit; ſin autem rumpantur forte canales, egreſſæ in plana locorum aquæ, ſe in minores quoſdam lacus diffundunt, quas incolis conſtructis aquæductibus ſuam in urbem vocant. In vicino Canæ deſerto nullæ adeo ſunt aquæ uſque ad Arabici ſinus littora.

Ad Nili aquas quod attinet, quarum incrementa *Cauſa crescentis Nili detegitur.*

menta Ægyptii lacrymis Iſidis mortem Oſiridis Iovis filii amarè deflentis attribuunt; Geographi veteres cauſas tanti auctus varias prodidere, ſed maxime probabiles has: nives ex altis Æthiopiæ montibus ea copia defluentes, ut Nilo neceſſitatem exeundi alveo imponerent; aut, ut Thales apud Diogenem Laërtium autor eſt, Eteſiarum eo tempore ex adverſo flantium repercuſſum, ultro in ora acto mari; aut imbres Æthiopiæ æſtivos, iiſdem Eteſiis nubila illo ferentibus ex reliquo orbe. Verum recentiores accurata inveſtigatione didicerunt Æthiopiæ imbribus Nili tribuenda incrementa, qui ab Aprili menſe quinquemeſtri ſpatio adſiduo maxima copia aquarum labuntur. Huic accedit, quod, cum creberrimis Æthiopia montibus ſe elevet, demittatque iterum profundiſſimas in valles, torrentibus lacubusque ſcatentes, Nilus in Septentrionem flexus certo anni tempore hac aquarum mole adauctus, continere ſe intra alveum non poſſit, lateque per totam ſpatietur Ægyptum. Illi qui hac ſententia nituntur, eandem, ut reor, hac ratione ſtabiliunt, quod noverint, eos, qui Auſtralem lineæ Æquinoctialis partem incolunt, tum hyemem habere, quando Septentrionalem habitantibus partem æſtas contingit, idque ob ſitum contrarium; adeo ut illis ab ipſo hyemis exordio continuæ ſint ut in India pluviæ. Addit Cardanus, humili ſitu Ægyptum eſſe, mare vero multo altius, quo curſus ſeu defluxus amnis tardetur.

Sacerdotes Ægyptii, in plerisque rebus peritiores ceteris, aliam Eudoxo cauſam intumeſcentis Nili dedere, quam adſiduos hyberno tempore imbres in regione ſub Tropico Capricorni locata. *Tempus incrementi.* Tempus incrementi aquarum Nili Leo ad medium perducto Iunio menſi aſſignat, durareque ait quadraginta dierum ſpatio, totidem amnis decremento dies adſcribens; adeo ut per octoginta dies Ægypti urbes omnes vicique totidem inſulas exhibeant, navigio duntaxat, non alia via, adeundas. Ceterum Nili aquæ turbidæ ſunt ob limi quem ſecum vehit copiam, unde Nilus Hebræis *Schichor*, *Melas* Græcis; priſcisque Latinis Melo eſt appellatus; eandemque ob cauſam Gymnoſophiſtæ crediderunt, Nilum ex duobus, terra & aqua, conſtare elementis. *Nili aquæ quales ſint.* Eædem dulces eſſe perhibentur, imo dulciores, quam ullius amnis ſint aquæ. *Dulces,* Nilus porro amnis unus omnium nullas expirat auras, propter reſolutionem aquæ vi caloris cauſatam, quæ in ſublime educta, pluviæ, nivibus, & his ſimilibus materiam præbet. Porro nulli ſunt corruptioni ſubjecta, conſervanturque ſine vitio in vaſis triennio aut etiam quadriennio in potum, & hoc modo quoque in longinquas regiones portantur. *Corruptionis expertes,* Ad conſervationem autem earum repurgatio à limo præcedat neceſſe eſt, qui ubi ſubſederit, tum ſic purificatæ alia ſunt in vaſa transfundendæ.

Salubres. Sunt quibus ſanitatis cuſtodes prædicentur, cum quod citiſſime alvum tranſmittant, tum etiam quod moderate ſitim extinguant, minimeque ſua frigiditate ſint noxiæ.

Frumenti fertilitas. Idem Nilus communicatis terræ præpinguibus aquis ſuis, tam copioſi frumenti eſt cauſa, ut horreum Romanorum Ægyptus olim appellaretur, quod tertia anni parte Romanos dominos ſuos aleret, & variis præterea regionibus ſuppeditaret frumentum. Nam Plinio teſte ubertate ſoli adeo felix extitit, ut centuplici productu ſimpliciter creditum ſemen redderet; at raram iſtam fertilitatem hoc comitatur mali, quod Ægyptiacæ fruges annos & vetuſtatem non ferant.

Quod biferas habeat Ægyptus & bis in anno *Fœcunditas animalium.* tonſiles oves, pratorum craſſe alteque herbeſcentium fœcunditas efficit à Nilo amne cauſata. Caprinum quoque genus potis, cum minime lactat, Nili aquis, fœcundius exiſtit, è quo capræ quædam quinàrio una vice numero ferunt, reliquis binario ſeu capellas ſeu hœdulos ferentibus. Earundem beneficio aquarum fœcundio- *Fœcunditas mulierum.* res reddi mulieres Ægyptiacas, diuque ſteriles ad fœcunditatem revocari credibile eſt, cum plerumque tres quatuorve infantes, nonnunquam etiam ſex aut ſeptem uno partu gignantur. Iſta ſub Ægyptiaco cælo aliis inuſitata terris fœcunditas homines ſeptuaginta Ioſephi temporibus in Ægyptum profectos ducentorum ac decem annorum exacto ſpatio, ut quidam computant, ſeu calculatore Ioſepho 205, in tantam auxit multitudinem, ut tricies centena millia animarum extiterint, quem numerum reperti in iſta frequentia hominum ſexies centum mille ad ferenda arma idonei, credibilem reddunt.

Præpinguibus eſt Ægypti regio glebis, ob *Soli qualitas.* cauſas jam ante adductas; quamobrem incolæ ſæpe pinguedinem ſoli admiſta arena temperant. Hos niſi ſegnities à diligenti cultura abſtraheret, duplici poſſent meſſe gaudere; legumina nihilominus bis colligunt in anno. Verum reliquis Ægypti partibus ubertate ſoli præferendus eſt Thebaidis tractus, quod etiam à veteribus eſt obſervatum. Errifana regio, fructibus atque oriza abundat; quædam tamen in ea ſterilibus obducta arenis loca ſunt, ut quæ Alexandriam circumjacent. Canali, quo Nili aquæ advehuntur in urbem appoſiti quidem ſunt horti nonnulli; at noxios iidem fructus producunt. Elbechrianus ager qua ſe circum Nilum diffundit, eximie fertilis eſt; at quæ ejus pars Orientali alveo Damiatam Syriamque devoluto interjacet, montibus paludibusque carens, tota arenis obtegitur. Quod Mareotico juxta Alexandriam lacui vicinum eſt ſolum, ejus maximam partem occupant arenæ: eadem Suezenſi Bocchinenſique agris eſt ratio, quorum poſterior ad Nilum uſque ſabuloſus conſpicitur. Cairanum è contra territorium variarum rerum eſt ferax, Anthio frumento fructibusque mirum in modum exiſtente fœcundo. Porro Sanutio ſterilitatem *Frumentum.* Alexandrino agro adſcribenti Belonium teſtem oculatum oppono, qui abundare eum affirmat omnis generis leguminibus, oriza item, hordeo zeaque, unde ingens lucrum ad colonos redeat. Roſettæ loca vicina orizæ feracia ſunt, ſed quæ ad rubrum colorem inclinat. Ejuſdem coloris ſaporisque Damiatana oriza eſt. Cairanus ager, cum reliquis Nilo adjacentibus locis copioſo frumenti proventu laudatur, dummodo moderate Nilanis aquis rigentur.

Ad

Fructus. Palmæ. Dactyli.

Ad fructus quod attinet, palmeta dactylos ferentia passim invenias, maxime circum Mariotidem lacum, atque Alexandriam urbem: sed ligna ex his collecta nequaquam sunt ad ædificandum idonea. Silvestres palmæ in hoc tractu quamplurimæ sunt, quarum sublimiores ramos agricolæ abscindunt, quo facilius deinde medullam albam stipitibus excavent, quam in foro divendunt, quod plurimi ea vescantur, quibus accedere ea ad scolymi saporem videtur. Palernus crudam hanc edi medullam memorat. Ceterum altissimæ per omnem Ægyptum palmæ visuntur, & inter has nonnullæ, icadem arborum separatarum ab invicem unico protrudentes è stipite. Commoda, quæ à palmis accipiunt Ægyptii, Palernus varia recenset. Nam præterquam quod dactylos illæ ac prædictam subministrent medullam, fila dant apta funibus torquendis, & ligna foco, ac germina lactucis solita adhiberi.

Frutex Maus appellatus.

Ingentem earum arbuscularum copiam habent Ægyptii, quas vulgari vocabulo *Maus* vocitant, de quibus pauca quoque hoc loco dicamus necesse est. Frutex hic Ægypto Cyproque notissimus, quinûm aut senûm altitudine cubitorum assurgit. Folia ejus humano digito, aut bovinæ potius secundum Villamontium linguæ similia, longitudine sua humanam altitudinem exsuperant, latitudine vero tanta, quæ porrectum licet hominem possit obtegere. Quidam putarunt hæc ipsa veteribus papyri loco fuisse, quod lineis à summo ad imum rectis, iisque quadam proportione ab invicem distantibus secentur. Fruticis hujus fructus, quem singuli stipites semel duntaxat ferunt, Musi incolis dicitur, uvarum in crescendo naturam imitans; denario siquidem numero junctus, grana seu poma producit magnitudine ovi, sed cute ficuum in modum crassiore, coloreque flavo, odore rosaceo, ac forma cucumeris.

Saccharon.

Crebra per Ægyptum arundineta occurrunt, quorum non inanes sunt calami, sed alba farcti medulla, uvarum instar premuntur, quo melius latens liquor melleus emanet, qui ad frigoris temperiem redactus, saccharis nomen sortitur, induratumque salis fossitii modo, pileorum formas adsciscit. Tamarices quoque, & quæ cassias portant arbores, frequentes habet Ægyptus, quibus extramurana Alexandriæ loca referta sunt, opulentiorum horti præcipue, quemadmodum ex mercatorum relationibus accepimus. Ceterum Belonius cassias perhibet incredibili per omnem Ægyptum copia nasci.

Tamarices. Cassiæ.

Cappares.

Cappares hic sine spinis nascuntur, producuntque fructum, majores illos, qui ad nos adferuntur cappares; minores siquidem in spinosis crescunt arboribus, quas bruma foliorum privat ornatu, cum cappares Ægyptiacæ Arabicæque perpetuo hunc viroris cultum retineant. Adhæc ficus habet hæc regio, quæ altitudine ac specie moros referunt nostrates. Arborum hoc genus ipsa è stirpe, non ex ramis, fructum protrudit magnitudine similitudineque ficus nostratis, at sapore caprificum referentem, licet dulciorem nonnihil.

Ficus.

Mala Granata.

Poma Punica seu malogranata dulcia hic sunt, acidaque numeroso proventu, ex quibus Villamontio teste gratissimum palato vinum exprimunt; mala item citrea, aurantia, ficus, cerasa, & varii præterea generis fructus, quibus ferendis nostræ sunt regiones inertes. Caret tamen Ægyptus glandibus quernis, nucibus basilicis avellanisque, & magna fructuum nostratium parte.

Citrea. Aurantia. Ficus. Cerasa.

Papyrus.

Fert etiam papyrum Ægyptus, cujus nomen quidem notissimum, at frutex ipse plerisque Europæis incognitus. Is in paludosis Ægypti locis seu fossis circa Nilum nascitur, quas binos ad summum cubitos profundas, aquis refertas, decrescens amnis reliquit. Radix ejus anfracta est, crassitudine brachium exæquans, & tamen stirps ipsa triplici est facie, denis altitudine cubitis par, gracilescensque sensim, seu in acutum tendens usque ad summum, ubi in germen se exserit, nec fructum ullum, nec grana proferens. Flos ejus olim ad contexenda diis serta adhibebatur.

Cæterum papyrus duplici in discrimine est; alia quippe Ægyptiaca appellatur; à Græcis Biblus Ægypti dicta, cujus Lucanus lib. III meminit:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, &c.

alia priori simillima, *papero* Italis vocitata, in Apulia quoque, Calabria, Siciliaque nascitur. Hæc Theophrasto *Sari* dicitur, qua ad scribendum veteres nequaquam usi sunt; licet imperitiorum opinio fuerit nasci æque in Italiæ regione ac in Ægypto papyrum.

Arbores aliæ Plantæque. Harmala.

Caret quoque Ægyptus populis, sed myrtis abundat, plantamque alit *Harmalam* dictam, rutæ speciem, quæ Arabibus, Turcis Ægyptiisque diversimode est usui; at inter cetera singulis matutinis temporibus ejus se odoribus conspergunt, rati hoc modo à malignis se spiritibus mundari. Est & frutex in Ægypto, *Alcanna* incolis dictus, quem singulari ferunt diligentia, ob commoda, quæ ex eo percipiunt. Is altitudine mali Punici, folia habet, quæ sicca in pulverem contusa, colorem flavum inducunt. Radix hic visitur, Arabibus *Bisch*, & quibusdam *Napel* dicta, magnitudine minoris napi, quæ gustantium ora ingenti quodam calore incendit.

Alcanna.

Bisch.

Linum.

Linum subrubens quibusdam in locis crescit; at Rosettanis id tanta copia affluit, ut inde in varias regiones avehatur.

Vinum.

Gratum Bacchi liquorem minime fert Ægyptus, planitie locorum Nili irrigata, inundationibus vites serendi facultatem adimente; ex editioribus autem locis vites exstirparunt Mahometani. Princeps Radzivilius visam sibi Materam eunti vineam testatur. Crediderunt veteres Ægyptii à fuso in terris Gigantum sanguine vites primo enatas, quarum ex uvis expressus liquor ideo vim haberet mentem sua ex sede dimovendi, inebriandique.

Christiani tamen istum defectum supplent, vino ex Creta Cyproque, monte Libano, atque Zacyntho & Cephalenia insulis, copiose advecto; Consules autem Europæ ex Italia curant adferri.

Agricultura.

Hortorum cultura tam in suburbanis Alexandriæ

driæ locis, quam per reliquam omnem Ægyptum perdifficilis eſt, niſi qua eadem Nili ripis propius accedit; irrigandum quippe eſt ſolum putealibus aquis boum labore extractis. Non ibi, ut apud nos, ſubigitur terra, ſeu idonea ad excipiendam ſementem redditur, Nilo amne hoc officium peragente, cujus limus ſolo inhærens, per ſe huic muneri aptiſſimus eſt, dummodo occarum celeriter percurrentium adjumento ſemen ad interiora pellatur. Nonnunquam Chriſtiana mancipia terram bina & bina exercent, ferreâ catenâ corpus medium cincta, & à ſubſequente Turca ſeu Mauro ad adſiduum laborem præacuto ſtipite adacta.

Animalia. Bubali. Boves. Cameli. Capræ. Oves. Animalia Ægyptiaca, ob paſcuorum fœcunditatem aërisque temperiem, in inſignem creſcunt proceritatem, ut bubali, boves, cameli, aſini, capræ ovesque, quæ lana nigra, corpore obeſo, & cauda craſſa ad terram uſque defluente, palearique taurorum in modum pendulo. Quidam, ovis Ægyptiacæ caudam quaternis ſufficere polyphagis; alii quadraginta eam æquare pondo, affirmant. Caprarum numeroſi prope Alexandriam greges paſcuntur, quarum aures ad terram pendulæ, in extremitate quinûm latitudine digitorum in altum curvantur. Carnes ovinæ, vitulinæ, bubulæ hœdinæque eximio ſapore feruntur. Certum quoddam caprarum ſilveſtrium genus hic cernitur, recentioribus Gazellæ, Græcis veteribus Oryges appellatæ, quæ cum plerumque catervatim in agris vagentur, multæ earum plumbeis trajectæ glandibu, incolarum in manus perveniunt. Pilo illæ ſpecieque camelis ſimiles, anterioribus leporum in modum breviores ſunt pedibus, linea nigra, ut cameli, ſupra oculos notatæ, imberbes quidem; caprarum tamen more bàlatum edunt. *Gazellæ.*

Cynocephali. Nutrit etiam Ægyptus Cynocephalos, qui ſimiarum de genere, eaſdem ſpecie quoque referunt, ſolo capite excepto, cui canina eſt forma. Sunt tamen reliquis ſimiis majores, robuſtiores item truculentioresque, & dentibus ferme caninis.

Ichneumones. *Ichneumones*, qui Ægypto ſunt proprii, apud Alexandrinos canum feliumque more cicurantur, vulgariter *Mures Pharaonis*, & *Mures Indiæ* appellati. Illi gliribus ſerpentibusque inſidiantur, cujus beneficii nomine etiam ab Ægyptiis coluntur. Ceterum, ichneumon pulchrum animal eſt nitidumque, quod in prædam ſuam apprime callet. Nam ut primum capiendæ occaſionem prædæ advertit, in poſteriores ſe pedes erigit, ac ubi propius acceſſit, prædæ expoſitum animal magno impetu in illud ſe injicit, capitque, glirium, ſerpentum, ranarum, & his ſimilium animalculorum, avium item minorum, ut pullorum columbinorum, gallinaceorumque eſu indifferenter vitam ſuſtentans. Fele major eſt robuſtiorque ichneumon, tantumque gerit, parvo licet in corpore, animum, ut ingentem adverſus canem pugnet alacriter; felem autem, ubi ſemel comprehendit, mordendo conculcandoque facillime vita exuit. Os illi acutum nigrumque caſtoris in modum, ſed myſtace caret.

Chamæleontes. Chamæleontes magno in Ægypto ſunt numero, qui colore quidem varii; at plerumque ex viridi colore palleſcunt, ex cæruleo nonnunquam pertranſeunt celeri mutatione in viridem. Viſi ſunt ſæpè non uno in loco caveis incluſi, nullo prorſus iiſdem alimento porrecto. Verum Belonius inquit, muſcis chamæleontem victitare, erucis, ſcarabæis locuſtisque, & fruſtra illi linguam, ventrem atque inteſtina fuiſſe à Natura provida matre conceſſa, ſi inſtitutis ad excipiendum digerendumque cibum inſtrumentis non eſſet utendum. Quod communiter de hoc animali referunt, quod neque cibum capiat, neque potu alatur, certiſſimum eſt, Chamæleontem ſolo hauſtu aëris vitam annuo ſpatio poſſe producere. Eſt item hac in regione animal *Steinc* ſeu *Stinc* vulgariter dictum, quod Plinius ait à quibuſdam pro crocodilo terreſtri accipi, ut Dioſcorides affirmat. At recentiores id inter aquatilia referunt, cum quæ Venetias portantur, aut in mari Rubro, aut in Nilo flumine ſint capta. Etiamſi autem ad crocodilorum ſimilitudinem prope accedant, longe tamen his ipſis minora ſunt. Squamas habent luridas, ſed ſubtiles, Plinio teſte, tenerasque, cyanea à capite ſummo ad extremam caudam linea corpus ſecante. *Stinci.*

Ibes Cicerone & Plinio autoribus, ſeu *ibides*, ſunt aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro ciconiæ ſimiles, ſed nigræ totæ, bifariam diſtinctæ: ſunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ: Candidæ apud Peluſium tantum non ſunt, cum in reliqua tota Ægypto habeantur; nigræ contra apud Peluſium tantum, in reliqua Ægypto nullæ. Quidam, ibides marem & feminam ſola ad propagandam ſpeciem roſtrorum copulatione uti, putaverunt, quos Ariſtoteles & Plinius rident, dicentes iſtam roſtrorum combinationem non eſſe alîus efficaciæ, quam baſia columbarum. Ceterum ſerpentibus ibes infeſtæ, quorum maximam vim conficiunt; Ægyptiis utiliſſimæ ſunt, qui opem earum ad exterminandum hoc virus quondam imploraſſe dicuntur. Eædem primæ clyſteris uſum hominibus monſtrarunt; roſtri enim aduncitate per eam partem ſe perluunt, ſalſuginem marinam adhibentes, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt: quam purgationem advertiſſe, & imitati poſtea Ægyptii dicuntur, Plinio, Plutarcho & Æliano autoribus. Fatendum eſt quidem, pauca quædam animalia Ægyptiorum adjuvare commoda; at multo plura ſunt, à quibus infeſtationes patiuntur adſiduas. Nam præterquam quod à crocodilis ac ſerpentibus lædantur interimanturque complures, continua eoſdem à muſcis majoribus minuſculisque vexatio circumvolat. *Ibes.* *Muſcæ.*

Qui ex Æthiopibus Ægyptum incolunt, alii inter nigros albosque medium quendam locum tenent, alii colore ſunt leucophæo, qui leucoæthiopes dicuntur, alii prorſus nigri & quaſi aduſti. Infantes, ob ardentem nimio calore in matribus uterum, plerumque octomeſtres naſcuntur. *Incolarum diſpoſitio corporis.*

Indigenæ, homines frugis bonæ ſunt, & Leone teſte facili liberalique ingenio; at politiores aſtutioresque maritimi ſunt, quos exterorum conſuetudo exercet. Ex adverſo Sahidani ultra *Indoles.*

Africa.

Cairum in mediterraneis incolentes, ab Æthiopibus tantum Nigritisque frequentantur. Tritores orizæ, extranei, qui Barnabar incolunt, laſcivia diffluunt; quamobrem ex omni fere Ægypto huc mulierum fæx confluit, ad domanda primum libidinoſorum corpora, tum ad emungendas auro crumenas. Mulieres Tebanas non ſolum venuſtas corporis, ſed etiam quædam in actionibus decentia commendat: viri autem, laboribus addicti ſunt. Fuoanos otium amare voluptatemque perhibent. Roſettani erga exteros ſunt mites, ſed & recreationibus ſuis nimium trahuntur. Cairani in converſationibus hilares, affabilesque in colloquiis, multa faciles promittunt, ad præſtandum omnino difficiles. Alexandria, ut navigantes eò ex partibus noſtris redeuntesque mercatores nos docent, Mauros habet, Iudæos, & quos Beduinos appellant. Beduinorum gens egena, mortalium nulli verbo aut opere incommodat.

Mores. Mauri calliditate valent, ſed magis Iudæi; utrique autem cum Turcis ſummo ſtudio curaque voluptates ſectantur. Verum, ſi univerſe de moribus Ægyptiorum loquendum ſit, illi jucunditate conſuetudinis nationes omnes anteſtant. Nam omni momento quaſi in ſaltus cantusque erumpunt, hac ratione multum à Turcis diverſi, quos quædam in agendo barbaries, Scythicam ſpirans originem, reddit inviſos.

Studia. Turcæ in Ægypto aut magiſtratum gerunt, aut ſunt in albo militum relati. Ægyptii indigenæ partim agros colunt, partim in conſervanda augendaque re familiari verſantur. Arabes ex rapinis furtisque vitam tolerant. Æthiopes ac Nigritæ plerique, ut & Cairanorum maxima pars, mercaturam exercent. Ex Gallis etiam Italisque Cairi, & in aliis Ægypti oppidis maritimis mercatores plurimi. Inter mulieres, Fuoanæ vivunt liberrime; domo quidpe ad libitum ſine ulla offenſiuncula maritorum abſunt, dummodo circa veſperum revertantur. In quodam Fuoæ ſuburbio frequentes meretriculæ degunt, corporum ſuorum copiam pro precio facientes. Mechellani propemodum omnes aut textores, aut aliis laboribus occupati, anſerum greges nutriunt, quos Cairi divendunt. Geziratani variis artibus dediti, quæ manibus opera effecerunt, Cairum venalia exportant. Derottenſibus conficiendi ſacchari eſt cura. Mechellani plerique portitores ſunt. Elchiani in excolendo agro ætatem terentes, anſeres alunt, gallinas columbasque. Canenſes quoque in ſola agrorum cultura verſantur, Aſnenſibus Aſſuanisque mercaturæ ſtudia ſequentibus.

Veſtiendi ratio. Veſtes Ægyptiorum quandam concinnitatem præferunt, & Villamontio teſte, ſunt precioſo ornatu magnificæ. Nam per æſtatem induſiis ſubtiliſſimo ex lino confectis utuntur, quibus ex ſerico raſo, tenui, florulento aut undulato, prout cujusque conditio poſtulat, togam ſuperinjiciunt. Toga hæc, ut Leo refert, anguſta eſt, pectore tenus conſuta, reliqua parte anteriore ad pedes usque aperta. Capiti galerum orbicularem imponunt, undulato è ſerico varios in ſinus contortum. Porro antiquo quodam more calceantur, & ſi qui ex illis calceos noſtratibus ſimiles induant, iſti ſandaliorum potius quam calceorum formam habent. Æſtivo tempore contexto è goſſypio linteamine diverſi coloris teguntur; hyeme vero panno ſuo utuntur goſſypio ſuffulto, quem *Chebre* vulgari vocabulo indigetant.

Opulentiores, mercatoresque ſæpe ex Europæis textilibus veſtimenta ſua fieri curant.

Mulieres Ægypti velata ſemper facie in publicum prodeunt. Nam mulieres ruſticæ Arabes Ægyptiæque, ad obtegendum vultum, linum Xilinum nigri, aut alterius coloris adhibent, mentum verſus latitudinem in acutum coarctans, apertumque binis contra oculos foraminibus, ad liberiorem proſpectum. Plurimis tamen in civitatibus in velorum uſu Turcicarum mulierum morem Ægyptiæ ſequuntur, quæ texto ſubtiliter è pilis equinis velo faciem contegunt, nobilioribus velo ad transmittendum facilius lumen è tenuiſſimo lino utentibus.

Lingua. Tam Alexandrini, quam reliqui Ægyptii omnes aut Maurica utuntur, aut Arabica lingua, Turcis has, & vernaculam promiſcue ſcripto ac ſermoni adhibentibus. In Emporiis, ut in urbe Alexandria præter Mauricum, Turcicum Arabicumque idiomata, vigent Sclavonica, Hebraica, Græca ac Syriaca linguæ, ſed potius ex his omnibus confuſio quædam ora hominum peragrat. Ex Elmacino habemus, Arabicam Ægyptiorum dialectum *Nahiri* indigetari. Iudæi Cairani plerique Hiſpanice, Italice, Turcice, Græce atque Arabice loquuntur. Coptitæ veterem linguam Ægyptiacam ſacris in rebus, & ſi quid Arabici idiomatis interpretandum ſit, retinent. Ceterum nihil hæc ipſa lingua cum aliis Orientalibus habet commune, ſolis characteribus exceptis, qui plerique Græcorum typum elementorum exhibent.

Mores Beduinorum. Reliquum eſt, ut vagabundorum mores Ægyptiorum, qui pro ratione temporum ac paſcuorum commoditate de loco in locum abeunt, paucis attingamus. Paſtores hi ſunt, à Mauris *Duars* appellati, apud Beduinos gentem egenam incolentes. Ducenti aut trecenti ſimul oberrant, ac ubi ad manſionem ſoli ratio invitat, ibi parva tentoria ſua viliſſimo è panno, ſeu potius rudi, è pilis caprinis lanaque textili confecta expandunt, eodem tecto ſinguli non ſolum familiam ſuam, ſed capras etiam ſuas, oves, equos camelosque excipientes.

Omnes aut ex ferro opera ſeu inſtrumenta fabricant, aut textilia conficiunt ex pilis caprinis & lana. Viri non alia veſte teguntur, quam vili induſio coloris cærulei ſeu potius lividi, manicis ad terram usque inſigni laxitate defluentibus, & panno quodam, quo corpus cum lubet involvunt, aut eundem nocturno tempore ut tentorii loco ſit, aut diurno, ut umbraculum præſtet, tribus affixum ſtipitibus, erectumque explicant.

Mulieres Beduinæ eo habitu incedunt, quo Ægyptiæ in Italia viſuntur, velo linteo contra oculos pertuſo faciem tegentes. Multaſillæ capillis ſuis ex argento aurichalcoque rugas affigunt, innectuntque auribus annulos atque inaures inuſitatæ magnitudinis & ponderis, brachia

chia ex eadem materia, & proportionato ad inaures pondere armillis cingentes.

Merces. Inter merces Ægyptiacas orizam primo loco recenseo, quam Itali, & aliarum mercatores nationum magna copia avehunt; quamvis id sine permissu facere non liceat.

Navis una Alexandria solvens onusta fuit duodecies mille quintalibus, ut vocant, unde facilis conjectura de ceteris est. Alexandrini struthionum pelles plumasque à mercatoribus Æthiopibus, qui struthionum carnibus victitant, coëmptas, exteris deinde divendunt. Acceptissima autem Turcis hæc merx est, qui sine his plumis splendidos se esse negant. Cairus ingentes succino flavo refertos saccos venum exponit, frustis singulis pugnos duos æquantibus. Non minori id apud Arabes, Syrios, Ægyptios Indosque, quam apud Christianos in precio est; majora quippe rosariorum grana ex illo conficiunt, queis preces suas dinumerant. Tamarindorum quoque Cairi facile ter mille pondo venduntur. Hac in urbe spatiosa loca publica invenias, in quibus venales exponuntur Æthiopes tam mares, quam fœminæ, quibus plerumque aures sunt perforatæ, & nasus, nonnullis etiam labrum inferius, ad inserendum annulos cum appendicibus ex vitro. Carissimus quisque denis divenditur centussibus; at Christianis eos è patria abducere sub pœna capitis prohibitum est. Mercatores Europæi quos Cairum tenet, tam frequentes istam ad urbem mercatores confluere, affirmant, ut spatio horarum viginti quatuor Cairanum portum dena hominum millia qua subeant, qua exeant. Vasa tenuissimo è luto ducta, ac porcelana vulgo appellata, quorum nitidam albedinem cæruleus variis rerum imaginibus ludibundus color distinguit, tanta Cairum advehuntur copia, ut fidem propemodum excedat. Verum precioſiores illæ merces, ut aurea argenteaque textilia, lina byssina, uniones lapidesque precioſi, aromata, unguenta, & id genus alia, incredibile quoddam lucrum Cairanis adferunt.

Celebre item Rosetta emporium est, eo quod merces omnes Alexandria avectæ, hic navium mutationem subeant. Merces Rosettanorum, quarum beneficio incolæ magnis opibus augentur, præcipuæ, sunt piper, crocus, Zibethum, Bezoar, & si quid præterea raritas & precium commendant.

Opes privatæ. Ægyptus porro adeo felix ubertate frugum fructuumque existit, ut inde non solum ingens tributum Turcis solvatur, singulisque annona suppetat, sed tot rerum exportatione bini quotannis milliones auri ab his ipsis Ægyptii redimant.

Turcici per Ægyptum Præfecti sedes Cairi est. In Cairanæ vero arcis aula majore Turcicorum magistratuum conventus celebratur ad prædia locanda, recipienda vectigalia, examinandas rationes, ceteraque agenda, quæ ad provinciam rite gubernandam spectant. Eidem conventui intersunt quotquot ditionis Turcicæ in Ægypto magistratus ordinarii sunt. Ceterum Præfectus Cairanus suo nomine Prætorem in Alexandria urbe substituit, adjunctis qui ad vectigalia attendant, à mercibus omnibus exigenda seu terrâ veniant, seu mari. *Regimen politicum.*

Pluribus nationibus in Emporiis Ægypti suus est Consul cum Proconsulibus. Consulem Franciæ Villamontius Cairi locat, & Proconsulem Alexandriæ; Beauvavius autem Consulis Gallicani sedem Alexandriæ ponit, & Proconsulis Cairi. Veneti Consulem suum Rosettæ habent, cui curæ esse debent res ad suorum commercium pertinentes. Hoc plures aliæ nationes Christianæ in Ægypto magistratu ad popularium dirimendas lites utuntur. *Religio. Mahometani.*

Mahometani, Ægypti domini, in quatuor sectas, ritibus duntaxat differentes secantur. Harum autores seu conditores fuere quatuor, qui acriore quam ceteri pollentes ingenio, Mahometicam legem aliter atque aliter sunt interpretati. Præter hæc quatuor Mahometanorum genera, habet Ægyptus libertinorum sectam Essehravaricam. Illud certissimum est, Mahometanos, Ægyptios Arabesque sanctiores esse legis Mahometicæ custodes, quam Turcas, licet eandem omnes doctrinam sequantur. Cairana in urbe Persæ plurimi sunt, Mahometis legem ad suam vivendi rationem trahentes. Ibidem Arabes, Asiatici Afrique magno numero degunt, quorum animos idem error Mahometicus invasit.

Iudæorum tanta Cairi multitudo est, ut decies sexies centena millia eorum numerentur. *Iudæi.*

In Christianorum in Ægypto viventium numero Galli inveniuntur, Itali, Germani, Georgiani, Æthiopes, Iacobitæ, Armenii, Syrii, Coptitæ, Nestoriani, Maronitæ & Nubienses, omnes in IESVM CHRISTVM credentes, sed ratione diversa. *Christiani.*

Cairus plurima Græcorum, Armeniorum aliorumque Christianorum templa vasto ambitu suo complectitur.

In Cairo veteri duo Christianorum templa sunt, alterum S. Mariæ titulo insignitum Coptitarum, & S. Gregorii alterum, Græcorum ritibus dicatum.

NVMIDIA.

EXplicatis Africæ littoribus, quæ Europæ noſtræ objacent, commodiſſimus nunc videtur locus, ab Orientali Africæ parte verſus Occidentem pedem referre, ac interiores Africæ partes *Numidiam* Lybiamque, quarum delineationem ſuperius inſerta Barbariæ tabula continet, introſpicere, antequam ad Abiſſinorum imperium, ac Nigritarum regionem accedamus.

Numidia Vetus.

Numidia Vetus, Ptolemæo *Numidia Nova* appellata, Græcis autem Plinio teſte *Metagonita*, eodem autore Plinio, ab Ampſaga amne, qui nunc *Sufgemar* ad Tuſcam amnem, qui nunc *Guadilbarbar*, porrigebatur; at nunc, ut quidam volunt, Tremiſenum regnum eodem extenditur ſitu. Ptolemæus illi non ſatis diſtincte terminos proprios aſſignavit, licet videri poſſit eundem limitaſſe Sufgemar & Iadog amnibus, hoc eſt, locaſſe inter flumina Ampſagum ac Rubricatum, apud Bonam oppidum: atque hic Africæ tractus Conſtantinam partemque Bugiæ complectebatur. Verum Maginus regionem Numidiæ Veteris inter Audum amnem, qui nunc *Magior*, ubi Ptolemæus Numidici ſinus ſtatuit initium, & Bagradam, qui nunc *Megerada* ſeu *Magrada*, apud Carthaginem locat, quo tractu etiam Tunetani regni portio quædam contineatur.

Numidia recens.

At Numidia noſtro ævo illa pars Africæ eſt, quæ Leone autore Lybiam inter ac juga Atlantis ſe explicat, & Veteris Numidiæ partem fortaſſis continet, ut nonnulli ex provinciis ejus Bugiæ ac Tunetano regno vicinis colligunt, complectiturque partem Cæſarienſis Mauritaniæ in Darenſi Provincia.

Nomen.

Porro regio hæc longiſſimo per Africam tractu porrecta, hodie *Biledulgerid* à primaria Provincia ſua, ſeu *Beledelgerid*, ab Arabibus autem *Guaten Tamar* vocabulis indigetatur, utrisque terram dactylorum proventu felicem ſignificantibus.

Limites.

Terminis ea continetur ab Oriente Eloacar oppido, centenis amplius milliaribus ab Ægypto remoto; ab Occidente regione Nun, Oceano prætenſa; à Septentrionibus Atlantis radicibus, qua ſcilicet is in Auſtrum vergit; à Meridie autem Deſertis Lybiæ.

Partes ſive Provinciæ.

Provinciarum præcipuarum vulgaria nomina ſunt *Teſſet*, *Dara*, *Tafilet*, *Segelmeſſe*, *Zes*, & *Biledulgerid*, à qua commune omnibus nomen eſt inditum. Sunt & aliæ provinciæ, præſertim in Occidentali latere, partim aliis confuſæ, partim etiam ſuis limitibus ſeparatæ. Longitudo ſumma mille circiter leucas implet, latitudine leucis duntaxat nonaginta porrecta.

Dimenſio.

Populi clariores.

Clariores populi, qui partem ejus Occidentalem nunc tenent, ſunt autore Marmolio *Muſſamnades*, Hileles, *Zaraganes* & *Quicimas*, hiſque permixti alii, *Gemis* dicti, quod nomen plurium congregationem populorum ſignificat.

Fluvii.

Fluvii celebres ſunt *Darha*, *Ziz*, & *Chir*, quibus Suſum amnem Leo adnumerat, de quo in Maurocani deſcriptione regni meminimus.

Darha flumen, monte Atlante oritur, in confinio Haſcoræ provinciæ, decurritque Meridiem verſus, regionem cognominem interſecans. Inde in Deſertum devolvitur, ubi herboſos quoſdam per agros ſe ſpargit.

Ziz, in quadam Atlantis parte ſui nominis prorumpens, in Meridiem montana inter perſtrepens, Cherſeluinum præterfluit; mox regiones *Chenegam*, Matgaram Retebamque inviſit, ſubitque Segelmeſſam; tum in Deſertum delapſus, Sugaihilæ arcis muros lambit. Poſt in mediis arenis in lacum ſe format, quem nulla gens accolit, Arabibus tantum hæc loca venationis cauſa frequentantibus.

Chir, ortum itidem ex Atlante ducit, directoque in Auſtrum curſu, ſolitudines quaſdam perlabitur, ſalutatoque Benigumi loco, in Deſertum ſe abdit, cujus in medio in lacum quoque diffunditur.

Ceteri Numidiæ Recentis fluvii ſunt *Albula*, Portugallis *Rio Bianco*, qui montano in loco natus, peragratis quibuſdam regionibus Numidiæ, pluribus oſtiis in Oceanum devolvitur Atlanticum; & *Buzedor*, qui haud procul à littore profluens, ubi Numidiæ partem aliquam rigavit, Oceano quoque Atlantico miſcetur apud Buzeidor oppidum.

Sechs, tenuis amnis, ſcaturiens in quibuſdam Numidiæ montibus, remotioribus à mari quam quaternæ iſtæ Ifrani ſint arces, inter has ipſas decurrit, Oceano deinde inter Bajador promontorium & Nun oppidum receptus. Nomen ei quæſitum inde, quod hyberno duntaxat tempore aquis ſcateat, per æſtatem vero ſicco ſit alveo. *Lebich*, è Numidiæ montibus littori propinquis oritur, juxta locum, qui nautis Albene dicitur, Oceano permiſtus, poſtquam amnibus aliquot factus eſt auctior. Sunt præterea amnes duo *Seſeut* ſeu *Teſeutin* vulgariter appellati, qui Gigndemo è monte, diverſis tamen fontibus trium milliarium ſpatio ab invicem diſſitis profluunt, rigatiſque primo campis quibuſdam, ac luſtrata Haſcora Provincia cum Lebico alveos ſuos committunt.

Ceterum *Teſeut* vocabulum ripam, *Teſeutin* vero ripas plurali numero ſignificat. *Himiſſin* ortum habere videtur ex quibuſdam Numidiæ montibus, exiguo intervallo ab Oceano disjunctis, quem apud Anſulimum, locum quendam Nautis ita vocitatum, ingreditur. *Farcala*, cui à regione, quam perfluit, inditum eſt nomen, modicum flumen eſt, non longe ab hac regione, imo Septentrionalibus ejus in montibus ortum, quod curſu in Meridiem inſtituto, in lacum poſtea ſe explicat late terris innatantem.

Togada perexiguus amnis, cognominem terræ tractum perfluens, montibus egreditur, qui in Boreali parte viſuntur. Is in Auſtrum progreſſus,

ſus, alveum ſuum magis magisque patefacit, donec inſignem in lacum mutetur. Flumen, cui à colore cognomentum eſt, Atlanticis è jugis profectum, Numidiæ campos perlabitur, viſitatisque Teolacha oppido, locoque Nefra, in deſerto ſe in lacus ſpeciem diffundit. Tochort, flumen itidem non magnum ex Numidiæ montibus in Libyæ confinio exiens, Techort oppidum verſatili ſub ponte præterfluit; inde ſuas in Deſertum aquas devolvens, formatur in lacum. *Teuſart* amniculus montana origine, in Meridiem declivis, in Deſerto nomen ſuum amittit, ubi converti eum in lacum perhibent.

Soli qualitas. Solo Numidia ob calorem eſt ſicco, ſabuloſoque. Sunt quidem illi amnes complures, ſed plerique verſus Libyæ deſerta curſum dirigunt.

Frumentum. Pauciſſimi ſunt agri ferendo frumento idonei; plurimi autem dactyliferis palmetis conſiti, paucisque præterea arboribus frugiferis, inter quas frequentior illa eſt, quam Loth appellant, cujus

Fructus. fructus dulciſſimus eſt. Habet etiam præter picem Numidia, Euphorbium, Zumacam Addadamque. Quæ ex Numidiæ regionibus ſunt Libyæ confines, montes habent ſteriles, viduosque arboribus, & quæ ad radices eorum viſuntur, ſine ullo fructu ſpinoſæ exiſtunt.

Aqua. Inter hos montes vaſta ſolitudine horridos, ac pæne incognitos pauci putei viſuntur, fontibus fluviisque amotis.

Animalia venenata, aliaque. Omnem Numidiæ tractum ſcorpionum ac ſerpentum genus invaſit, quorum morſibus plurimi quotannis homines tempore æſtivo intereunt. Sunt tamen etiam Numidis ſtruthiones, cameli, ac capræ magno numero; equi item, ſed pauci. Meſſis hic Aprili eſt menſe, & dactylorum collectio in nonum, aut decimum anni menſem incidit; at, ſi October atque Aprilis menſes imbribus careant, nec ſeritur hic, nec metitur. Quam tamen frumenti ſterilitatem pæne incredibilis dactylorum ſemper compenſat abundantia; quos cum Arabes aliique mercatores vehementer expetant, ſat frumenti fructuumque Numidis apportant, quo incidentem forte egeſtatem ſolentur. Ceterum aliquibus Numidiæ in locis ſemper frumentum habetur, licet avare à ſoli ingenio conceſſum, quod hordei longe feracius eſt, anilique infectoribus ſeu iis qui pannos coloribus imbuunt, accepti.

Quia de dactylis ſeu palmulis mentio hic incidit, opportune hoc loco admiranda quædam de palmis horum fructuum genitricibus addidero. S. Baſilius in Exemero ſic habet: Palmæ in mares ac fœminas diſtinguuntur: & videas utique aliquando eam, quæ fœmina appellatur, demittentem ramos, velut libidine concitatam, & amplexum maris appetentem; videas & curatores earum ramis velut ſemina quædam maſculorum injicere, atque ſic velut in ſenſu fruitionis ac voluptatis illam conſtitui, ac rurſus erigere ramos, & arboris comam ad propriam figuram redire. Habet de palmis explicatius Sanctus Ambroſius in Exemero lib. 4. Eſt quidem (inquit) quod mireris, in arboribus diſcretio ſexus: nam palma dactylos generans ramos ſuos inclinat, & ſubjicit, atque in concupiſcentiæ amplexusque ſpeciem protendit arboris, quam marem appellant, unde & ramis palmarum cultores ſemina maſculorum præjaciunt, quibus illi fœminæ arbori velut quidam ſenſus perfunctionis infunditur, & expetiti concubitus gratia repræſentatur, quo munere donato rurſus ramos ſuos, & in veterem ſtatum comam ſuam attollit. Prædictis autoribus Majoli lubet relationem de palma attexere: Si palma fœmina (inquit) longe abſit à maſculo, ſterileſcit absque fructu, quin ſi mas frondibus careat vi vel caſu aliquo abruptis, fœmina viduarum more fit infœcunda.

Ventus. Numidiam porro, præter ardentem ſiccitatem, ac venenata animalia, plurimum Eurus infeſtat, qui flatu ſuo ſeveriore arenas à terra ſuſcitat, ac viantium oculis ingerit, quæ viſui incommodant non parum. Ceterum cœlo Numidia ſalubri eſt; vix enim ſæculo integro ſemel per hanc regionem peſtilentia incidit, aut puſtulis humana corpora extuberant.

Diſpoſitio corporis. Longos in annos vitam Numidæ extrahunt, ſed hoc affliguntur incommodo, quod dactylorum cauſa, quibus avidius frequentiusque veſcuntur, præmaturam dentium eliſionem patiantur, & adſiduis ferme ventis agitatæ arenæ oculorum aciem affligant.

Indoles. Indoles illis ad laſciviam proclivis, exigua humanitatis ac ſapientiæ cura. Proditionis ſunt, ac rerum novarum amantes, inhiantesque furtis atque rapinis. Animus iiſdem ad vilia miniſteria abjectus, quæ in Barbaria tenuem propter mercedem libentes exercent. Sunt tamen in numero eorum aliqui, queîs de meliore luto finxit præcordia Titan.

Studia. Opulentiores legum ſuarum, Martisque ſtudia ſectantur.

Victus ratio. Carnibus camelorum ſtruthionumque aſſatis veſcuntur; à potu vero aquam excludunt, camelino lacte juſculoque duntaxat utentes. Plurimi in hoc ſordido hominum genere longe omnium hominum ſordidiſſimi ſunt, qui haud unquam in vita faciem lavent, aut manus.

Arabes incolentes Numidiam. De Arabibus quoque, qui Numidiam incolunt, nonnihil dicendum eſt. Hi inubere ſunt macroque corpore, vultu terribili & ſubnigro, raro mentum pilo veſtiente. Longævi iidem ſunt, corpora ſua ſæpe fricando, eademque exercendo ad eliciendum ſudorem, aliam medendi artem ignorantes. Mirum in modum ſtruthionum venatione delectantur, avidiſſime falconum adjutorio avibus aliisque minoribus feris inſidiantur.

Diſpoſitio corporis.

Exercitia.

Famulitium. Nobilibus famulitium ex Æthiopibus eſt, ceteris ad ordinandam rem familiarem, ſternendos ephippio equos, aliaque officia adhibentibus uxores aut famulas. Verum noſtro ævo multi eorum Feſſam ad ſtudia literarum mittuntur, ut aut in Prædicatores, aut in Iureconſultos evadant, reliquis in Nigritarum regione mercaturam factitantibus. Sunt item complures in Numidia Arabes, qui ſpiritu Poëtico afflati, longiſſimis odis bella ſua, amores venationesque admirabili ſuavitate decantent, coactis plerorumque Europæorum more in rythmos verſibus.

Studia.

Indoles. Ingenio liberali ſunt; ſed id reapſe exerere, regionis ipſius negat inopia.

Africa.

Veſtiendi ratio. In cultu Numidarum Africanorum morem ſequuntur, fœminis exceptis, quas quædam in veſtibus diverſitas à Numidis diſcernit. Ceterum ſobrie vivunt, etiam in ſolemnioribus cœnis, ut Ananias refert, dactylis ficisque ſiccis contenti.

Aduari. Aduaros Numidiæ quod attinet, quorum nomen circulos orbiculares ſignificat, notandum eſt, Aduarum ſingulari numero minora quædam caſtra ambulatoria eſſe, centum, aut 150, aut etiam ducentis conſtantia tentoriis, quæ in orbem ſeu circulum connexo ordine diſpoſita, tutum per noctem Arabico pecori receptaculum ambitu ſuo præbent. Tentoria hæc è lana, pilisque caprinis, palmarumque filis contexta, ſubnigro colore apparent, nec imbribus pervia, nec ſolaribus penetrabilia radiis. Conjunguntur autem eum in modum, ut muri inſtar locum obſidendum circumdent, binis duntaxat ad intrandum ſpatiis ſeu portis relictis, quas oppoſitis ſenticetis nocturno tempore occludunt, ne forte inſidiantes pecori leones Aduarum ſubeundo incommodent. Atque hoc Arabum genus aut ſingulis familiis progreditur, aut pluribus, ad majorem ſecuritatem.

Opes. Divitiæ eorum præcipuæ in copioſa dactylorum collectione, & multorum paſtione camelorum conſiſtunt.

Vires. Ex Arabum viribus facile Numidarum reliquorum metiêre potentiam. Valent illi equitatu ducentorum millium, peditum autem numero prope incredibili. Tanta eorundem potentia eſt, ut, niſi aut zelotypia uxorum, aut ambitione honoris, mutuis ſe bellis laceſſerent, facili negotio eſſent univerſæ Africæ dominaturi. Verum ob iſta animorum mutua diſſidia, vires eorum ſcopæ diſſolutæ ſunt, cogunturque Seriforum Turcarumque gratiam emere muneribus ampliſſimis. Velites ſunt ipſis inſtructiſſimi, equitantque non porrectis cruribus, ſed contractis, gladiis longioribus utentes & telis, ad mala quælibet ſubeunda aſſueti. Hi illi ipſi ſunt, qui cum Tunetanis Chriſtiani bellum inferunt, tam numeroſo ſolent agmine ſuccurrere.

Regimen. Totum hoc terrarum ſpatium partim Afri Numidæque indigenæ, partim advenæ Arabum populi incolunt. Poſteriores primos quibuſdam Numidiæ provinciis ac deſertis expulerunt, occuparuntque vicina dactylorum regionibus deſerta. Numidæ autem ejecti propinqua Nigritarum regioni deſerta obſederunt. Dividi porro Numidiæ incolæ poſſunt in illos, qui omni lege abjecta, pecudum more cum gregibus ſuis in agris vagantur, ſub tentoriis degentes; & in illos, qui Xicis, Regibusque Mauroci, & Feſſæ, ad quos Darenſis regionis pars major ſpectat, Tafileta item & Ytata provinciæ, tributum tanquam dominis ſuis pendere coguntur. Sunt tamen etiam nonnulla hic Turcica ditionis loca. Ceterum totum hoc terrarum ſpatium, quod hodie Numidiam appellamus, Romanorum late orbi terrarum dominantium, ad Occaſum inclinante potentia Regem unicum habuit; at ex quo in hanc terram fuere Arabes ingreſſi, in plura eadem dominia ſive Principatus fuit diſcerpta.

Religio. Religio non alia hic viget quam pridem orco damnata hæreſis Mahometana.

Primi ab Occidente tractus Numidiæ, illi ſunt qui à Barbaria Promontorioque Aguer uſque ad Promontorium Nun Oceano prætenduntur Atlantico. Tractus remotiores uno *Sus* nomine indigetati, terminos habent ab Occidente prædictum Oceanum; à Meridie arenoſas Lybiæ ſolitudines, quæ regionis Nun partem occupant; ab ortu Solis Darenſem Provinciam; à Septentrionibus autem Suſana provincia, quæ portio quædam Barbariæ eſt. SVS, & YDAVS QVERIT. *Limites.*

Populi locaque. Populi clariores à Beberis Africanis omnes profecti, dividuntur in ſtirpes, quas illi *Gemis* appellant. Harum prima *Ydausqueritorum*, quorum præcipuum nomen Hilela eſt, oppida plurima arcesque tenent, videlicet *Ydiauzan*, *Mereit*, *Deudyzdud*, *Denfeniz*, *Yndeuzel*, *Arrahala*, *Deunadayf*, *Argan*, *Deuquinſus*, *Aytiocoli*, & *Tizitit*; celebriora autem horum locorum ſunt, *Ydeunadayf*, vicenis Zaharam ſeu Meridiem verſus Tarudantâ milliaribus; *Ydeuquinſus* item atque *Argan*, ex quibus ſtirps ſeu tribus una formatur, *Quincima* dicta, cum Hilelâ ſtirpe belli ſocietate devincta.

Soli qualitas. Fertilis hæc regio eſt frumenti hordeique, quibuſdam ejus locis quoque mala aurea, limonia, & quidquid ſubacidorum in Europa fructuum eſt proferentibus. Equorum etiam ac reliqui pecoris hic inſignis proventus eſt.

Vires. Incolæ, ſi vis aliqua ingruat, equitatum facile conficient millium quinûm, peditatum vero tricenûm, quo animoſiorem expeditioremque militem vix in tota Africa invenias.

EXTVCA. Extuca, tractus Suſæ remotior eſt, ad Numidiam ſpectans, in quo amplius quadraginta oppida arcesque Bereberis Africanis Miceamudanæ originis habitatæ viſuntur. Ex his celebrius ceteris eſt *Targuez* oppidum cum arce, quæ monticulo impoſita Xecorum ſeu Dynaſtarum ſedes eſt. His vicini ſunt alii Bereberi, in quorum itidem ditione oppida complura ſunt mœnibus cincta, atque arces quædam. Principaliora autem loca iſta ſunt: *Ydaguazinguel*, *Ydaubaquil*, *Deurſumugt* & *Hilela*. *Situs.* *Loca.*

Soli qualitas. Terra hæc crebros in montes attollitur, ſed hordei fertiles, caprisque, quibus abundant, alendis benignos.

NVN. Quidam Occidentem verſus terrarum tractus Oceano perfunduntur Atlantico, inculti tenuibus ac egenis Bereberis quibuſdam, Ydeuzel appellatis, quorum regio remotiorem Suſæ partem obtinens, à capite ſuo Nun vocitatur.

Situs. Situm hæc regio ſortita Numidiam ſeu Beledelgeadam inter, ac Libyam ſive Zaharam, magnam Zaharæ partem occupat. Verum utraque Numidiæ Libyæque portio, incolentium Deſerta Arabum, tentoria ſua ſive mapalia ad permutanda plauſtra circumferentium, quos nominibus *Berebex*, *Zenega* & *Ludaya* indigetant, excurſionibus ac rapinis infeſtantur. *Nun* oppidum, à promontorio cognomine non longe diſſitum, nautis Luſitanis *Non* appellatur, quod olim de navigaturis ultra hoc promontorium, ſi forte quæreretur, num redituri eſſent incolumes, communiter per negationem *Non* reſpondebatur.

Terra

Soli qualitas. Terra hæc frumento caret, nec hordeum dactylosque & hos illaudatos, niſi avare producit; quapropter incolis ad tolerandam commodius vitam Gualata regnum frequentatur.

Mores. Arabes, qui his in partibus non habitant, ſed potius vagantur, in mapaliis ſive tentoriis degunt, loca pro libitu permutantes. At Bereberi firmatas ſuis in mapaliis ſedes tenent.

TESSET. *Nomen.* Teſſet, Numidiæ portio in iſta regione, quam Suſam remotiorem Marmolius nuncupat, ab oppido in confinio Nun poſito, nomen invenit. Id quingentas tantum domos, ager vero illi ſubjectus familias 12000 complectitur. Regio ipſa *Situs.* Libyæ continuata deſertis, centum circiter leucis ab hac parte diſtat, ab omni hominibus in- *Loca.* culto loco. Et quoniam eadem nec vaſto ſpatio porrigitur, nec memorabilia loca continet, merito Regni titulo caret.

Soli qualitas. Qui Teſſetum ager circumſidet, ſterilibus arenis eſt obſitus, parte ejus ſuburbana excepta, quæ alibi dactylorum, alibi ferax eſt hordei miliique. Adſunt item cameli ac equi, ſed numero exiguo; nec pecoris minoris greges numero- *Mores.* roſos invenias. Incolarum ſexus maſculinus deformi ac nigricante propemodum eſt vultu, fœminis candidiore facie exiſtentibus, ac diſpoſito ad firmitatem corpore.

GVADEN. *Situs.* *Guaden*, ſeparatus quidam Leoni locus, à Sanutio in Teſſetana regione locatur. Vicus is eſt in Deſerto Libyæ confini.

Soli qualitas. Solum circumjacens dactylorum duntaxat ferax, ceteris fructibus frugibusque caret. Pantheræ in hoc tractu ſtruthionesque viſuntur; capræ item ac equi, quos camelino lacte nutriunt.

Mores. Ad nigritiem magis, quam ad albedinem, incolarum facies inclinat. Illi toto ferme corpore nudi, ac ab humanitate remotiores viliorisque animi, ob inimicitias quas cum vicinis ſuis gerunt, vix audent paulo longius ſuis à domibus recedere. Ceterum lacte, dactylis ac carne ferina victitant, capras ad lactaria ſervantes. Nul- *Opes.* læ iiſdem ſunt opes, ſervitutem imponentibus *Regimen.* Arabibus, qui *Vdaya* ſeu *Vled Vodey* appellati, deſerta Libyæ tenent.

IFRAN, ſeu VFARAN. *Loca.* *Iſrana*, ſeu *Vfarana* regio, quatuor tantum oppida, murorum incluſa ambitu complectitur, milliaribus ternis ab invicem diſſita, ſingulaque amni ſicco per æſtatem alveo appoſita, ac in remotioris Suſæ parte Meridionali locata.

Soli qualitas. Terra hæc dactylos ferens, æris quoque metalla producit.

Mores. Opes. Incolæ politioribus ſunt moribus, habituque qui deceat. Florent iidem divitiis, quod Guartgeſſemo in portu commercium cum Luſitanis exerceant, à quibus lanea illa textilia fili craſſioris, itemque linea textilia, ac id genus alia pro ſuis accepta mercibus, in Nigritarum regionis regna Gualatæ Tombutique aſportant.

Regimen. Civilibus duntaxat in cauſis Iudicem habent, facinoroſis exilio mulctatis. Reliquum regimen penes Mahometanos ſacrorum antiſtites eſt.

Religio. Porro Mahometanæ ſunt ſuperſtitioni addicti, cui exercendæ templum magnifice ædificarunt.

ACA. *Situs.* *Aca*, ſeu ager Acanus tria circumcincta muro caſtella continet, modico ab invicem ſpatio disjuncta, inque Numidiæ Deſerto qua id Libyæ accedit, conſpicua. Ea quondam incolis fre- *Loca.* quentia, inteſtino bello prope deſerta fuerunt reddita; veruntamen non longo tempore interjecto, pace primum intercurrente, quodam ſacerdote Mahometano compoſita, priſtinam celebritatem recuperaverunt.

Terra, illis noverca, præter dactylos vix fru- *Soli qualitas.* ctuum aliquid ſuppeditat, in quorum collectio- *Mores.* ne omnis eorum occupatio verſatur. Hinc illa *Opes.* rerum omnium inopia. Præeſt his populis Mo- *Regimen.* rabutus quidam. Vnde quòd Mahometanam *Religio.* colant religionem, colligere facile eſt.

DARA. *Nomen.* *Darenſe* Regnum, ſive Provincia *Dara* ſeu Darha, Cæſarienſis Mauritaniæ veteris partem obſidens, unáque ex nobilioribus Numidiæ regionibus, à Dara celebri amne ſuo nominis appellationem accepit.

Limites. Terminatur à Septentrione Atlante Majore, qua is Maurocanum Regnum ingreditur; ab Occidente Gezula Suſaque Provinciis; ab Ortu Sugulmeſſa Numidiæ; à Meridie vero Zanhagano Libyæ Deſerto.

Dimenſio. Longitudo ejus Atlanticis ab jugis ad Zanhaganum deſertum uſque leucas implet nonaginta, latitudine peranguſta, cum ferme tota amnis ſui ripas duntaxat obſideat.

Loca. Oppida cum arcibus ſuis complura habet mœnibus cincta; quæ tamen ex luto conſtant ac lapide, palmarum lignis ad ædificia adhibitis. Ex præcipuis ejus oppidis eſt *Bèniſabich*, ſeu *Mucubach*, Daræ flumini appoſitum. Reliqua oppida ſunt, Quiteva Dara ab amne ſejunctum emiſſione globi è tormento majore; Zezerinum Minus, in ripa Daræ cum arce munita; *Tagumadert*, alias *Tigumedet*, vicenis Quiteva leucis in Libyæ poſitum confinio, ac Seriforum incunabulis inclytum, quorum poſteri Maurocano Feſſanoque regnis potiuntur; *Tinzeda*, itidem in Daræ ripa, quemadmodum etiam *Taragalel*, quod in primariis hujus provinciæ oppidis cenſetur, quaterna ædificiorum millia, munitam arcem, atque aſſignatum quadringentorum circiter Iudæorum habitationi locum complectens.

Tinzulin, ampliſſimum Provinciæ hujus oppidum cum arce, Taragalelo verſus Occaſum Æſtivum decem leucis remotum. *Tameguerut* oppidum cum arce ſua Daræ adſidet. *Timezguit*, in celebrioribus locorum, quæ Gezulæ accedunt, oppidum eſt cum quadringentorum circiter ædificiorum ſuburbio, probe munitum, ac incolis tam frequens, ut bis mille in eo familiæ numerentur. Spectant ad eandem Provinciam arces *Tabarnoſt* in Libyæ confinio, atque Afra, à Serifis in Zaharæ, ſeu Libyæ, condita finibus.

Extat ad hanc diem Tefuf, regia quondam, ſed in ruinis ſuis duntaxat.

Soli qualitas. Quædam arva frumenti feracia ſunt, copioſamque meſſem promittunt, ſi Aprili menſe intumeſcens Dara amnis fœcundus terris innatet; ſin ſecus, ſpes omnis annonæ ſublata eſt. Verum cum fertilitas iſta non omnibus locis inſit, ac hordei longe major quam frumenti ſit copia, frumentum incolæ dactylis ſuis à Feſſanis aliisque

que populis permutant, aut precio emunt non parvo. Color cæruleus, qui *Endico* communiter appellatur, anilum tinctoribus neceſſarium, licumque, unde Africani precioſum illum ex candido rubentem colorem conficiunt, copioſe ex Darenſi regione ad exteros mittuntur. In utraque Daræ ripa, ac late circa ipſum amnem tanta palmarum frequentia eſt, ut fidem exuperet, quæ dactylos optimos, magnitudinis eximiæ producunt, ac ſeptennium ferentes.

Opes. Divitiæ incolis à dactylorum, camelorum, anilique, quod Feſſani Trimiſcenique mercatores avehunt, copia accedunt. Mauroci Reges, ad quos multæ Provinciæ hujus portiones pertinent, noſtris temporibus haud tenues ex iis reditus percipiunt.

Vires. Iidem plurima Darenſis regionis oppida firmiſſimis præſidiis inſtruxere, ut *Beniſabih*, *Quiteva*, *Texerin*, *Tigumedet*, quibuſdam etiam bellicis tormentis ad cohibendos qui deſerta incolunt Arabes, recipiendumque tanto ſecurius effoſſum è fodinis ſuis aurum munitis.

Regimen. Idem Rex maximæ hujus Provinciæ parti dominatur, portionesque ſingulas per Præfectos ſuos gubernat, locis reliquis in particularia dominia diſcerptis.

TAFILET, & YTATA. *Tafileta*, Regni titulo decora, quo Serifi utuntur, qui & Daræ regale ſibi nomen vendicant, *Nomen.* nomen accepit à capite ſuo; quod fabuloſo in loco in Zaharæ confinio poſitum. *Situs.* Regio ipſa Darenſi Provinciæ contermina eſt. Porro inter Zaharam ac prædictam metropolim, quæ valido circumcincta muro, arceque egregia munitior, amplius bis mille familias à Bereberis Africanis quos Filelis vocant, profectas complectitur, aditus eſt, quo pervia Atlantis juga redduntur.

Ytata Provincia, ejuſdem ferme cum Darenſi regione magnitudinis, ac propius ad Libyam accedens, Tafiletæ quædam portio eſt. Incolæ *Garib* dicti, non una ex gente compoſiti ſunt. Circum eos alii Bereberi incolunt, quos *Sicutana*, & *Etuazguib* nuncupant.

Soli qualitas. Tafiletæ ſolum inſigni quadam aſperitate montanum, producendo frumento ineptum eſt, dactylis ferendis, alendisque pecoribus benignius. Anilum quoque hic naſcitur, ad tingendos optimo colore cæruleo pannos aptiſſimum. Tafiletanis dactylis meliores vix in tota Numidia reperias. Incolæ gregibus omnis generis abundant, præcipua vero camelorum habenda ratio eſt ac equorum, qui corpore graciliores agilioresque precium ſui augent, ac dactylis ob avenæ & hordei inopiam aluntur. Ytatæ tractus omnis in feracia dactylorum palmeta diffunditur, nec aliarum præterea rerum fertilitate laudatus exiſtit.

Mores. Parcius ſordidiusque ob ſoli ſterilitatem victitant Tafiletani, quam ceteri per Numidiam populi; attamen induſtrii eſſe feruntur. Ytatani gens miſta, nec perfecte tenent Arabicum idioma, nec Zenetanum.

Opes. Multum argenti quotannis ad Tafiletanos redit ex anilo, corioque concinnato de pellibus ex Libya aliisque Numidiæ regionibus allatis, & feris, quas Artes appellant, detractis; ex linteis item textilibus, Maurico more acupictis.

Sugulmeſſa ſive *Segelmeſſa*, ab urbe ſua primaria SVGVLMESSA. nomen invenit, prætenditurque amni Ziz, ab *Nomen.* anguſtiis Gerſeluino vicinis in Auſtrum, ſpatio *Dimenſio.* centum ac viginti milliarium uſque ad deſerta Libyæ in latitudinem procurrens; in longitudinem vero à Darha regione ad Teſſetæ confinium exſpatians.

Segelmeſſa, ad Ziz amnem loco plano condi- *Loca.* tum oppidum, ſuperioribus temporibus valido celſoque muro conſpicuum, in vicina ditionis ſuæ oppidula migrare incolas ob malignitatem aëris coëgit, unde ruinæ ejus ſecutæ. Verum anno 1548, uti Grammayus perhibet, priſtinam dignitatem obtinuit.

Ceterum in ripa fluminis caſtella, ſi majoribus minora adnumeres, ſunt trecenta & quinquaginta, vicis propemodum innumerabilibus exiſtentibus. Ex his terni præcipui habentur, quorum primus *Teneghent* dictus, metropoli ſuæ proxime accedit, domos circiter mille complectens; alter eſt *Tebuhaſan*, à Teneghento octonis ferme Auſtrum verſus milliaribus disjunctus; tertius *Mamun*, vicus ingens, incolis frequens munitusque.

Solum dactylis fœcundum, perparum fru- *Soli qualitas.* menti producit; vehementiſſimi hic per æſtatem ardores ſunt, quarum vi pulvis excitatur, unde oculorum ulcerationes naſci, Leo exiſtimat. Iiſdem caloribus paulatim amnis ſicco fit alveo; quamobrem ſalſam aquam è puteis manu effoſſis hauſtam incolæ potant. Sugulmeſſanum cælum, hyberno tempore excepto, ſalubre eſt, quo nimia humiditate infectum diſtillationes generat, oculosque affligit; quæ tamen mala citiſſime ſanantur. Scorpiones per omnem regionem frequentes cernuntur; at pulicum expertes ſunt.

Incolarum animos vix ampla & præclara co- *Mores.* gitatio ingreditur; quidpe apud exteros degentes viliſſimis ſe miniſteriis mancipant. Tebuhaſanum floret mercatoribus extraneis, Iudæisque aut opificia tractantibus, aut exercentibus mercaturam. Porro dactylis præcipue victitant, & tenui illo quod ſolum ſuppeditat frumento. Incolæ Zenetani, Zanhagani Hacaranique ſunt generis. Major eorum pars ſectam Mahometis *Religio.* profitetur: ceteri aut Iudæi ſunt, aut artifices mercatoresque, qui lucri aviditate hæc loca incolunt.

Quenega provincia Ziz amni pleraque præten- QVENEG. ſeu QVENEN. ditur, eſtque Atlanticis jugis contermina. Tran- *Situs.* ſitus per eam anguſtus quadraginta milliarium ſpatio porrectus. Terna eadem loca habet memoratu digniora, quorum primum *Zehbel* dictum, editiſſimæ rupi inſiſtit, in ipſo anguſti meatus capite, qui Feſſam ac Sugulmeſſam interjacet. Alterum *Gaſtrir* ſeu *Gaſtir* appellatum, *Loca.* ac quindenis circiter à Zehbelo remotum milliaribus, locum qua mons quidam ſe molli declivitate in planitiem demittit, ſortitur. Tertium oppidum Tammaracroſt nuncupatum, ac vicenis à priore milliaribus Auſtrum verſus disjunctum, viæ regiæ prætexitur. Cetera loca aut caſtellorum, aut vicorum magaliorumque appellatione continentur. Caſtella duodenario ſunt numero, vicis vicenis & ſex extantibus.

Dacty-

Soli qualitas. Dactylorum feraciſſima hæc regio eſt, ſed notæ non optimæ. Fruges eadem avariſſimè largitur, modici hordei tantum miliique fœcunda, idque iis in locis, quæ anguſtiſſimo ſpatio flumen inter montiumque radices ſæpe non ultra jactum lapidis ſe explicant. Caprarum in ea greges multi viſuntur.

Mores. His paſcendis cuſtodiendisque incolæ totos ſe tradunt, per hyemem ſe ſubterraneis in cryptis ſive cavernis abdentes.

Opes. Qui ex illis aditum illum anguſtum Feſſam, inter ac Sugulmeſſam porrectum tenent, exacto à transeuntibus mercatoribus vectigali, non parvo ſupra modum locupletantur. Cuſtodes aditus Zehbelo ſub oppido excubant, quartamque centuſſis partem pro ſingulis camelis exigunt. Incolas reliquos ipſa ſoli aſperitas docuit pauperiem pati.

MATGARA. *Limites.* Quenegæ ſive Quenenæ à Meridie continuatur *Matgara*, extra prædictas anguſtias locata. *Loca.* Ziz amni multa prætexuntur caſtella muro concluſa, quorum principalius *Helel* dicitur, ſedes *Opes.* Principis. Is quotannis ex vectigalibus ſibi præſtandis redimit tricena aureorum nummûm millia.

Miles ejus ſi in cohortem, quam Caravanam vulgo appellant, incidat, nullo Principis ſui munitam ſalvo conductu, eum omnibus exuendi bonis poteſtatem habent.

RETEL ſeu ARRATAMA. *Retela,* Matgaræ contermina, itidem Ziz amnem, Meridiem verſus ſpatio milliarium quin- *Dimenſio.* quaginta, uſque ad Segelmeſſæ fines proſequi- *Limites.* tur. Ceterum ab Oriente inhabitatis quibuſdam montibus clauditur: ab Occaſu campis ſabuloſis deſertisque, in quibus venientes è Deſerto Arabes ſua ad tempus figere tentoria conſueverunt. *Loca.* Complura in hac regione circumdata muro loca ſunt, ac ingens prædiorum numerus.

Soli qualitas. Mores. Vres. Eadem dactylis abundat. Incolæ avaritiæ vitio peſſime laborant, tamque puſillo ſunt animo, ut centeni equites denis ſeſe Arabibus opponere formident.

Regimen. Iidem Arabum commodo agros exercent ſuos, à quibus velut dominis ſuis mancipiorum more habentur.

ESSVOAIHILA, HVMELEDEGI, & VMMELHESEN. Zerna haud procul ab Segelmeſſâ viſuntur oppidula, quorum ſingula peculiare conſtituunt Dominium. Primum *Eſſuoaihila* ſeu *Zuayhila* appellatur, oppidum exiguum, Segelmeſſano ab agro duodenis tantum verſus Meridiem remotum milliaribus, poſitumque in Deſerto. Vicinus eſt ei amnis *Zoz*, qui ſe Libyæ deſertis inſinuat. Alterum eſt *Humeledegi*, Segelmeſſâ octodecim diſtans milliaribus, in deſerto quoque locum ſortitum. Tertium *Vmmel-tzeſen* nuncupant, perexiguum oppidum, ab Arabibus in aſperrima ſolitudine, via qua Dara Segelmeſſam itur, conditum, qua ab urbe vicenis quinisque circiter milliaribus abeſt. Mœnia ejus lapide conſtant nigerrimo.

TEBELBELT. *Tebelbeltana* ſeu *Tabelbeltana* regio, umbilicum ferme deſerti Numidici tenet, ducentis circiter ab Atlante, ac centum verſus Meridiem Segelmeſſa milliaribus diſtans. Tria oppida habet *Situs.* frequenter inculta, vicos vero duodecim.

Magna hîc dactylorum copia eſt, aquarum autem ac carnium pecorinarum inopia. Harum loco incolæ cervina veſcuntur, & quas deplumati ſtruthiones ſuppeditant. Illi commercia quidem *Opes.* cum Nigritis exercent, nec tamen ex iis ditantur; Arabes quippe, quibus ſubjecti ſunt, fortu- *Regimen.* nas eorum perpetuo rodunt.

TODGA. *Todga*, regio non magna, ad cognomine flumen ſe explicat, quadraginta circiter verſus Ortum Segelmeſſa milliaribus. Oppidula ſeu ca- *Situs.* ſtella in ea quatuor ſunt, vici decem.

Soli qualitas. Mores. Opes. Affluit *Todga* dactylis, prunis armeniacis, ficubus, uvis, frumentoque. Incolæ plerique aut agricolæ ſunt, aut concinnatores coriorum. Ex iſta fertilitate ſoli laboribusque vix ullis incolæ divitiis augentur.

FARCALA. *Farcala* ſeu *Fercala* quoque amniculo cuidam prætenditur, centenis circiter ab Atlante Meri- *Situs.* diem verſus milliaribus. Vicos ea quinos habet, *Opes.* oppida vero terna.

Soli qualitas. Opes. Regimen. Frumentum modice fert regio hæc, dactylos ceterosque fructus multo abundantius. Incolit Farcalam gens prorſus egena. Eadem Arabibus ſubeſt.

TEZERIN. Nec Tezerina flumine caret, cujus ripas prona ſequatur. *Situs.* Situs ejus eſt ſexaginta ab Atlante milliaribus, & à Farcala tricenis. *Loca.* Oppidula complectitur Sena, vicos autem quindenos, ac duorum rudera oppidorum, quorum nomina ignota ſunt, in ipſo Tezerinæ vocabulo ab- *Nomen.* ſtruſa, quod Africana lingua civitates ſignificat.

Soli qualitas. Dactylis eadem, præcedentium Provinciarum inſtar, abundant.

BENIGVMI. *Benigumia*, amni Ghir accedit, centum ac quinquaginta verſus Ortum Hybernum Segel- *Situs.* meſſa milliaribus. Caſtella in ea tenuia octo, *Loca.* ac vici quindecim.

Soli qualitas. Opes. Et hoc loco dactyli affluunt; at incolæ opibus nequaquam abundant, qui ſe Feſſæ miniſteriis vilioribus addicunt, mercedemque ſeu precium laboris equorum emptioni impendunt, mercatoribusque deinde ad Nigritarum proficiſcentibus regionem divendunt.

MAZALIG, & ABVHINAN. In Numidiæ Deſerto, quinquaginta ab Segelmeſſa milliaribus in ripa Ghir amnis oppidula *Situs.* duo ſunt, alterum *Mazalig*, *Abuhinan* alterum vocitatum.

Soli qualitas. Ager utriusque fruges adeo nullas producit, ſed dactylos duntaxat; quamobrem miſerrimi incolæ ſunt.

Regimen. Dominantur oppidulis hiſce Arabes, à quibus eadem habitantur.

CASAYR. Eſt etiam in hoc tractu *Caſayr*, exiguum oppidum, quod Sanubius Segelmeſſæ regioni cum prædictis oppidulis attribuit.

Situs. Situm id in Numidiæ Deſerto tenet vicenis ab Atlante milliaribus. In agro ejus plumbum *Soli qualitas. Mores.* effoditur, antimoniumque ſeu ſtibium. Vtrique inveniendo incolæ occupantur, aliarum collectione rerum deſtituti. Metalla iſta Feſſam *Opes.* aſportant, ut redempta ex iis pecunia neceſſitatibus ſuis conſulant.

BENI BESSERI. Terrarum tractus, qui *Beni Beſſeri* dicitur, At- *Situs.* lanticis jugis ſubjacet. Concluſa in eo loca tria *Loca.* ſunt, & vici aliquot.

Soli qualitas. Idem fructuum ferax eſt, dactylis exceptis, frugibusque.

Opes. Ferrum hic effoditur, in quo præcipua incolarum opulentia conſiſtit. Huic eruendo è terræ viſceribus omnes occupantur, de eoque Segelmeſſanis provident.

Mores.

Regimen. Parent incolæ Dynaſtæ Dubduno, Arabibusque.

GVACHDA. *Guachdæ* regio ſeptuaginta verſus Meridiem

Situs. milliaribus Segelmeſſa abeſt. Oppida tria habet

Loca. Ghir amni appoſita, vicosque plures.

Soli qualitas. Naſcitur in ea frumenti modicum; dactylo-

Opes. rum felicior proventus eſt. Merces ſuas incolæ in Nigritarum regionem avehunt, quos tributarios Arabes ſibi fecere.

FIGHIA. *Fighia* tria caſtella continet, medio in Deſer-

Situs. to, centum ac quinquaginta verſus Ortum Segelmeſſâ milliaribus poſita.

Soli qualitas. Incredibilem hæc regio copiam dactylorum ſuppeditat.

Mores. Incolæ magnanimi ſunt; alii quippe apud Nigritas prudenter ſua commercia exercent; alii Feſſam ad mercaturam literarum proficiſcuntur, bonisque artibus imbuti in Numidiam redeunt, ubi ſacrorum curatores creantur; ut hac ratione divitiæ à pauciſſimis abſint. Fœminæ ex lana (Grammayus è lino aſſerit) tam tenues ſubtilesque pannos conficiunt, ut ſerica referant textilia.

TESEBIT. *Teſebit* ſeu *Teſevin* in Numidiæ Deſerto eſt, 250

Situs. verſus Ortum Segelmeſſa milliaribus, ab Atlante verò centum. Oppida tenet quatuor, vicos 28, in confinio Libyæ conſpicuos, via quæ Feſſa & Trimiſeno in Regnum Agadez deducit.

Opes. Præter dactylos, & hordei modicum, vix aliarum frugum fructuumque terra ferax eſt. Viros niger color infuſcat; Fœminæ vultu formoſo ſunt, ſed ſubnigro. Maximum incolarum malum eſt turpis in rebus egeſtas.

TEGORARIN. *Tegorarina*, quæ & *Taguriria* dicitur, ampla re-

Situs. gio eſt in Numidiæ Deſerto, à Teſebita verſus Ortum leucis quadragenis remota.

Loca. Caſtella in ea numerantur quinquaginta tria, & amplius centum ac triginta vici.

Soli qualitas. Omnis hæc regio mirifice dactylis affluit, quibuſdam etiam locis frumenti fertilibus, ſi ſolum rude aridumque puteali rigando aqua ſtercorandoque incolæ attemperent. Quamobrem gratuita apud eos equorum ac camelorum ad extraneos ſpectantium ſtabulatio eſt, ut ſimo potiantur. Carnes magno hîc precio venduntur, quod pecus alere ſoli ipſius nimia ſiccitas prohibeat; capræ tamen ad lacticinia adſunt. Ex adverſo aurum hinc exportatur, Tivar dictum; quod tamen ex Nigritarum allatum regione creditur.

Mores. Ceterum lacte victitant, carnibusque ab Arabibus coëmptis.

Opes. Divites eſſe feruntur, quod Nigritarum regionem commerciis ſuis frequentent.

MESZAB. *Meszab*, Numidici Deſerti regio eſt, Tegora-

Situs. rina trecentis circiter verſus Ortum milliaribus disjuncta, totidemque à Mediterraneo mari.

Loca. Caſtella ſex continet, vicos complures.

Opes. Incolæ prædivites ſunt, ex commercio, quod in Nigritarum regione exercent. Hucusque Algeriani Bugianique mercatores concedunt, ut cum Nigritis ex vicinia negotientur.

Subjecti ſunt Meszabani Arabibus, quibus tributum pendunt. *Regimen.*

TECORT. *Tecort*, *Tocort* & *Ticurt* Marmolio vocitata re- *Nomen.*

gio, Grammayo autem Ticart, à capite ſuo nomen accepit. Diſtat ea Algerio verſus Auſtrum *Situs.* leucis centum, ſeu, ut alii volunt, 150, Tegorarina ſexaginta ſex. Metropolis ejus pro veteri *Turaphylo* communiter accipitur. Illa in monte *Loca.* condita, in ſubterfluentem amnem modicum deſpectat, cujus utramque ripam pons verſatilis connectit. Murus eam quaquaverſum circumdat, parte illa excepta, quæ in montes obverſa, rupibus præcipitiisque defenditur. Ædificia ejus numero 2500, lapide ac laterculo conſtant. Circum urbem quadraginta caſtella, & centum ac quinquaginta vici ſpectantur, quorum aliqui quatridui itinere à ſua metropoli abſunt, quæ veluti centrum univerſæ Provinciæ obſidere videtur.

Soli qualitas. Dactylos ingenti copia Tecortanus ager producit; at frumentum deeſt, quod ex Conſtantina permutatum dactylis Arabes advehunt.

Mores. Liberaliter excipiunt exteros, ac ſæpenumero gratis, quos ea proſequuntur benevolentia, ut his ipſis malint quam popularibus filias in matrimonium elocare.

Opes. Dactylorum præſtantiſſimorum copia locupletat incolas, liberalitate opes eorum teſtante.

GVARLA. *Guarla* ſeu *Guerla*, Grammayo *Huerguela* dicta, *Nomen.* Marmolio *Guerpuelen* & *Guerguela*, Afris *Verquelen* *Limites.* indigetatur. Explicat ſe Terra hæc in Numidiæ Deſerta, qua id Regno Agadez accedit.

Loca. Nomen ei quæſitum ab unica urbe ſua, umbilicum Provinciæ obtinente. Ea pro veterum *Tamaica* vulgo accipitur.

Vicos hîc Grammayus numerat 120.

Soli qualitas. Laudatur hæc regio felici dactylorum productu; vituperanda rurſum, quod carnibus & frumento deſtituatur.

ZEB. *Zub* Provincia, olim regio Zebæ appellata, atque à Procopio apud Auraſium locata mon-

Situs. tem, per media Numidia Deſerta ſe porrigit.

Limites. Finibus includitur ab Oriente dactylorum regione, ſeu Biledulgerid, quæ Tunetano Tripolitanoque Regnis objacet; ab Occidente Meſſila; à Septentrionibus Bugiæ montium radicibus; & à Meridie ſolitudinibus quibuſdam, qua Techorta Guragalam verſus tenditur. Subſunt *Loca.* huic regioni oppida præcipua quinque, cum vaſto vicorum numero. Oppidorum nomina ſunt *Peſcara*, *Borgi*, *Nefta*, *Teolacha*, & *Deuſen*.

Peſcara vetus oppidum eſt, florente Romanorum potentia conditum, quod à Mahometanis dirutum, reſtauratum fuit deinceps, populisque frequentatum. Borgi, oppidum non ignobile, Peſcara verſus occaſum milliaribus abeſt quatuordecim, aut Grammayo autore viginti. Nefta ſeu Neſta oppidum eſt, ſeu potius regio quædam oppida, terna inſigni amplitudine complectens, ex quibus memorabilius illud, quod arcem habet, Leone ſuſpicante, à Romanis exſtructam. Diruta fuerunt hæc oppida, ut Grammayus refert, à Tunetanis anno 1515, quæ nunc magnis laboribus ſumptibusque reædificantur.

cantur. Leonis temporibus vicus unicus loca hæc omnia complectebatur. Teolachia, oppidum pervetus eſt, invalidis mœnibus circumdatum, juxta quod calidarum aquarum rivus decurrit. Deuſen, vetus quoque oppidum eſt, in Bugiæ Deſertique Numidici confinio, à Romanis conditum. Id cum Teolacha oppido ab adventantibus in Africam Arabibus deſtructum, à Barbaroſſa deinde piratarum principe flammis ferroque exciſum, hodie inſigni labore reparatur.

Soli qualitas. Gravis æſtus, ſolum arenoſum, ac nullis pene aquis riguum, incolis vehementer incommodant. Pauciſſima hic arva ſunt ſerendo frumento idonea, at dactylorum pleraque loca feracia exiſtunt. Peſcarenſes ſcorpionum infeſtat frequentia, qui ictu morſuve illico occidunt; quapropter incolæ relicto oppido ſuo æſtiva tempora in agris uſque ad Novembrem menſem conſumunt.

BILEDVLGERID. *Biledulgerid Beled-Elgerid*, quod nomen dactylorum regionem ſignificat, Provincia Numidiæ *Nomen.* eſt, quæ Tunetanum regnum verſus porrecta, *Limites.* ducto à finibus Peſcara initio, uſque ad dependentiarum inſulæ Gerbes confinium extenditur, ab Oriente ſe cum Cyrenaica conjungens: at mediterraneum mare, longiſſime ab uno latere hujus Provinciæ abeſt. Nam Teuſar & Caphſa, quæ duæ ejus portiones ſunt, trecentis ab hoc mari milliaribus in interiora recedunt.

Loca. Oppidorum nomina ſunt, *Teuſar*, *Caphſa*, & *Nefzaoa*. *Teuſar*, oppidum antiquitatem præ ſe ferens, in Deſerto Numidiæ ad tenue flumen quoddam, Meridionalibus montibus ortum, Romani condidere. Dividitur id in duas partes ſive regiones, altera ab Afris, ab Arabibus altera habitata. *Caphſa*, iiſdem conditoribus gaudens, arcem habet egregiam, cujus murus cubitorum viginti quinque altitudine eductus, latuſque quinos, quadrato lapide conſtat. Oppidum ipſum magnifice exſtructis templis reſplendet, in vias latas, atroque conſtratas lapide diſſectum. In medio fontes aliquot erumpunt, circumſtructo muro à publica via præcluſi, directique in quadrum latitudine, & profunditate notabili. Ad Nefzaoam quod attinet, non oppidum id unicum eſt, ſed tria potius caſtella, invalidis cincta mœnibus, quæ vicinitas connectit, & multitudo habitatorum frequentat.

Cæli ſolique qualitas. Aër. Subjacet Biledulgerida ardentibus caloribus, ut per æſtatem intolerabiles exiſtant. Caphſanum cœlum tam noxium eſt, ut adſiduis pene febribus incolæ jactentur. Teuſar amne ſuo rigatur. *Aqua.* Habet quidem Caphſa aquam, ſed calentem; adeo ut hauſta, primum horario, aut longiore intercedente ſpatio, ad temperiem ſit reducenda, antequam potabilis exiſtat.

Fructus. Solum hujus regionis ob nimiam ſiccitatem frugum eſt expers, dactylorum tamen eximie fertilis. Caphſanus ager dactylis oleisque abundat, quibus utrisque in aliis Provinciæ locis meliores non facile invenias. *Linum.* Idem linum magna copia producit, *Argilla.* largiturque argillam ad elegantia vaſcula conficienda aptiſſimam.

Mores. Teuſarani nullo negotio in partes diſcedunt; Capſani autem rebus novis ſtudentes, inquietos turbulentosque dies agunt.

Dactylorum Biledulgeridanorum ea bonitas *Opes. Mercatura.* eſt, copiaque, ut de illis provideatur omnibus, qui Tunetana littora incolunt: Teuſarani divites agris ſunt nummisque, ob frequentatas apud eos à Numidiæ Barbariæque mercatoribus nundinas; Caphſarios vero Nefzaoanosque paupertas habet, ob Tunetanorum Regum exactiones continuas.

Paret hæc regio Tripolim usque Tunetano *Regimen.* Regi ſive Præfecto Turcico; niſi quod Teuſar, diviſum interfluente amniculo oppidum, à parte una, *Farnaſa* dicta, indigenas habens Nobilesque, altera *Merdes* appellata, Arabes tenens, qui diripientibus oppidum Mahometanis hæſerunt, diſſidiis inteſtinis quoque ſecetur, ac Regum Tunetanorum excutiat jugum; à quibus tamen nonnunquam incolæ pœna affliguntur graviſſima. Caphſa ſuis omni ævo regulis paruit, at nunc Tunetanas habenas agnoſcit.

Tripolitanæ regioni, qua ea Barcano Deſer- TEORREGV. to accedit, *Teorregu* Provincia confinis eſt, in qua *Limites.* caſtella tria, ac viginti ſex pagi numerantur. *Loca.*

Et hic dactylorum copia, cui frumenti op- *Soli qualitas.* ponitur inopia.

Incolæ non argento ſolum auroque, ſed & ce- *Opes.* teris rebus neceſſariis carent, quod Deſerta tenentes, remotam ab omni commercio vitam degant.

Iaslitenſis Tractus, Mediterraneo mari IASLITEN. Caphſam inter Tripolimque appropinquans, *Situs.* ſpatio non magno ſe explicat, tricenos tantum *Loca.* vicos complectens.

Solum crebris palmis eſt conſitum, unde da- *Soli qualitas.* ctylorum vilis annona.

Incolæ mediocribus divitiis gaudent merca- *Opes.* turæ beneficio, quam ob maris viciniam cum Ægyptiis Siculisque exercent.

Gademez, tractu latiore diffuſa regio, trecen- GADEMEZ. tis verſus Auſtrum ab Interno mari abeſt milli- *Situs.* aribus. Continet ea caſtella ſedecim, quæ oppi- *Loca.* dula rectius indigetes, vicos autem nonaginta duos. Ceterum Gademez pro Ptolemæi Oaſide *Nomen vetus.* magna à nonnullis accipitur, qui Leonis deſcriptionem Africæ cum Ptolemæo contulere diligentius. Incolas *Oaſites* olim dixere.

Et hæc regio dactyliferis palmis luxuriat, fru- *Soli qualitas.* menti carniumque pene ignara. Incolis divitiæ ex commercio cum Nigritis acceſſere. Quon- *Regimen.* dam illi Tunetanis erant Regibus ſubjecti, aut eorum quos Tripolim mittebant Præfectis; at nunc excuſſo jugo plena libertate fruuntur.

Fazzena, in confinibus Agadez Deſertique Li- FAZZEN. byæ, Ægypto contermini, ingenti ſpatio por- *Limites.* rigitur, ſexaginta itineribus Cairo diſtans, ac caſtella 58, vicos autem centum complectens. In Deſerto unicus Lacus Augela incolis frequentatur.

Dactyli domi naſcuntur copioſe; at frumen- *Soli qualitas.* tum carnesque magna ex parte aliunde importantur; adeo ut camelinis ſæpe numero carnibus veſcantur.

Ob vicinum Regnum Agadez incolæ ſunt *Opes.* opulenti.

LIBYA,

LIBYA ſive ZAARA.

Nomen. GRæci à Libya Epaphi filii Iovis filia omnem Africæ regionem Libyæ fuerunt vocabulo complexi, quod deinde parti cuidam ejus proprium tribuerunt, quam bimembrem facientes, portionem alteram Libyam proprie dictam vocavere, alteram Libyam Interiorem dicentes, ob quam prior fortaſſis Exterioris deinde cognomentum invenit. Libya proprie dicta, illa pars Africæ fuit, quæ ab Alexandria urbe Cyrenen uſque, cujus in Barcana regione memini, porrigitur, & hæc eadem eſt, quam hoc nomine Ptolemæus indigetat; quamvis alii Libyam quam Exteriorem nuncupant, Deſertum *Delfocat* & Gaoga interpretentur. Libya Interior terminis à Ptolemæo includitur à Septentrione Mauritania utrâque, Africa proprie dicta, Cyrenaicaque; ab Oriente Marmaricæ parte, atque Æthiopia ſub Ægypto; à Meridie Æthiopia Interiore; ab occaſu Solis autem Oceano Atlantico.

Verum Libya hodierna, quæ Interioris partem conſtituit, non omnino cum Veteri convenit; nihilominus tamen quia recentiores eam illis terminis claudunt, intra quos contentum terrarum ſpatium hodie Libya appellatur, eorum nos doctrinæ ſubſcribimus.

Ceterum Libyæ vocabulum, ab Arabico *Lehib*, quod gravem æſtum ſive ardorem ſignificat, natum eſſe videtur. At hodie Regionem hanc *Zaharam*, *Zaaram* ſeu *Saram*, hoc eſt, Deſertum, ob vaſtas in ea ſolitudines indigetant.

Limites. Terminatur à Septentrionibus Numidiæ Deſertis, parteque Nun dependentis à Numidia regionis; ab Oriente Ægypto, Eloccat oppido, Regnoque Goaga; à Meridie Nigritarum regione; & ab Occaſu Oceano Atlantico, cui à Nun regione, quæ Biledulgerid ſive Numidiæ portio

Dimenſio. eſt, uſque ad Nigrum amnem, quo Mauri Albi diſcernuntur à Nigris, prætenditur; ſeu potius finitur à Septentrione centum circiter leucarum ſpatio Nigritarum regionis parte illa, quæ Nigro amne terminum accipit; & in Mediterraneis faſciæ inſtar ad Nilum uſque longiſſimo ſpatio procurrit.

Diviſio. Arabibus, qui per Libyam hanc permutatione paſcuorum vagantur, dividitur hodie pro diverſitate locorum in partes tres; arenoſa ſiquidem loca nulla herbeſcente viriditate diſtincta *Cehel* nuncupant; ſabuloſam ſive lapidoſam regionis partem *Zaara* dicunt; at quæ crebris paludibus diſſecta, herboſa alicubi, alibi arborifera conſpicitur, *Azgar* indigetatur.

Communiter autem Libya in denas Provincias ſive Deſerta tribuitur, quibuſdam in locis frequentata, ut in parte regionis Nun ad Libyam ſpectant, in Deſertis Zenega ſeu Zanaga, Tagaza, Zuenziga ſeu Terga, Lempta, Berdoa, Augela Serta, & Alguechet. Ceterum frequentiora incolis loca ſunt, quæ ad Senegam Nigri ramum accedunt, idque commerciorum cum Nigritis beneficio, quorum oppida complura ripæ prætenſa ſunt, quibuſdam etiam Borealem partem obſidentibus.

Eſt porro ea Libyci cæli ſalubritas, ut omne hic malum ordinarium temporis longinquitas minuat tollatque; quamobrem plurimi è Barbaria ægroti huc tanquam ad portum quendam recuperandæ valetudinis confugiunt. *Cœli ſolique qualitas. Aër.*

Aquarum in Libya tanta inopia eſt, ut alicubi putei tantum ſalſis plerique aquis referti exiſtant; alibi nullæ tractu ſex ſeptemque itinerum ſint aquæ, adeo ut mercatores Feſſa Tombatum, aut Trimiſeno è regno in regnum Agadez proficiſcentes incluſam caprina è pelle ſaccis aquam, camelorum dorſo impoſitam, ſecum aſportent. Sed nihil æque laboris tædiique plenum eſt, ac via illa, quæ Feſſa per Libyæ deſerta Cairum deducit. In hoc tamen itinere ingentis lacus, quem populi Cea & Gorhan circumſident, ripam longo tractu viantes ſequuntur. At via quæ Feſſa Tombutum mittit, puteos hinc inde offert, corio camelino introrſum obtectos, aut camelinis conſtructos oſſibus. Maximo autem ſe mercatores periculo committunt, ſi aliis anni temporibus quam hybernis hoc iter ingrediantur; tum enim ſæviens his in locis Auſter, congeſtis puteos arenis obruit ſic, ut nullum ad eos veſtigium hominis aut animalis appareat. Vnde fit, ut qui eorum inveniendorum ſe itineri dederunt, in via ſiti enecentur, relictis ſuis camelorumque oſſibus documenti loco. Verum ſolent nonnunquam ex camelorum, quos dierum duodecim aut quindecim ſpatio ſemel duntaxat bibere conſtat, occiſorum inteſtinis ad mortis malum vitandum aquam exprimere, quam parce bibant, donec in puteos incidant. Quædam tamen etiam hujus regionis partes in lacus ſe fundunt. *Aqua.*

Ceterum pleraque ſiticuloſa, ac magnis uſta ardoribus, arenisque obſita, parum habitabilis exiſtit. Pluviæ ubi in medium Auguſti incidunt, continuæ ſunt per inſequentes menſes ad Februarium uſque, herboſamque terram ac divitem aquis magno viantium commodo efficiunt: at ſi eo tempore cælum imbribus ſuperſedeat, gravia itinerantes incolæque ob ſiccum terræ ſqualorem incommoda patiantur neceſſe eſt. Montes quoſdam invenies, ſed ob ſiccitatem aſperitatemque ſoli fructiferis viduos arboribus, ac denſiſſimis vepretis obtectos. Fœcundiora loca tantum hordei feracia ſunt, reliquis inſigni ſterilitate arentibus. Dactyli tamen alicubi naſcuntur; ſed præcipua in incolentes utilitas à camelis redundat, unde lactis, ac carnium copia. Sunt item frequentes hic Struthiones, Aſimmainique, quorum in generali Africæ deſcriptione meminimus. Infeſtantur autem mirum in modum incolæ à feris, ſerpentibusque venenatis; cui malo aliud à locuſtis accedit, quæ tanta ſæpe multitudine advolant, ut denſæ nubis ſpeciem effingant. Antequam autem ad volatum conſurgant, ova ſua humi deponunt, è quibus volatus expertes locuſtæ gignuntur, multo ſuis matribus damnoſiores, ut pote quæ ipſas arborum radices arrodendo, difficillimam illis terris, quas pervadunt, annonam imprimunt, maxime vero utrique Mauritaniæ: Arabiæ quippe Deſertæ, Libyæque populi locuſtarum, quas *Iarat* vulgari vocabulo nuncupant, multitudine ferme in *Plantæ.* *Animalia.*

læti-

lætitiam ſolvuntur, cum eas in cumulum congeſtas condiant, ac futuris uſibus reſervent. Ceterum plaga iſta ab Arabia in Ægyptum, indeque per Libyæ deſerta in Numidiam, Barbariam, atque adeo in Hiſpaniam transmittitur, ubi hoc inſectorum genus, incredibiliter naſcentibus fructibus obeſt.

Habet etiam Tegaza Libyæ portio ſalem foſſilem.

Populi varii. Non una gens hanc Libyæ regionem incolit, eaque in populos quinque Africanæ originis tributa, Zanagas videlicet, Guanezeres ſeu Zerenzigas, Tergas, Lemptas & Berdoas. Horum aliqui *Habexi* ſive *Bereberi* aliunde appellati, indigenæ ſunt, paludoſa loca vicatim incolentes; alii cum gregibus ſuis per Deſerta vagantur, permutationi intenti. Reliqui Arabes ſunt, ſua catervatim tentoria circumvehentes.

Corporis diſpoſitio. Corpore ſunt populi hi macro gracilique, ac minus quam ceteri per Africam incolæ longævi eſſe feruntur: attamen ad ſexageſimum annum uſque firmam obtinent valetudinem. Feminis mammillæ ſunt grandes, conglobatior in clunes caro, pectusque carnoſum; at lumbi earum in decoram ſe gracilitatem coarctant. Ad colorem quod attinet, quo univerſum corpus perfuſum, is inter nigrum albumque medius eſt. Verum quidquid hac ex parte deeſt, hoc morum venuſtate, ac liberiore quodam agendi modo compenſant, dum manuum contactus, impreſſionesque ſuaviorum vi non ingrata admittunt.

At ſi Veneris ſecreta rimari te cupido incedit, cave tibi à maritis rivalibusque, quos nulla res æque ad cædem invitat.

Indoles. Proclives ſunt incolæ ad rem Veneream, nec fere ullam ſuæ vitæ regulam aut modum ſciunt. Eſt tamen magnum inter vagabundos, quos à gregum cura Paſtores merito adpelles, & quibus ſtabiles ſunt ſedes, diſcrimen; hi quippe virtutis quandam ſpeciem præ ſe ferunt, in exteros, ſuosque mites, affabiles, fideles, ac magnum animum gerentes. Ex adverſo Paſtores ad pecudum ingenium inclinant, nulla ſcientia imbuti, ad furta & latrocinia proni, homines ſine fide, in quibus exiguus amor parentum eſt, ac nulla pæne muliebris pudicitiæ cura.

Studia. Vita Paſtorum omnis, aut venandi labore, aut pravis actionibus, aut mutuo bello, aut pecudum per Deſerta paſtione, aut hoſtili abactione pecoris conſumitur; nec ultra triduum aut quatriduum iidem uno in loco conſiſtunt, quem deſerunt, ut primum animalia ſua paſtu recreata eſſe advertunt.

Ratio victus. Ceterum ſobrie vivunt, diuturnæ famis patientes. Panis ferme nullus apud eos eſt uſus, cum ex frugum genere ſolum hordeum, idque non omnibus in locis ſuppetat; quapropter dactylis veſcuntur, lacte, butyro & carnibus. Locuſtas quoque igne percoctas, aut ſiccatas ad ſolem, in cibum adhibent. Lacte non alio quam camelino utuntur, quod ſic ut è mammis exprimitur, matutinis temporibus largiore hauſtu potant.

Cultus. Porro nudi ſine caligis Paſtores incedunt, aliis verecundioribus exiguo panno laneo craſſe contexto nuditatem aliqua parte tegentibus; nonnulli etiam caput nigro linteamine redimunt, Perſici Turcicive galeri in modum. Nobiliores præſtantiæ ſuæ argumento utuntur induſio è goſſypio linoque coloris cærulei, manicis laxe circum brachia fluentibus. Decoram hanc veſtem obtinent ab advenientibus ex Nigritarum regione mercatoribus.

Arabes. Populos hoſce Numidasque inter, miſera quædam atque egena gens Arabum intercolit; at Libybus animoſior eſt. Illa ſilveſtribus aſinis, ſtruthionibus, aliisque animalibus vexandis ſe occupat, utiturque equis barbaris.

Lingua. Lingua Libyſſina cum ruditate atque aſperitate ſoli convenit, nihil terſum habens, nihil politum gratumque auribus.

Opes. Inter opes ſeu reditus annuos, quibus Domini hujus terrarum tractus fruuntur, non minimam ſibi partem vendicat vectigal mercibus pervehendis impoſitum; Cohortes quippe viantium, latronum metu congregatorum, quas communi atque uſitato vocabulo Caravanas nuncupant, frequentes Libyæ deſerta peragrant, tenenturque pro ſingulis camelorum dorſo impoſitis oneribus territorii, per quod transeunt, Domino pendere certum pannum quendam valore centuſſis; unde, ob transeuntium onuſtorum multitudinem camelorum, haud tenuis per annum cenſus componitur.

Vires. Adſidua venatio, uſitatæque excurſiones bello habiles incolas efficiunt. Verum, ut ego quidem autumo, non tam à Libyæ finibus hoſtilem vim potentia eorum ac bellandi dexteritas propulſant, quam ipſa regionis non invidenda egeſtas.

Regimen. Etſi autem populi Libyæ prope rationis legumque expertes vivant; ſinguli tamen Dominis ſuis parent, quorum ſumma in eos authoritas eſt. De juſtitiæ adminiſtratione quod eſt, vix in univerſo populo ob literarum ignorantiam unum aliquem invenias, ad cujus jurisdictionem læſi damnoque affecti confugiant. Adeo, ut ſi quis ad tutelam corporis, aut bonorum, implorandum ſibi Iudicem exiſtimet, nonnunquam ſex, vel ſeptem dierum iter ſuſcipere cogatur, antequam eundem inveniat; Iudices enim ob barbarum agendi modum ægerrime huic genti interſunt. Quod vero eoſdem ad habitandum in iſta hominum barbarie invitet, ſalarium eſt annuum, mille aureos nummos excedens.

Religio. Mahometicæ ſunt omnes, ut extrinſecus apparet, ſuperſtitioni addicti; at ſi penitius mores eorum inſpicias, ab omni eos cultu divinitatis remotiſſimos fatebere.

NVN, & ZANHAGA ſeu ZENEGA.

Nomen. Quod Deſertum Leoni Sanutioque *Zanhaga* dicitur, *Zenega* nomen invenit, ſeu *Deſerti Zenegarum*, teſte Marmolio. Prætenditur id Oceano Atlantico, à ſqualenti regione Nun (cujus pars altera ad Libyam ſpectat, altera Numidiæ propria, & quæ aliquibus in locis incolitur) ad Senegam uſque flumen, qui Nigrorum regionem ab Alborum diſtinguit. *Limites.* Limitibus includitur à Septentrione regionibus Nun, & Dara; ab Oriente Deſerto Tegaza; à Meridie Benays Gelofisque, ac Regnis Gualata, Geneva, Melli, & Tombuti; ab Occaſu verò Oceano Atlantico.

Loca. In littore, leucis à promontorio Nun 60, Bogiador

giador promontorium conſpicitur, quod olim dictum fuit Mons Solis, ſecundum nonnullos, ſecundum alios vero promontorium Ganaria; Mercatore autore Promontorium *Arſinatium*. Ceterum *Bojador* vocabulum Luſitanica lingua promontorium convertens ſignificat, quod Promontorium hoc quemadmodum arcus in modum ſe curvat, ita terra quoque, à qua ſolvitur, hemicyclum ſuum objiciat. Luſitanis quondam ulterior periculoſa viſa eſt navigatio, quod decurrens humilia per loca cum impetu aqua, ebullire videatur; donec Gilius Yaneſius Luſitanus mandato Henrici Regis Africanam ſuſcipiens expeditionem, periculoſum hunc ſuſpicione locum feliciter evaſit, nomenque ei, quod etiamnum retinet, anno 1433 impoſuit.

Proſequenti verſus Meridiem littus, tricenis à dicto Promontorio leucis, terrarum tractus occurrit, quem *Angra de los Ruivos*, ab avium iſtius appellationis copia, Luſitani cognominant; denis hinc leucis eſt *Angro dos Cavalleros*; duodenis vero ulterius leucis influens in Oceanum amnis viſitur, ex mediterraneis longo curſu profectus, appellatusque Portugallis *Rio do Ouro*, hoc eſt, flumen aureum, appellatione inde tracta, quod incolæ hoc loco captos quoſdam è ſuis Tibarano auro dato, quod primum fuit ex his partibus Portugalliæ illatum, redemerint. Iterum duodenis progredienti leucis in conſpectu eſt terrarum ſpatium *Angra de Gonzalo de Sintra* vocitatum; tum *Porto Cavallero*, & vicenis ultra hunc portum leucis *Capo Blanco*, ſeu promontorium Album, quod anno 1441 Nunnus Triſtanus Antoniusque Gonzalezius primi invenerunt.

Littus Anterotanum. Ab hoc Promontorio *Littoris Anterotani*, ut Sanctius refert, initium eſt, qui illud ad Senegam amnem uſque protendit, cognominatumque aſſerit ab oppidulo quodam ſuo mari appoſito.

Iuxta Promontorium littus ſenſim Arguinum in Sinum curvatur, ab inſula quadam ſua appellatum, & ob brevia ſcopulosque periculoſum. Duodecim ab altera Promontorii parte leucis extantes in Sinu inſulæ, ſeu potius ſcopuli, ſeptenario numero cernuntur, quibus ſingulis peculiaria quondam nomina fuere, at excitato in una earum anno 1443 ab Alphonſo Portugalliæ rege munimento *Arguin* dicto, ad unum omnes communi hoc nomine vocitantur. Ceterum nomina inſularum iſta recenſentur: *Inſula Alba*, Portugallis *Branca* dicta, à ſabuloſo ejus ſolo; *Inſula Coriacca*, incolis *Adeger* appellata, & ſeptem aut octo à continenti milliaribus remota; *Ilheo*, ſeu *Inſula Parva*, aliter *Inſula de las Garzas*, ſeu *Ardearum*, quibus redux in patriam Nunnus Triſtanus naves duas enervavit, exiguo à Continenti ſpatio disjuncta; *Nar*, & *Tider*, inſulæ parvæ; atque Arguin inſula. Præter has, plures aliæ ſunt, prope accedentes ad littus, à quo leucarum quinque aut ſex ſpatio, ob vadoſa in mari loca, Brevia Arguinia dicta, navibus recedendum eſt.

Deſertum AZOAT. Deſertum *Azoat* Zanhagano continetur Deſerto, cui ob ſiccam ſterilitatem id nominis eſt inditum. Extenditur illud à puteo Azoat ad Azoan puteum Tombuto vicinum, tractu leucarum quinquaginta. Duo hic ſepulchra viſuntur certo quodam è lapide conſtructa, quibus inciſæ litteræ teſtantur duos in iis homines conditos fuiſſe, quorum alter prædives mercator, immodica ſiti preſſus, poculum aqua refertum, cum aduſta viſcera ſanare aliter non poſſet, à quodam vellaturam faciente, denis aureorum nummûm millibus emit; & tamen uterque in hoc Deſerto ſiti confectus eſt.

Soli qualitas. Deſertum Zanhaga, ſiccum, arenoſum, maximeque Solis ſubjectum ardoribus, aquam habet duntaxat per centenorum intervalla milliarium, amaram ſalſamque, atque eam profundis in puteis; *Aquæ.* Azoadano Deſerto unicum tantum puteum cognominem habente, nec niſi rariſſimè humectato imbribus. Omne hujus Deſerti ſolum ſabuloſum eſt, ac ab omni feracitate alienum. Huc accedit ſumma terræ planities, quæ inveniendarum difficultatem viarum inducit; quamobrem viantes à ventis ſtellisve itineris ſui directionem aliqualem accipiant neceſſe eſt. Nonnunquam vultures, cornices, & his ſimiles aves, quæ relictis itinerantium ſordibus paſcuntur, impreſſis arenæ veſtigiis docent, quam viam mercatorum & viantium catervæ tenuerint. Et tamen aves iſtæ ultra octiduum ob ſoli ſterilitatem uno in loco morari non poſſunt.

Fruges. Creſcit hic certa frumenti ſpecies panico non abſimilis, ſponte, nullo ſemine prævio, ſubnaſcens; qui autem Senegæ amni conjunctiores ſunt, hordeum habent dactylosque. *Animalia.* Animalia frequentiora apud eos ſunt capræ, cameli, & quædam alia, præter Gazelas, domeſtica.

Populi. Incolunt Deſertum hoc populi Berbexi, Luday, Duleyni, Zenegæ ſeu Zanagæ, quos cum Cadamoſto Sanutius *Azanegas* appellat; atque Arabum quædam catervæ ex alieno viventium; aliquando etiam Arabes Beni-Amirani, licet Nun inter & Tagoſt oppidum remotius incolant, ſuis excurſionibus hunc tractum terrarum infeſtant.

TEGAZA. *Nomen.* Deſertum *Zegazas*, quod vocabulum locum onerarium ſignificat, quod inde multa ſalis onera avehantur, incolis frequens ab Oriente Za- *Limites.* nagis conjunctum eſt, à loco ſuo præcipuo nominis appellatione ſuſcepta. *Loca.* Id ſalinis celebre, candidiſſimo marmori ſimillimum ſalem ſuppeditat. Circum ſalinas humilia tecta exſtructa, effoſſorum aliorumque operariorum receptacula. Per æſtatem certus quidam à Meridie flat ventus, cujus maligna vi plurimis viſus adimitur; adeo ut hoc in loco habitare moleſtum periculoſumque ſit, eam præcipue ob cauſam, quod dulcium defectu aquarum, ſalſis acquieſcere oporteat.

Opes. Prædictum ſalem non incolæ, ſed exteri catervatim huc proficiſcentes effodiunt, eundem tamdiu cuſtodientes, donec caravana quædam ſive caterva tranſeat, quæ coëmptum aſportet Tombutum, ubi difficilis ejus annona eſt. His vero operariis Tombuto aut Dara, quæ loca hinc, compendio licet itineris facto, ducentis abſunt leucis, ob ſterilitatem late circumjacentis agri, vitæ tolerandæ afferenda ſunt media, adeoque aqua ipſa in potum adhibenda. Darenſes Tibaranum hinc aurum avehunt, quod ſalis beneficio Tombuto extractum, Taragalelum mittitur, atque inde Maurocum.

Deſer-

ZVENZIGA. *Limites.*

Deſertum *Zuenziga*, ab Occidente continuatur Tegazæ Deſerto; ab Oriente Deſerto Hair; à Septentrione Sugulmeſſæ, Tebeltæ & Benihorai Deſertis; & à Meridie Deſerto Guir, Regno Huber, quod in Nigritarum regione eſt, contermino.

GOGDEN.

Deſertum *Gogden*, Deſerto Zuenzigæ innectitur. Deſerti Zuenzigæ incolæ duobus, Guanezeris & Zuenzigas, nominibus differunt. Mercatores Trimiſeno è regno negotiationis cauſa concedentes Tombutum ad oppidum, Regnumque Yça, utrumque Deſertum peragrant.

Soli qualitas. *Aqua.*

Zuenziganum Deſertum Zanagano & ſiccius eſt, & itinerantibus tædioſius. Qui Trimiſena ab urbe Tombutum cogitant, id tranſeunt; at tam humana, quam animalium corpora intolerabilis in via ſitis ſæpiſſime opprimit: Gogdenſe Deſertum par ſiccitas affligit; id quidpe nullum aquæ genus viantibus per dies novem ſuppeditat, niſi forte pluviæ alicubi paludoſo in loco conſederint, è quo hauſtam aquam camelis imponant, reliqui itineris futurum ſolatium.

Fructus.

Qua Zuenziga Numidiæ accedit, dactylifera palmeta complectitur.

HAIR, ſeu TARGA. *Nomen.* *Limites.*

Deſertum *Hair*, alio nomine *Targa* vocatum, quod quidam Africæ populus *Terga* dictus, id ipſum inſideat, Hair autem à loco ſuo incolis frequente, terminatur ab Occaſu Zuenziga Deſerto; ab Ortu Deſerto Yguid; à Septentrionibus Tuat, Tiguirin, & Mezzeb Numidiæ Deſertis; à Meridie vero vicinis Regno, quod ad Nigritarum regionem ſpectat, Deſertis. Patet id quibuſdam in locis latitudine ſua, à Numidiæ finibus ad Nigritarum regionem uſque.

Dimenſio.

Soli qualitas.

Deſertum hoc cœli temperies commendat, unde herbarum ſeu graminis copia exiſtit. Idem minori ſiccitate laborat quam Zanaganum Zuenziganumque Deſerta; puteos enim habet potabili aqua inſtructos, ſed profundos, præſertim in Zuenzigæ confinio; qua vero ſe verſus Agadez Regnum extendit, incolæ bene mane manna colligunt, inque oppidum Agadez deinde venale important, ubi Nigritæ id velut rem omnino ſalutarem potui ciboque admiſcent; unde contingit, extraneos Agadezii rarius ægrotare quam Tombuti, quanquam hoc oppidum aër peſtilens circumſtet.

Opes.

IGVIDI, ſeu LEMPTA. *Nomen.*

Iguidi Deſertum à loco ſuo habitatoribus frequentato ſic dictum, ab incolarum nomine quoque Lempta vocitatur.

Limites.

Terminos habet ab Occidente Hair Deſerto; ab Oriente Deſerto Bardoa; à Septentrione Tecort, Guerguela & Gamadez Numidiæ Deſertis; à Meridie vero clauditur objacentibus Cano Nigritarum Regno Deſertis. Interjacet autem huic Deſerto & Segulmeſſæ Morabitinorum ſeu Morabitarum regio, quos Almoravidas multi autores appellant.

Soli qualitas.

Lemptanum Deſertum non modo ardente ſiccitate torretur, ſed etiam è Conſtantina in Nigritarum regionem tendentibus mercatoribus periculoſum exiſtit.

BERDOA. *Limites.*

Berdoa Deſertum ab Occidente Iguidi Deſerto clauditur; ab Ortu Deſerto Augela; à Septentrione Fezzam Numidiæ, Barcæque Deſertis; à Meridie verò Deſerto, quod Borno Nigritarum Regno vicinum eſt.

Loca.

Leucis à Nilo centum & octoginta, oppidula terna mœnibus circumcincta tenet, vicosque ſenos.

Soli qualitas.

Et per hoc Deſertum moleſta eſt ob ſiccitatem, ac periculoſa ob latrocinia profectio, Gademeziis Numidiæ populis exceptis, qui Berdoanorum amici ſunt.

Quæ incolas habent loca, minime ſunt aquarum expertia, ac circumpoſiti agri dactylis præſtantibus abundant.

AVGELA. *Nomen.*

Augela Deſertum, quod Augilorum forſan, de quibus Mela, regio eſt, terminos ab Occidente ſortitur Berdoa Deſertum; à Septentrione Deſertis Barcæ Marmariæque, faſciæ in modum uſque ad Internum mare contra Syrtes porrectis; & ab ortu Solis Deſertis Leveticis, quorum tractus Nilum uſque pertingit.

Loca.

Oppida mœnibus cincta complectitur tria, & compluria loca nullo muro concluſa, ducentis circiter leucis à Nilo amne diſtantia.

Soli qualitas.

Regio hæc dactylifera eſt, at frumento caret, de quo Arabes provident incolis, dactylis optimis advectum permutando frumentum. Crebri hic viantibus ſerpentes ſunt obvii, quorum venena Leveti, Africæ gens Augelis permiſta, ſuâ tollunt ſalivâ.

SERTA & ALGVECHET. *Limites.*

Serta Deſertum à quinis aliis præcipuis disjunctum, terminatur Augela ab Occidente, à Meridie Gaoga Regno; & ab Oriente Ægypto.

Loca.

Extant hic ruinæ oppidi ingentis, quod Sertæ vocabulo indigetant.

Quadragenis ab Ægypto leucis, à Serta Meridiem verſus abeunti *Alguechet* regio conſpicitur, in qua oppida tria ſunt, pluresque vici, ac dactyliferorum frequentia palmetorum.

ABISSINORVM IMPERIVM.

Biſsinorum Imperium, cui Abiſſinorum Rex imperat, Presbyter ſive Pretioſus Ioannes, vulgo *Prete Gianni*, magno, ut infra latius patebit, errore vocatus, Superiorem ſive Interiorem Æthiopiam, regionem Cinnamomiferam, partemque Arabiæ Troglodyticæ, ac Interioris Libyæ complectitur. Quidam ſuperiorum temporum ſcriptores hoc terrarum ſpatium *Indiam Mediam* dixere, ad Majoris Indiæ, Minorisque differentiam, nec ſine cauſſa fortaſſe; cum celebratus autor Sinum Arabicum maris Indici nomine appellet. Veruntamen Marcus Paulus aſſerit, vaſtiſſimum hunc tractum terrarum propriiſſime *Abaſiam* vocari. Recentior ætas Abiſſinorum Imperium Regna *Abixinorum* ſeu *Abexinorum* nuncupat, quibuſdam omnem regionem uno *Habaxiæ*, aliis *Habas*, & cum articulo Arabico *Elhabas* vocabulo comprehendentibus. Alii tamen ab Arabico vocabulo *Elhabaſchi* (ſic enim Mauri Principem Abiſſinorum indigetant) vulgo factum opinantur *Abaſſi*, ac deinde *Abaſſeni*: quod denique commutatione vocalium in Abiſſinorum nomen evaſit. Ceterum Abaſenos populos recenſet Stephanus in Arabia, quos trajecto ſinu Arabico commigraſſe in Africam, ac huic tractui nomen impoſuiſſe de ſuo, veriſimile eſt. Notandum autem in Abexinorum Habaxiæque apud Marmolium nominibus X literam Hiſpanis eo pronuntiari modo, quo Galli ſuum Ch, & Germani Sch exprimunt. Luſitani in hanc diem uſque populos Habaxiæ *Cuſſios* vocant, à Chus forſitan, quem Chami conſtat filium fuiſſe; alii vero Indos Auſtrales ſive Meridionales eoſdem appellant, hoc nomine ab Orientalibus Occidentalibusque quos America habet, Indis diſtinguentes, aut ſolitario *Indorum* vocabulo ſignant.

Nomen.

Limites. Clauditur Abiſſinorum regio à Septentrionibus Bugiorum terra Ægypto contermina, Nubiaque; ab Occidente eadem Nubiæ regione ad Canfilæ, Dafilæ, Meroësque inſulæ confines, Medræ, Nigritarum, ac Congi regnis, ac, Marmolio autore, Iudæorum in regione Nigritarum regno Abiſſinis parente, ut infra conſtabit, regnoque Amazonum inter Abahuy & Tagaz amnes, quod Sanutio referente, Damut regno confine eſt; à Meridie Benomotapæ, ac ſecundum Pigafettum, Monæmugi Imperiis; ab Oriente regionibus Ajana & Zangebara, regnoque Adel atque aliis, nec non Arabico ſinu, cujus tamen portus in Turcarum ſeu Mahometanorum ſunt poteſtate, montium quorundam, quos Nilum inter ac mare Rubrum locati, & cum Barnagaſſi Tigremalonisque populis adſiduum fere bellum gerentes Mahometani incolunt, veluti catena quadam Abiſſinorum regionem à prædicto mari ſubmovente.

Sed obſervatione notandum eſt, huic vaſtiſſimo tractui terrarum miſceri ſive innecti regiones complures, ab Abiſſinorum Imperio alienas, quarum, ut minus eſſent obſcuri minusque confuſi limites, enumeratione ſuperſedimus; ad eum modum, quo, omiſſa regione interpoſita, mare Rubrum, ut notiorem ab ortu terminum aſſignavimus.

Regiones Abiſſinorum comprehenſæ Imperio. Regnorum ad Abiſſinorum ſpectantium Imperium Vrretus longum, ſed contra veritatem pugnantem catalogum exhibet; cum multa Abiſſinis prodige det regna (ut & ipſam D. Laurentii inſulam, quæ Madagaſcar incolis dicitur) quæ aliorum regum parent imperio. At Iarricus Codignusque, ab Luſitanis, quos Abaſſia habet, rem perdocti, commemorant veterem Abiſſinorum ditionem Regna ſex & vicena complecti, in quatuordecim diſtincta Provincias. Ex his octo prima juxta Suaquen tractus ſui ducentia initium, verſus occaſum porriguntur eo ordine:

Tigrai R. Primum *Tigrai* regnum eſt, quod etiam *Tigré*, & *Tigremahon* vocant, continetque Provincias ſive regiones ſeptendecim, quarum Borealior Ægyptoque vicinior, Barnagaſſo dicitur, à multis regni decorata titulo, quod peculiari gaudeat Præfecto. Sanutius quoque poſt Alvarum ſive Alvarezium ſeparatum in hac Tigrai parte, proxime ad Arabicum accedente ſinum, Regnum conſtituit, terminos ei ab Septentrionibus tribuens Bugiam, Nubiamque; ab Occaſu Nilum amnem (cui Nubiæ regionem conterminam recte addidiſſet) à Meridie Marabonem flumen montesque vicinos in finibus Tigremahon regionis conſpicuos; ab Oriente ſinu Arabico. Compertum autem ex Iarrico, relationeque Abiſſinorum habemus, Barnagas Regni Tigrai portionem duntaxat eſſe, quod in Aquilonem procurrens, Ægypto (ſeu Bugiæ Nubiæque) accedit, ab occaſu Dangali terminatum regno, continetque Septentrionaliorem Barnagaſſi partem, quod nomen quidem dominatorem ſeu regem Maris ſignificat: inconveniens tamen eſt nunc; cum nullum Barnagaſſo ſit in Mare dominium. In Barnagaſſo prope Ægyptum, confiniisque Bugiæ ac Nubiæ ſunt *Canfila* & *Dafila* regiones; inque Dafila *Emacen* oppidum, Barua ſeſqui dierum itinere, Suaqueno autem quinquagenis leucis remotum. *Suagen*, *Mazua*, *Arquico*, & *Dalaca* quondam Barnagaſſi loca fuere, at nunc ea Turcarum in ditione ſunt. Eodem tractu *Cire*, *Xameta* ſeu *Chumeta*, non

Barnagaſſo.

con-

contemnendæ Præfecturæ, quemadmodum quoque *Cervil*, *Xumeta*, & Araziæ regio in ternas Præfecturas divisa, occurrunt. *S. Michaël* ab Iseo, famigeratum Monasterium, Arquico quindenis abest milliaribus, vicenis autem & quatuor Monasterium *Bizan*. Verum Barnagassi caput est *Debaroa*, quibusdam Abissinis *Dubaroa* vocitata, Sanutio vero Maffæoque *Baroa* seu *Barua*. Elegans oppidum, Marabonis in ripa sedes, acceptum communiter pro Ptolemæi *Colova*, sive *Coloé* Arriani. Præcipua seu magnificentiora id palatia Regis continet, ac templa duo, alterum D. Michaëli archangelo, alterum sanctis Petro Pauloque Apostolis dicatum. Circumsident castella complura vicique, scilicet Camarva & Barra, &c. Complectitur etiam Barnagasso regionem *Burre*, Æthiopibus *Bur* appellatam, quondam Reginæ.

Barnagasso Sanutius Tigremahon regnum conjungit, cui limites dat à Septentrione Marabonem amnem; Nilum ab Occidente; qua medius dies est, Angotæ regnum; & qua sol oritur, mare Erythræum. Idem Tigrai regno Tigremahon includit; cum tamen hoc ab illo nomen suum mutuetur. Iesuitarum ex Æthiopia transmissæ litteræ hoc in regno Præfecturam sive regionem Sire memorant, quæ cum Ciré Barnagassi, cujus paulo ante meminimus, una eademque regio est: in littore vero Arabico Provincias *Amasens*, & *Agamea*, gentibus quibusdam Abyssinorum liberis imperio habitatas recensent, nec procul hinc Proregis sedem, Areamque, urbem olim amplam, ac Reginæ Sabæ regiam, cujus ingentes adhuc ruinæ extant, interque Adagadam & Massuam montium Deserta quædam, è quibus facile in subjectum mare Rubrum imperium, denique *Monasterium Bizant* seu *de la Visione*, quo vix aliud reperias tota Æthiopia celebrius. Eædem litteræ oppidi Tigre meminerunt, arcis *Gileytor* Reginæ Tigremahon custodia notissimæ, Fremonæ oppidi cum arce, incolis *Framone* dicti, quem locum, ut Iarricus refert, Lusitani insident, ac Iesuitæ collegio ornarunt, qui in oppidis Agada & Siraal sedem quoque fixerunt, & Tacaseni amnis, Tigræ regnum à ceteris Australibus regnis submoventis.

Reliqua loca clariora sunt *Caxumo*, olim *Auxumo*, Reginæ Sabæ, quam 2 Reg. cap 10. legimus ad Salomonem fuisse profectam, sedes ordinaria, quam urbem septendecim illustrant pyramides, ac templa tria, S. Michaëlis scilicet, templum Abbaticanos dictum, & quod à Pantaleone Abbate cognominatur, singula in positis circum urbem montibus eminentia. Regnum *Sabain* itidem Tigray portio est, in quo cognominis metropolis Reginæ Sabæ nomen indidit. Spectat eodem Taratæ regio, Septentrionalem Caxumi partem tenens, in qua Monasteria duo, alterum *Alleluja*, alterum *Abbagarima*, quod litteræ ex Æthiopia tantopere commendant; tum *Angeba* oppidum, Regio conspicuum palatio, quod solius Proregis habitationi est comparatum; deinde *Agro* itidem Regio palatio visendum.

Sabain R.

Balgada quoque Tigray portio haud exigua est, ingenti versus mare Rubrum tractu porrecta, & *Balgada Robel* alio appellata nomine. In finibus regni Tigray Gallorum regio, cui vastissimus campus Azabo adhæret, quem iidem populi tenent; quos tamen prope Adeam locant. *Gallorum regio.*

Tigray regno regnum *Bañgali* continuatur, terminos habens ab Ortu sinum Arabicum, regionemque Adel; ab Occasu Balgadam Tigray partem; à Meridie Dobas regni Angotæ provinciam; & à Septentrione prædictum sinum Arabicum. Habet hoc regnum memorabilia quædam loca, quorum primum est *Vella*, quæ, ut ego quidem suspicor, *Leila* potius appellanda est, urbs portu ad mare Rubrum clara, quam litteræ Æthiopicæ anni 1617 Abissinorum sociis attribuunt. Atque hoc loco missi pro Æthiopia sacerdotes exponi solebant in terram. Nam etsi Dangali rex olim, uti cum Sanutio plures alii memorant, cum Abissinorum rege inimicitias gesserit; nunc tamen non solum Godigno Iarricoque, sed ipsis etiam Abissinis testibus, ille hunc tributi pensione agnoscit. *Bangali R.*

Corcora quoque haud ignobile est regionis hujus oppidum, palatio temploque insigne, cui ab Oriente amplum illud, divesque Monasterium *Nazareth* dictum, adjacet. Sequitur deinde *Manadeli*, mille foculorum oppidum, incolis frequentissimum.

Tigray regno ab Oriente regnum Angotæ accedit, quod ab eadem plaga secundum Sanutium Dobas, Æthiopicam gentem, conterminos habet; clausum à Septentrionibus, eodem Sanutio autore, prædicto Tigray regno juxta Sabaletum amnem; & à Meridie Amara regno. In præcipuis locorum est *Dofarso*, compositum ex mille ædificiis oppidum, Tigray regno vicinum; tum *Corcora*, cognomento Angotæ, ut à Corcora Tigray discernas. Pars regni est Abugana regio, tricenis Barna itineribus distans, quæ templum illud celeberrimum Imbra Christos vocitatum, cum pluribus aliis complectitur. *Angota R.*

Quartum ex ordine regnum *Boa* seu secundum Iarricum *Xoa* appellatur; quintum vero *Amara* seu Abissinorum more *Ammaara* dicitur, à Septentrionibus limitatum lacu quodam in Angotæ confinio, in quo Insula S. Stephani decora nomine, monteque Amara; ab Oriente Xoa regno per portas quasdam Aquifagi dictas, inque montibus exstructas; à Meridie vallibus montibusque simiarum; ab Occasu verò locis Nilo amni vicinis. Regno huic *Azzel* oppidum tribuitur, duos inter amnes colli impositum, distansque à S. Stephani lacu itinere bidui. Ibidem *Simiarum* sunt montes, asperitate ac præcipitiis infames, cum profundis vallibus, in Occidentem Nilum usque protractis; *Portæ Aquifagi*, hoc est, mons Asinorum, quæ duabus interjectæ vallibus rupi inciſæ, introitum exitumque præbent angustum; Portæ mediæ inter Aquifagi & Badabassæ Portas, novem ab Aquifagi Portis milliaribus, ternisque ab Anacheté amne; tum Portæ *Badabassa* (quod vocabulum regionem novam significat) ab Aquifagi Portis quindecim, & à Mediis sex remotæ milliaribus; & juxta *Boa seu Xoa R.* *Amara R.*

Balgada.

ARABIÆ PARS

Sub Tropico Cancri.

Sub Tropico Cancri.

Septentrio.

Occidens.

Oriens.

Sub Circulo Æquinoctiali

Linea Æquinoctialis.

MARE RVBRVM Turcis OLIM SINVS ARABICVS

MARE DE MECCA

AGADES REGNVM.

GVANGARA REGNVM.

BORNO.

GAOGA.

NVBIA REGNVM olim Christianorum, hodie fere nullam religionem colit, Regio est auro abundans, atque Ebore saccaro et frumenti feracissima, praecipua urbs est Dangali domus crebacea.

Desertum Leu.

GORHANI.

Gar Gheere.

Rio Niger fluvius se subter terram condens post 60 milliaria denuo in lacum emergit.

BIAFARA REGNVM.

MEDRA.

Ambiancantiva

Bagamidri

Tigrai

Vangue.

Belegu anze

Agoas populi

Tigre mahon.

Tigre

Barnagasso.

Ganfila.

Dafila.

Amamir.

Bello.

Angote.

Fatigar.

Olabi reg.

Baru

Amara.

Dangali.

Dobas.

Balli

Adel.

Doara

Magadoxo.

Fatiga.

Barbaricus Sinus

OCEANVS

INFERIOR SIVE MERIDIONALIS PARS.

Milliaria Germanica communia

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

C. de Lopo Gonsalves

ÆTHIOPIA OCEANI

ÆTHIOPICI

INFERIORIS

PARS.

REGNVM.

ETHICONGO

S. Salvador

I. Loanda

S. Paulo de Loanda

Zaire lacus.

Zembre lacus.

Zaflan lacus.

Reg. Damute

Ambian.

Agag

Nova

Quara

Fungi.

Gavi

Gasabela.

Gorga

Quiloa

Sibit

Tirut.

Zet.

Matama.

Malemba.

Bagametro.

Lunæ montes.

Meridies

Mozambique.

ORIENTALIS.

ÆTHIOPIA SVPERIOR vel INTERIOR; vulgo ABISSINORVM sive PRESBITERI IOANNIS IMPERIVM.

has portas cryptorum una eſt, quæ profunda in valle viſenda Presbyteri Ioannis theſaurum cuſtodit. Ad has ipſas Portas tranſitus vectigal penditur, eædemque Xoæ Amaræque regnis pro limite ſunt, à Columnis ſeu Portis Ptolemæi nequaquam differentes. Inprimis autem *Amara* mons famigeratum hoc regnum reddidit, quem Ieſuitarum litteræ *Quirem* nuncupant, & Sanutius Montem Regalem, quod in arce, *Amba* nomine, regis filii ſub validiſſimo præſidio detineantur, donec patre defuncto ſucceſſor ſeu heres producatur. Mons hic, Codigno Sanutioque teſtibus, altitudine inſigni eſt, ac ob ſitum munitus, inferiore ambitu ſuo quindecim dierum itinere excurrens; adeo ut non ſolum in interiora regni ſe ſpargat, atque id ipſum limitet, ſed etiam longo tractu verſus Bagamedri regnum Nilo vicinum ſua juga pertexat. Idem aſperitate ſua ab imo ad ſummum penè inacceſſus rectiſſima altitudine evehitur, terno duntaxat aditu, nec ſine difficultate patens. Codignus ac Sanutius orbicularem monti figuram, quorum ille ſummo in vertice planitiem locat, leucæ unius longitudine porrectam, domumque in ea unicam à ſtructuræ magnificentia alienam, aquas vero non alias hic aſſerit, quam pluviales, quas ciſternæ rupibus excavatæ excipiant. Fuit hic quondam, eodem autore Monaſterium unicum, in quo Religioſi octuaginta ſex vivebant: frumentum vero tam exigua producitur copia, ut vix mille hominibus nutriendis ſufficiat. Ovium, gallinarum anſerumque longe felicior proventus eſt. Verum caret hic locus, ut male Viretus aſſeruit, Bibliotheca inſtructiore, auri gemmarumque congerie; minime interdicto, ut idem retulit, extraneis fœminîsque ad hunc locum acceſſu. Amaræ regnum Leca ſequitur, itidem regni titulo inſignis. *Leca R.*

Atque hæc quatuor poſtrema regna mutuis confiniis junguntur.

Septimum regnum *Abagamedri* dicitur, magis in Occaſum porrectum, continensque agros ſive provincias ſeptendecim. Id Sanutio *Bagamedri*, Abiſſinis, quos anno Dom. 1620 Romæ vidit, *Beguemder*, Bertio Baguamodri, & Cluverio Bagamidri nuncupatum, inter maxima Abiſſinorum regna computatur. Prætenditur Nilo, ducens Meridiem verſus à Goyamæ regno initium, Amaræ, Angotæ, Tigremahon & Barnagaſſi limites attingit, primamque Nili cataractam excipiens, Sanutio teſte, inter Angotæ & Tigremahon regna ducentarum ſpatio leucarum uſque ad Meroën Inſulam ſe explicat, à regione quam Belloa gens incolit, finem accipiens. Idem Sanutius veteres Macrobios hîc locat; Ieſuitarum autem ex Æthiopia litteræ in hoc regno recenſent *Adegenanam* reſidentiam, ac quidam *Danzas*, Regis ſeceſſum. Sanutius *Agaos* libenter huic regioni donaret; at Relationes anni 1624 eoſdem in Goyamæ regno numerant. Nihilominus tamen duorum præcedentium Relationes annorum *Agaos* Orientales hîc locant: Sanutius eidem tractui *Goragas* Belloasque largitur. Idem Meroën Inſulam hac vaſta regione complectitur; at diſcurſus ejus nonnihil à veritate videtur recedere, cum Inſula iſta terna ipſamet ambitu ſuo regna contineat. *Abagamedri R.* *Agaos.* *Gorages.* *Belloës.*

Sequitur proxime *Dambea* regnum, Iarrico *Dambia*, & Abiſſinis *Dembia* appellatum, atque hæc octo memorata nobis regna quodam ordine ab Ortu in Occaſum ſe porrigunt. Iam vero poſterius hoc regnum, ſecundum Iarricum Abiſſinosque, caput habet cognomine, ubi Abiſſinorum rex ſive imperator à Septembri menſe uſque ad Dominicam Palmarum ſedem habet, reliquo anni tempore in agris degens ſub tentoriis, quorum ſex millia ſequuntur eum: confirmatque ſuſpicionem hanc Relatio, quæ Curiam leuca dimidia à Dambia hærere perhibet; ſed hoc loco fortaſſis *Danzas* oppidum intelligendum, regis ſeceſſus ordinarius. Quod Codignus refert, ſediſſe regem eo tempore, quo ipſe ſcripſit, in *Gubay* lacui *Dambeahahar* appoſito loco, nihil turbat propoſitum noſtrum, cum Gubay ſeceſſus recens ſit eodem in regno exſtructus. Iam autem ad illos quod attinet, qui Abiſſini caput imperii *Zambiæ* ſeu *Zambæ* nomine indigetant, ad veritatem proxime accedunt; ſed qui *Belmalechi* id nuncupat, errare mihi videtur, niſi forte duplex eidem urbi ſit nomen. Ex iiſdem litteris percepimus, non procul hac ab urbe, Abiſſinorum regem Deja oppidum, novum Curiæ ſuæ ſeceſſum ædificare cœpiſſe. *Dembia R.*

Ab altera regni Dangali parte, verſus Arabici ſinus fauces, *Aucaguerlæ* regnum, Oara amne perfuſum, mari prætenditur, cui *Adel* regnum continuatur. Sed hæc duo regna extra Abiſſinorum ditionem ſe ſtatuunt, quanquam ex Abiſſinorum relationibus habeamus, regem eorum vaſtitatem jam intuliſſe regno Adel, ac prope eſſe, ut univerſæ regioni nullo contradicente dominetur. Verum interna Abiſſinorum diſſidia hactenus eos ab ulteriori verſus has oras acquiſitione retardarunt. *Aucaguerla R.* *Adel R.*

Adel regnum *Dahali* à Mombazæ latere excipit, quod prope ad Æquatorem accedit; tum *Oëciæ* regnum, in Mediterranea procurrens conſpicitur; deinde *Ario* regnum, cui adnectitur regnum *Fatigar*. *Dahali R.* *Oëcia R.* *Ario R.* *Fatigar R.*

Fatigar regnum regno Adel continuatur, conjungiturque Xoæ regno, quod Auſtralius eſſe videtur. In hoc regno ad regni Adel confinia à febre dictus Mons ponitur, oppidumque, Europeis *Forum* ſive *Mercatus* in confinio regni Adel adpellatum, ubi utriusque regni incolæ ſuas negotiationes juxta peranguſtam viam aditum in utrumque præbentem exercent. In eodem regno Mons à lacu cognominatus recenſetur, pluribus templis cœnobiisque, & lacu præſertim in ipſo vertice viſendus, cujus ambitus duodena implet milliaria.

Exinde *Zengero* regnum eſt, in regnorum ordine quintum decimum locum tenens, quod Cingnorum, ſeu Ægyptiorum, quos primùm Europa conſpexit, & qui ex minore profecti Ægypto putantur, cum revera ex Nubiæ regione ſint, patria fortaſſis eſt. *Zengero R.*

Decimum ſextum regnum *Rozanegus* dicitur, Mombazæ conterminum. *Rozzanegus R.*

Hinc ſi verſus Septentrionem pedem referas, decimum ſeptimum regnum, *Roxa* appellatum, *Roxa R.*

ſe

ſe explicat, quod Zingerano confine eſt regno: inde verſus Orientem *Goijamæ* regio eſt, itidem titulo regni decorata, quam Godignus *Gomam* nuncupat, & Abiſſini *Gojam*, ubi, ut perhibent, Nili fontes ſunt. Septentrionali in parte Goijamæ complura deſerta montana occurrunt, ultra quæ frequentata à Iudæis loca nonnulla Sanutius ſtatuit. In hoc ipſo regno miſſæ ex Æthiopiâ in Europam litteræ *Zalabacam* locant, Agaorum regionem, *Ancaxamque*, ab eadem gente duodenas in ſtirpes tributâ habitatam. Largiuntur huic Agoarum regioni prædictæ literæ quadraginta duo oppida præcipua, præter *Ancaxa* ſeu *Ancaſſa*, *Croja Caura*, *Angula* & *Anchaa* non ignobilia loca. In Goijamæ regno, iiſdem litteris teſtibus, præter Agaos, Gafatas, alioſque populos, *Cobella*, *Surca*, *Adaſe Embeſte*, & *Tanuca*, à Ieſuitis frequentata loca ſunt, ex quibus Adaſa Embaſte magnifici templi rudera exhibet, à quadam Æthiopiæ regina inchoati, cujus lapides elaborati ſunt roſarum in formam. Communis opinio eſt, in regno Goijamæ, apud *Saccalam* oppidum, Agaorum ditionis, Nilum omnem primum oriri. Agaorum metropolis eſt *Tavia*, & reliqua loca ſunt *Tarba*, Ieſuitarum ſede notior locus; deinde *Tampa* & Tazzola, *Fanglæ* regio, agrique *Duniel*. Cæterùm Agai Nilum circumſident.

Goijamæ R.

Narea R. Decimum nonum regnum *Narea* eſt, Godigno *Nerea*, & Abiſſinis *Innari* vocitatum, verſus Moromotapæ imperium porrectum, ac Bagamedrianum regnum ter amplitudine ſuâ exſuperans. A Tremona regni Tigrai loco ad hoc uſque regnum bimeſtre, aut ſecundum Abiſſinos *Zeth. R.* trimeſtre iter eſt. Vigeſimum regnum *Zeth*, Abiſſinis *Zeſta* dictum, Nareæ regno conterminum eſt, ſed Imperii Abiſſinorum membrum *Concho R.* interius. Vigeſimum primum regnum *Concho* eſt, *Mahaola R.* Zeth regno confine. Concho regno *Mahaola* continuatur regnum, quod in regnorum ordine vigeſimum ſecundum locum tenet.

Geroma R. Vigeſimum tertium *Goroma* nuncupant, inter majora Imperii regna computatum, Nilique aquis inſulæ in modum propè circumdatum. Regiones in eo numerantur vicenæ.

In altero Nili latere Ægyptum verſus regna *Damut R.* tria occurrunt, *Damut* ſcilicet, *Fahiola*, & *Sua* ſeu *Zoa*. Ex his primum Sanutius cum tertio facit eſſe conterminum, idemque occidentalius conſtituit quam ſint regiones *Granze* & *Gamu*. Ibidem montem mortis locat Sanutius altitudine ac frigoribus horridum, ad quem Abiſſinorum rex proceres ſuos capitis damnatos ſupplicio relegat, ut inſuetis frigoribus ac fame necentur. Abiſſinis hoc regnum in partes duas dividitur, quarum alteram *Damutdari*, alteram *Damutadari* appellant. Litteræ Æthiopicæ huic tractui terrarum aſſignant loca *Linginopus* & *Gabrama*, Ieſuitarum habitationibus inſignia. Ad *Sua* regnum quod attinet, diverſum eſſe creditur ab eo, quod celebratis autoribus *Xoa* dicitur, cui Sanutius terminos tribuit à Septentrionibus, & ab Occidente Amara regnum; à Meridie regnum Damut; ab Oriente vero regiones *Fagar*, *Gamu*, *Granze*, *Ogïja* & *Gorage*; non enim à Damut verſus Ægyptum extenditur. Ceterum *Sua* vocabulum patria lingua cor Imperii ſignificat; non longo ſiquidem abhinc tempore Abiſſinis Imperatoribus ſeu Regibus in hac regione præcipui fuere ſeceſſus.

Sua R.

Faſcolæ non meminerunt tabulæ Geographicæ; nihilominus tamen, quemadmodum ex Abiſſinorum incolentium Abaſſiam relationibus habemus, regnum Faſcolæ prope ad Cairum Ægypti urbem accedit. Atque hoc in regna per quadrageſimalia tempora Ieroſolymam peregrinantium catervæ frequentes viſuntur; quanquam Tarricus à Dambea primaria Abiſſinorum urbe Faſcolam uſque quinquagena intercedere itinera affirmet. *Faſcolæ.*

Hactenus Abiſſini regna Imperii veteris vicenario & ſexto conſtantia numero recenſuimus, nunc quatuordecim ejus provinciarum, regni expertium titulo pertexenda vocabula ſunt. Provinciarum prima *Dubana* eſt, Tigremahon regno incluſa; altera *Xuncho*, ejuſdem regni portio, ac Dancali regno contermina; tertia *Daraita* in regno Angotæ; quarta *Bora* Tigremahon & Bagamedri regnis interjacens; quinta *Calara*, ſeu *Calaoa*, quæ Boræ confinis eſt; Sexta *Aga*: ſeptima *Arim*, Dahali regno vicina; octava *Arbo*; nona *Xancala*, ad regnum Zingero accedens; decima *Xacoxa*, ſeu *Xancora*; undecima *Ambgamo*; quæ, ut nonnulli ſuſpicantur, cum Sanutii Augana eadem regio eſt, à quo Angotæ regno tribuitur; duodecima *Bergamo*, vicina priori; decima tertia *Aris*, ultra Nilum amnem conſpicua; quarta decima vero ſupra provinciam Aris porrecta, *Evara* nuncupatur. *Provinciæ.*

Nunc ad *Meroen* inſulam veniendum eſt nobis, quæ Ioſepho Cedrenoque teſtibus quondam *Saba* fuit appellata. Quidam aſſerunt, eam ab inſulanis *Naulebabe* vocari, hoc eſt, bonorum ſeu commodorum portuum matrem: alii volunt, inſulam hanc ſic ab Ægyptiis appellari, ab inſulanis vero *Neube*, & ab Abiſſinis *Saba*, rurſum alii eandem *Sabæ*, & *Bed-Amaræ* nominibus indigitant, alii vero Guegere. In tabulis Geographicis *Guegere* nomen videbis expreſſum, etiamſi Paulus Iovius pertinaciter Gueguere cum Syene confundat; quam tamen Aſnæ haud poſtremam partem eſſe conſtat. *Meroe inſula.*

Inſula hæc Nili circumfuſa aquis, habet ab Occidente Meridieque Nubiæ regionem Tigremahonque regnum, quo & à Septentrione ſeu potius Barnagaſſo parte ejus, & ab Oriente limitatur. Iovius eam Anglia majorem eſſe perhibet. Diodorus à Cambyſis matre inſulæ vult nomen fuiſſe quæſitum, at Strabo à Meroe ſorore ibidem extincta.

Atque hæc ſunt, quæ de regnis provinciiſque hujus Imperii apud probatos inveniuntur autores. Illud tamen addendum, peculiarium deſcriptionem locorum non ſatis accurate ex Abiſſinis depromi. Nam præter regna ac provincias à nobis memoratas, qui iſtis ex partibus ad nos revertuntur, regnorum *Ogara*, *Gambat*, *Sarca*, *Bedelim*, *Gonga*, *Coſſo Maüa*, *Walaca*, *Schat*, & Abeſgai ad hoc ſpectantium Imperium mentionem faciunt, quibus *Gafat* regnum, Damut ab Occidente, Xoæ, & Goyamæ regnis conterminum, *Cafatarum*, de quibus Sanutius, regionem adnumerat. Verum ille populos hoſce Abiſſinorum *Gafat R.*

hoſtes conſtituit, cum alii tributarios eſſe affirment. Iidem ultra Goyamam Meridiem verſus locant regnum *Chua*, Paulo Iovio *Scena* dictum, qui in eo ſedem Imperatoris ordinariam, & magnificentiora ejuſdem palatia ac templa conſtituit. Quanquam autem Iovius Abiſſini ſui relatione edoctus hæc ipſa magna fiducia veritatis commemoret, aliique, quorum ætas fictionibus obſtabat, poſtrema duo regna prioribus nullo autore adjunxerint; nos tamen communiorem ſequi ſententiam malumus, quam eandem non ſatis probabilibus argumentis infringere. Porro ex recentioribus Relationibus habemus, Iudæorum regionem, Abiſſinis Romæ commorantibus *Xionenche* vocatam, huic acceſſiſſe Imperio. Hæc dubio procul eadem eſt, quam Sanutius Terram Iudæorum nuncupat, quæque Æthiopicis in literis in Italicum Gallicumque idiomata converſis, *Semen* appellatur. Eædem litteræ Iudæos hic in montanis locant, munitaque iiſdem loca tri buunt, ſed Proregem ſive Præfectum ab Abiſſinorum Imperatore impoſitum.

Scena R.

Vrbes.

Vrbes in hac vaſtiſſima regione magno quidem ſunt numero, ſed elegantia atque amplitudine noſtris diſſimiles, eo quod Imperator in agris plerumque ſub tentoriis degat; ut equeſter ordo hac ratione exercitiis bellique ſtudiis aſſueſcat.

Fluvii.

Amnes in Abaſſia ſeu Abiſſinorum Imperio quatuor præcipui numerantur. Primus Fremonæ, loco in Tigremahon regno Luſitanis frequentato vicinior, *Tancéus* appellatur, profluitque à Meridie in Septentrionem, ſabuloſo in loco procul à mari aquas ſuas terra cavernis recondens. Is æſtate facile vadatur, hyeme navigiis ratis ſeu hippaginis in modum ex palea craſſiore compacto ſuperandus illis, qui ex Tigrai ad Regiam tendunt.

Montes eidem vicini ſunt difficili acceſſu, adeo ut Iudæis Abiſſinis, Moſaicæ legis obſervatoribus, bellicoſiſque, munimentorum ſint loco.

Alter amnis *Orara* dictus, magis ipſo Nilo aquis abundat, mergiturque in regno Adel Zeilanum in ſinum. Salutares ſunt aquæ ejus, à quibus tamen Abiſſini Chriſtiani abſtinent, quod amnis hic Mahumetanorum terras pervadat, quibus beneficio ejus res ad victum neceſſariæ apportantur. Tertius *Gabeus* eſt, qui apud Monbazam in Æthiopicum Oceanum devolvitur. Quartus eſt Nilus, cujus ampliſſima extat in Ægypto noſtra deſcriptio. Hic Iarrico teſte Abiſſinis *Abbacu*, aliis *Sabahus* dicitur. Ceterum in Dancali regno Sanutius amnem nominis ejuſdem, & Marobonem locat.

Lacus.

In lacuum ordine primus Godigno eſt *Aicha*, qui reliquis minor in Angotæ regno conſpicitur. Secundus *Dambeabahar* dictus, hoc eſt, Mare Dambeanum, haud magno ſpatio diſtat ab Gubai urbe, quæ nunc Imperatoris, cum is rus deſerit, ſedes eſt. Patet locus hic ſexaginta milliarium longitudine, latitudine viginti qunque. Nilus eundem permeat, pluribus, ſed parvis inſulis conſpicuum; quarum una munimento inſignis reos læſæ Majeſtatis, partemque Imperialis theſauri cuſtodit. Tertius *Zella* nuncupatus, in Oëcia regno eſt, porrigiturque diei unius itinere verſus Azzel & Mombazam oppida. Quartum *Xacala* vocant, qui Oëciæ regno oppoſitus, exiguo intervallo abeſt à tertio, quem ſua longitudine adæquat.

Sanutius præterea in fronte regni Amaræ, qua ea Orientem ſpectat, S. Stephani lacum, octo milliaria longitudine, latitudine tria duntaxat implentem conſtituit, in eoque Inſulam cum Monaſterio S. Stephani, à quo lacui inſulæque cognomen.

Cæli ſoliſque qualitas.

Cælum Abaſſinum majorem anni partem certorum flatus ventorum ad gratam ſalubremque temperiem reducunt. Depreſſioribus tamen in locis ſolarium repercuſſio radiorum vapores accendens, noxiam aëri qualitatem adfert. Ceterum Tigrainum cælum, licet regio hæc Zonæ Torridæ ſubjecta ſit, ceteris temperatius exiſtit ab Aquilonarium flatibus ventorum, qui mitiores hic ſunt quam in partibus noſtris. Huic accedit, quod incolæ vitam ad multos annos in ſumma corporis firmitate traducant. Ad anni tempora ſeu mutationes quod attinet, notarunt recentiores, exeunte apud nos Majo menſe, hyemis in hoc terrarum tractu eſſe initium, durareque ad Septembris initium, quo tempore rediviva mari Rubro inſtat. Durante autem hyeme vix ullus ſine pluvia dies abit, quæ circa meridiem ſemper cum tonitru erumpit, ſed moderata plerumque, & non violenta, ut male à veteribus figuratum eſt nobis. Hac ratione ver eorum circa Autumnale Æquinoctium incipit, reliquis deinde temporibus ſecundum proportionem ſequentibus.

Aër.

Sanutius hyemis hic initium ducit ab exacto media ex parte Iunio menſe Calendarii veteris, ad medium Septembrem uſque, à montibus tamen nives omnino removet. Plurima hic flumina, in Tigremahon regno præſertim, quorum ripæ gelſiminis ſeu jeſeminis veſtitæ ſunt. Illa cum per æſtatem areſcunt, ſi vada, eorum modica foſſione aperies, nova aqua, diſculentaque reſurgit.

Aqua.

Fruges fructuſque.

Quædam loca in vaſtam ſe explicant planitiem, atque alibi terra altiſſimos in montes evehitur, quos tamen pleroſque cultura exercet, unde frumenti ac fructuum fertiles exiſtunt. Abaſſiæ ſolum, ſi univerſe loquendum ſit, cavernoſum eſt, paſſim è media planitie celſiſſimas rupes protrudens, quæ bello ardente munimentorum ſunt loco. Tigraimum ſolum qua fluminibus ſuis accedit, fœcundum eſt, adeo ut bis in anno ſemen excipiat. Item quibuſvis fructibus ferendis aptiſſimum, olearum præcipue, cum ſilveſtrium hic ingens ſit copia: at regio ipſa nimia aſperitate eſt horrida. Regnum Fatigar fertilibus lætum eſt campis, collibuſque modica altitudine ſurgentibus. In Dancali autem regno, quod perexiguo ſpatio protenditur, locorum pleraque ſterilia ſunt, etiamſi Sanutius apud Nazarethum montes locet frumenti hordeique feraces. Ceterum regio hæc præter frumentum, quod tenui copia producit, hordeum ac milium fert, & quæ loca hiſce frugum generibus carent, ea certum quoddam genus frumenti, Europæis ignotum ſuppeditant, quod incolis *Taſo de Guza* vocari Sanutius perhibet, bonitate, ſapore, & quod à vermium

mium arroſione immune annos ferat, laudatum. Sed Abiſſini *Tefet* ſeu *Tef* id nuncupant, cujus Europa noſtra ignara eſt, ut & duûm aliorum frumenti generum, quæ *Aguſſa* & *Machella* nominibus indigetant, unde panes optimi ſaporis, delicatamque cereviſiam conficiunt. Præcipue vero triticum Turcicum hic creſcit, faba, cicer, lens, phaſeolus, aliaque nobis incognita leguminum genera. Tigrainum ſolum prope omnium frugum noſtratium eſt ferax, ut tritici, hordei, fabæ, ciceris, lentis, &c. Angotà paſſim triticum hordeumque, ſed avare producit; frumenti ſeu tritici Turcici, ciceris, piſi, phaſeoli, fabæ, linique, & quod frumentum Tefet appellant, multis partibus feracior: in montibus ejus Abugana dictis copioſe hordeum producitur. Amara regnum, inprimiſque campi Azzelii creberrimos in fontes erumpunt, ac frumentum miliumque, & varia leguminum genera proferunt. Regni Falihar campi colleſque frumento plerumque ac hordeo abundant.

Plantæ. Arborum in hac regione inſignis varietas eſt, ſed pleræque ingrati ſaporis fructus producunt, una excepta, cujus ſalutaris eſt fructus. Nam cum Abiſſini cruda ſæpius carne veſcantur, inde nati in corpore vermes inteſtina infallibiliter adſidua arroſione conſumerent, niſi quot menſibus hoc ſumpto fructu exitium vermibus adferrent, alvumque purgarent. Habet eadem hæc regio (quod Boterus videtur abnuere) mala citrea, aurea, granata, ficus Indicas; pruna perſica inſignis magnitudinis ſaporiſque, quæ à Februario uſque ad Aprilem ad maturitatem perducuntur. Naſcuntur præterea hic pruna varii generis, jujubæ, & tamarindi uvarum de genere, ex quibus vinum ſubaſperum conficiunt. Godignus fructum largitur Abiſſinis vinarium, ſed rariorem; Sanutius autem vitium allegat frequentiam, exprimique vinum perhibet in ædibus Negus ſeu Imperatoris, Abunæque ſive Pontificis duntaxat, reliquis fortaſſe, ſed clam, id negotii agentibus. Verum Abiſſini, quos Roma habuit, vinum apud ſuæ nationis homines eſſe in uſu, uvaſque in ipſis adeo ſilvis copioſe produci, præcipue vero in regnis Oagra Dembiaque, aſſerunt. Oleum incolæ non ex oleis, quod ſilveſtres tantum oleas ſive oleaſtros Æthiopia producat, ſed alio ex fructu, *Geva* appellato, exprimunt, cujus folia minorum vitis foliorum quandam ſimilitudinem habent, & hoc oleum colore aureo eſt, omnis expers odoris. Melonum & raparum ignara Æthiopia eſt; at gingiber & ſaccharifera arundineta, iiſdem Abiſſinis teſtibus per omnem Abaſſiam frequentia ſunt. Creberrimæ ibidem cupreſſus ſaliceſque viſuntur, ac ingentes in Barnagaſſo ſilvæ, quas non infrequentes palmæ intercurrunt; in Tigrai vero, quemadmodum Abiſſini narrant, crebræ itidem ſunt ſilvæ in parte illa, quæ in Auſtrum vergit; quæ autem Ægyptum verſus extenditur, viduum habet arboribus ſolum.

Gelſominorum quoque copia, quæ circum flumina, & in ſilvis naſcuntur, aliiſque herbis ac floribus odoris gratiſſimi, gloriatur Abaſſia. Ocymum odoris eximii in ſilvis montibuſque paſſim eſt obvium, nec minor lini frequentia eſt, ex quo textilia conficere incolæ neſciunt, goſſypium hunc in finem applicantes, cujus item magna hic abundantia eſt.

Nec melle caret hæc regio, cujus major in Monaſteriis quam alibi eſt copia, eo quod inde victus partem cœnobitæ parent. Silvoſa tamen etiam montanaque loca hoc cæleſti munere ſunt ſufficienter inſtructa. Ob iſtam mellis ceræque copiam, non ex ſevo, ſed ex cera candelas ſuas ducunt Æthiopes.

Omnia hæc regna Abiſſinorum comprehenſa *Animalia.* Imperio, vaccarum, boum, ovium, caprarum aliorumque animalium gregibus abundant. Mu- *Quadrupedes.* lorum quoque, aſinorum, camelorum atque equorum in iiſdem frequentia eſt. Arabicos autem equos Sanutius Ægyptioſque Æthiopicus præfert, quod hi nimia proceritate ac mole corporis graves, minus veloces ad curſum exiſtant. Verum Abiſſini, quos Roma habet, commemorant, Arabicorum Ægyptiorumque equorum perrarum eſſe apud Æthiopes uſum, cum hi ipſi Nubienſibus, ut quos ſingularis pernicitas commendet, frequentius utantur. Pullos non vaccino lacte, ut male, à Sanutio ac Botero refertur, educant, ſed iis præter maternum lac equarum vaccinum à paſtoribus præbetur.

Ad feras quod ſpectat, ingens hic numerus eſt *Feræ.* aprorum, elephantorum, bubalorum, leonum, leopardorum, tigrium, rhinocerotum, vaccarum ſilveſtrium, luporum cervariorum, taxorum, ſimiarumque magnitudine ac feritate inſigni. De urſis horum locorum nulla apud autores eſt mentio. Cervis quoque hæc regio, rupicapris, hinnulis, leporibuſque abundat, cuniculis hinc, ut Sanutius refert, exulantibus.

Gallinarum, caponum, perdicum pedibus ro- *Aves.* ſtroque flavorum, aut griſeorum etiam, attagenarum, anſerum domeſticorum ferorumque, anatum duplicis item generis, columbarum, ac coturnicum hic felix proventus eſt; tanta autem turturum per aëra tranantium copia, ut multiplicatis velis Solem obſcurare videantur. His, præter pſittacos, ſuaviter canentium avicularum genera varia accedunt, cuculis piciſque exceptis. Habet quoque Abaſſia aquilas, falcones, vultures, accipitres, ardeas grueſque numero propemodum infinito. Sed hoc ex immenſa quadrupedum bipedumque copia derivatum ad incolas commodum, multis partibus minuit locuſtarum, ſegetes arboreſque rodentium ea frequentia, ut terram non ſolum late contegant, ſed Solis etiam lumen nonnunquam ſublimia petentes ad ſpatium viginti quinque milliarium obumbrent. Quod ſi hoc damnum per omnem ſe regionem diffunderet, inhabitabilis ea ob annonæ difficultatem eſſet futura. Verum cum animalcula hæc modo iſtam, modo aliam ſucceſſive infeſtent provinciam, calamitas quaſi per vices inſurgit, abitque. Ceterum magnitudine ſua non excedunt cicadas, flaviſque ſunt alis, ac flaveſcente ex aëre, ac certo quodam ſolis ſplendore earum prænoſcitur adventus. Frequentes hic etiam ſunt feles Zibethi, atque ingens eboris copia ob elephantorum multitudinem, præſertim in Noccæ regno, quod & auro dives eſt.

Flumina regionis varia piſcium genera progi- *Piſces.* gnunt, inprimiſque quos Caboſos Luſitani, uti & croco-

crocodilos hippopotamoſque, incolis Gomaras dictos, quibus fauces ſeſquicubitali hiatu patent, quique noctu ex aquis ad paſcua egreſſi, late populantur; quamobrem colonis exſtruendæ ſunt ſpeculæ ad diligentiorem pecoris cuſtodiam. Animalia hæc in aquis audaciſſima ſunt, canumque more humana corpora invadunt ac dilaniant, ad ignis duntaxat conſpectum horrentia, adeo ut puer etiam accenſa face myriades ad fugam concitet. Sunt ex incolis, qui hoc genus animalium ſpiculis ſagittiſve perſequuntur, hippopotamorum carne victitantes, quæ ad bubulæ carnis ſaporem fertur accedere. Habent item Abiſſini Imperii lacus & flumina piſces quoſdam quos nonnemo Gallice *Tourpilles* vocat, qui capientis manibus corporique torporem adferunt. Abiſſinis ſuperſtitioſe creditur, facultatem huic piſcium generi ineſſe malignos humanis corporibus ſpiritus expellendi. Magnam eorum copiam Nilus habet, qua is in finibus regni Goijamæ lacum permeat profunditatis immenſæ. In Amaræ regno etiam eſt lacus, qui piſcem alit magnitudinis inſolitæ, capite deformi, veſtitoque ſuperius ſquamis ſerpentinæ pelli ſimilibus, ac reliquo corpore glabro. Nihil hoc piſcium genere pinguius delicatiuſque facile reperias.

Metalla. Metallis univerſa regio abundat, ſed, ut Godignus refert, incolæ aut negligentia, aut metu, ne, cognitis eorum divitiis, Turcarum infeſtationibus terram exponant ſuam, venas relinquunt intactas, adeo ut ferrum duntaxat effodiant, quod ferme in ipſa terræ ſuperficie inveniunt. Abiſſini autem qui Romæ degunt, contra opinionem Sanutii Boterique aſſerunt, populares ſuos aliarum gentium more metalla ſine ullo metu effodere. Scatet autem non modo terra auro argentoque, ſed etiam ære, ſtanno, plumboque, ut Iarricus memorat, ac integri montes ſulphurei viſuntur; quamobrem vix alibi ob copiam jumentorum abundantius nitrum confici poſſet. Tigrai regnum metallis auri, argenti, ferri, plumbi, cupri, ac ſulphure copioſo inſtructum eſt: Dancali ſuis quoque metallis ſuperbit, in occidua Corcoræ parte, Nilum verſus conſpicuis; itemque Bagamedri. Verum majorem auri partem Damut regnum Abiſſinis ſuppeditat, quod incolæ effodiendi expurgandique artem melius teneant.

Meroës inſulæ qualitas. In Meroe inſulam, quam ſeparatim recenſuimus, bis anno inſulani circa meridiem umbra carent, ſcilicet cum duodecimum Tauri, & quartum decimum Leonis gradum Sol tenet, ipſo Plinio atteſtante. Habet ea leones, elephantos, leopardos, rhinocerotes atque dracones; metalla item auri, argenti, æris, ferri, eboris, ac lapillos precioſos, ſalemque foſſilem. Eadem, Strabone teſte, palmas, arbores perſicas, hebenóſque producit.

Scenæ regni qualitas. Scena ſeu Cena regnum temperato ſalubrique cœlo fruitur, ſolo præterea fœcundo fertilique adeo, ut frumentum hordeumque, ac legumina ferat omnis generis; milium autem & panicum tanta altitudine hic creſcunt, ut hominem equo inſidentem calami eorum adæquent. Naſcuntur eodem in tractu plurimæ arbores fructiferæ, interque has crebra vitis uvifera: quamquam, ex pyris plerique pomiſque ſubacidis vinum exprimant, quo plebs infima loco generoſi vini utitur. Sementem incolæ ter in anno faciunt, & quaſi perpetuo gaudent Autumno, dum aut his, aut illis fructibus colligendis occupentur. Nam ficus virentes habent, meloneſque per omne anni tempus; fabæ autem ac piſa ſingulis matureſcunt menſibus. Armentis præterea incolæ ac gregibus abundant; equos quippe generoſos habent, camelos, aſinos, ac mulos præſertim ſpecie ac mole corporis laudatiſſimos.

Incolarum diſpoſitio corporis. Corpora Abiſſinorum ferme omnium nigricant, quorundam tamen plus, ac minus aliorum, pro cœli ratione, cui ſuppoſiti ſunt. Quos his ex terris in Europa noſtra conſpeximus, naſo erant omnes ſimo, ſed ſtatura ad decorem procera, capillis autem valde nigris criſpiſque.

In *mores* poſitum habent Abiſſini, ut teneris adhuc infantibus ſuis ferro candente frontem adurant, ut hac ratione capitis atque oculorum humiditas, quæ hanc præcipue gentem affligit, in tempore ſiccetur. Ceterum ſine reſectione alunt capillum, in varios flexus artificioſe compoſitum, unctumque butyro, nullo galero pilove caput tegentes. Nec ungues digitorum reſecant, ut armato unguibus marito gallinarum ſimiles, terribiliores videantur. Solent quoque expreſſo è cortice quodam liquore manus ac pedes fricando imbuere.

Indoles. Boterus Abiſſinorum gentem agreſtibus eſſe moribus ait, ac ſtupido prorſus ingenio, qua in re tota via errat; ingenium quippe illis, etiam qui triceſimum ætatis annum necdum attigere, neque ita ut Europæi exercentur, ſubtile, rectumque de rebus ſingulis judicium. Litteræ iſtis ex partibus ad nos miſſæ ſciendi cupidos Abiſſinos affirmant, nobiliorumque mores cum nobiliorum Europæorum moribus audent conferre, agricolas noſtratibus alacriores eſſe dicentes. Ceterum corporis eos agilitas Gallorum exemplo commendat; nec phlegmatici ſunt, nec melancholici, ſed Ioviales, & ad luſum hilaritatemque proclives. Autor quidam ex recentioribus haud poſtremus eos ingenii ſagacitate ac honeſtate morum præditos affirmat: ob deſidiam tamen pigritiamque accuſantur ab aliis, quarum amore neceſſariarum etiam rerum proviſionem ſæpiſſime negligunt. Strabo ineptos ad bellum finxit, at ex modernis quidam animo forti donat Abiſſinos, mortiſque contemptu. Porro ſaltatores eximii ſunt, ut quorum membra ad celeritatem gratiamque natura diſpoſuit. Vulgus ad mendacia proclive, eadem juramento etiam confirmat, niſi per caput Regis ſeu Imperatoris facias jurare. Ex adverſo, libero ſunt Abiſſini ingenio, ac caſtitatis amante, eleemoſynarum largitores prodigi, & qui haud gravate hoſpitio peregrinos recipiant. Nam in Abaſſia ſi animi dotibus inſtructum ex extraneis quendam deprehendant incolæ, hunc aut beneficiis, aut vi, ſi abiturum intelligant, apud ſe retinere conantur. Adhæc laboris patientes ſunt, ſobrii cum res anguſta poſtulat, liberalius autem indulgentes genio, ubi ciborum copia ſuppetit. Agaos populi ad luxum, rem Venereamac veneficia inclinant, literis anni 1622 teſtibus;

quod

quod crimen laude bellica quadantenus elidunt.

Sed nunc poſtquam univerſè locuti ſumus, quædam ſigillatim nobis dicenda ſunt. Tigraini igitur laborem tolerant ſupra fidem modumque; ſed ad læſionem magis quam ulla gens Æthiopiæ proclives eſſe videntur. Nec à Boranis nocendi malitia abeſt. Scevani cultus elegantiâ, ingenii acumine, prudentia ac gravitate reliquos Abiſſinos omnes longo poſt ſe intervallo relinquunt.

Studia. Plerique ferme aut agriculturam exercent, aut ovibus, bobus, vaccis, equis, mulis, cameliſque, quorum tamen rarior hic copia eſt, paſcendis attendunt. Mercatorum, ſi Mahometanos excipias, perexiguus eſt numerus; Nobiles vero aut Imperatori præbent catervam, ſive ſectatores ſunt Aulæ, aut belli ſtudia ſequuntur. Qui accuratius in Abiſſinorum occupationes indagant, feras, queis regio omnis abundat, venandi artem ab iis removent. Abiſſini autem qui apud nos degunt, ſæpe eos venatum exire affirmant, ſine arte licet ac ordine, Europæis pleriſque ſervato, capereque infinitam quaſi ferarum multitudinem, quas ſale condiant aromatibuſque. Ceterum ad ſaltationes ſuas, ut Abiſſini nobis referunt, ad fiſtulæ ſonum dirigunt; iidem Sanutio teſte vehementer fidibus delectantur; alitque Imperator Abiſſinorum ingentem cantatorum fidibus numerum.

Victus ratio. Complures Abiſſini cruda carne veſcuntur, alii aſſant eam carbonum calore, aut æſtu flammarum: at in locis ligno carentibus eundem fimus vaccinus præſtat effectum. Opulentiores ex farre triticeo panem conficiunt, quam Imperator ipſemet muneris loco extraneis mittit Legatis, ut & boves, carneſque diverſi generis opipare conditas, atque adeo animalia integra; vitulos quippe, exemptis duntaxat inteſtinis, conditos farctoſque fructibus, integros curat artocreis includi, qui cibus laudem ſuam meretur. Mittit quoque iiſdem in vaſculis è terra Æthiopica nigricante confectis, gallinas opimas, elixas aſſaſque, addito jure largiore (quem cibum album vocant) ex contuſis minutim carnibus, partibuſque minorum avium conſtante; crateras item cryſtallinos atque argenteos artificioſe cælatos gemmiſque ornatos. Porro Abiſſini, ipſis Abiſſinis teſtibus, avide carnibus veſcuntur, modice coctis, & adhuc ſanguinolentis. Viri collatis ſymbolis cibiſve ruri, aut præ foribus ædium ſuarum crebra celebrant convivia: at ſexus alter domi tantum virili gaudet conſortio, à publicis conventibus excluſus. Ad Imperatorem quod attinet, huic pueri aulici in mazonomis ſeu patinis prægrandibus, quas illi *Ganetes* nuncupant, cibos apponunt, quarum ſingulis ternæ minores è prædicta terra Æthiopica nigra patinæ inſertæ, gallinis, turturibus, aliiſque volatilium, ac ciborum (præcipue quos albos ab admiſto lacte appellant) fructuumque generibus ſatis ſuperque inſtructæ ſunt. In iiſdem mazonomis apportant parva pocula nigra, variis refertjuſculis, contectaque ſic, ut nonſolum calida, ſed etiam ferventia ad tempus ali quod ſerventur. Pipere ac zingibere omne ferme ciborum genus tam copioſe condiunt, ut in

Africa.

ſuetis non facile Abiſſinorum placuerint convivia.

Potum ex melle conficiunt, quem opio ad eum attemperant modum, ut gratiſſimus ſit palato ſaluberque; dummodo modice ſumatur. Vinum uvis expreſſum, album rubrumque in Abaſſia quoque invenias: Verum, quemadmodum Alvarus commemorat, confectio ejus Imperatoris Abunæque ſive Pontificis domeſticis eſt licita; quam Alvari relationem tamen Abiſſini impugnant. Iarricus narrat, vinum eos è milio exprimere; at ditiores ſeu delicatiores melicratum bibunt: Imperatoriâ autem in menſa, duntaxat vinum potatur. Alii referunt, Abiſſinos, vino magnatibus, ſacrificiiſque deſtinato excepto, melicrato uti, quod à tempore vires illas, illumque acquirit ſaporem, ut vino Cretico non abſimile videatur. Montanis in locis è pomis ac pyris liquor exprimitur, melicrati vicem præſtans. Verum Abiſſini aſſerunt, ex tefeto, machella Aguſſaque cereviſiam coqui à popularibus ſuis, aut mel aqua admiſta percoctum bibi, quod vi ligni cujuſdam, oleæ arbori perſimilis, purificent. Potum, quem Imperator ſumit, illi acies monocerotis cornu, ad veneni periculum vitandum, inditur, quamdiu menſæ accumbit.

Cultus ratio. Laici, plerique barba ac myſtace tonſi, cruculam à collo ſuſpendunt; ſacerdotes autem, quibus novacula raſum eſt caput, prolixam barbam alunt, veſteque ex panno utuntur, qua à laicis vix differunt. Zonam iidem adhibent concinne diſpoſitam, manum cruce armantes, eo plane modo, quo hæc à ſolis magnatibus è laicorum numero geſtatur. Semper luſtralem aquam in promptu habent, quod ab obviis laicis ea plerumque cum benedictione petatur, qua & cibos potumque conſpergunt.

Ex Sacerdotum ordine quidam *Debeteres* dicuntur, hoc eſt, Cathedralium Eccleſiarum Canonici, quos decora magis concinniorque veſtis quam reliquum vulgus ſacerdotum honeſtat: Monachis veſtis uſque ad terram defluit, & quidam ex illis flavo induuntur habitu, è goſſypio craſſiore contexto, alii pellibus induuntur caprinis, camelinarum pellium in modum aptatis. Atque his promiſſus capillus eſt, & cruce manus armata. Monialibus aut è goſſypio contexta veſtis eſt, aut ex pellibus colore flavo imbutis, raſum caput, ac ſtricte cingulo ex pelle redimitum; ætate provectis caput calantica veloque tegentibus. A Godigno refertur, opulentiores emptis à Saracenis textilibus Saracenorum more veſtitos incedere, reliquos vero utriuſque ſexus homines aut animalium pellibus tegi, aut tela lintea omnis ornatus experte. Alii, quod ipſum veroſimilius eſt, memorant, utrique veſtem ſexui, nullis inciſionibus ſeu aperturis relictis, ad terram uſque defluere; colores autem quoſlibet promiſcue uſurpari, nigro ſeu atro excepto, quem ſolum funeſtum eſſe credunt. Iidem Abiſſinos linteis aut ſericis indutos textilibus depingunt, fœminiſque aurea, gemmeaque ornamenta largiuntur. Ab Abiſſinis didicimus, villoſa è goſſypio domi confecto veſte plebem tegi, locupletiores panno Serico ex Indiis, Arabia, Perſiaque advecto; pelles item

leonum, tigrium, aliorumque animalium frequenti eſſe in uſu.

Litteræ anni 1624 notant, Xumos, hoc eſt, primos virorum, ſeu Magiſtratus ac Præfectos, ceteroſque ordinis equeſtris viros togis uti prælongis Damaſceno aut alio opere contextis, infibulatiſque ad ſtomachum pretioſis omnino operibus. Imperatorem purpurea veſte amictum eſſe, capitique ejus coronam gemmis fulgentem impoſitam: at Sanutius perhibet, eminentiore eum corona ornari, partim ex auro, ex argento partim compoſita, argenteam manui crucem inſertam, faciemque velo contectam ex ſerico coloris cærulei, quod nonnunquam attollat, deprimatque. Toga ei Attalica eſt, induſiumque ſericum, laxiſſimis manicis, ac mediam corporis partem ſuperiorem aureum textile operit. Imperatricem ſive Reginam, Maffæus introducit veſtitam toga alba ex tela Indica, amictamque pallio è tenuiſſimo ſerico coloris cinerei, cui aurei ſint flores, ramique intexti; Caput ejus calantica tegit Hiſpanica, velatque linteamine faciem, in quo ad proſpectus libertatem foramen relictum. Superponit ei ad Solis radios arcendos velum precioſum, quod umbellæ loco eſt.

Ædificandi modus. Domus orbiculari ſunt forma, ex creta & ſtramine, quod vitæ humanæ annos fert, conſtructæ, ac quaquaverſum areis ſuis patentes.

Variis in locis ædificia viſuntur, *Betenegus* vulgari appellata vocabulo, ac quibuſcunque commoditatibus inſtructa. Semper ea patent, & tamen non niſi Vicariis Regiis permiſſum hoſpitium.

Dormiendi ratio. Dormituri ſe ſupra corium bovillum, aut ſectas ex eo tenſaſque faſcias componunt. Vt autem imperturbatum capillorum in varios accurata diligentia annulos ſinuatorum ordinem conſervent, ſinguli furcillæ pedem terræ infigunt, capturique quietem duo inter cornua collum inſerunt, atque hoc modo indormiunt.

Quempiam affecturi honore, linteum velamen, quod ab humeris ad umbilicum uſque defluit, tollunt, ſicque ſeminudi apparent. Nobiles obvii ſibi facti, in mutuos amplexus ac baſia humeris reciproce impreſſa ruunt, divinæ ſe invicem commendantes cuſtodiæ. Principes autem ſive Magnates Æthiopiæ minorum gentium hominibus ſuum teſtaturi amorem, ſuiſmet eos manibus paſcunt, bolum alterum ex altero ſingulari clementia ori hoſpitis inſerendo. Literæ anni 1625 narrant, matronas ſeu fœminas principes cella ſurgere, argumento honoris, quo accedentes dignantur. Imperatorem ipſum flexo poplite, terque oſculata terra venerari fas eſt. Qui è Terra Sancta ſeu Ieroſolyma redeunt, frontem ejus exoſculantur; ſummi manum; medii genu; infimi togæ extrema. Tranſeuntem, ut Boterus inquit, demiſſione capitis tantum, non manus porrectione ad terram reverentur. Quod autem ab eodem Botero narratur, tentorio Imperiali ſeu Regio ab Abiſſinis dari exteriore geſtu honorem, in hoc à vero nonnihil deflectit; cum vicino tentorio, eo quod Sanctiſſimi id Sacramenti ſit cuſtos, reverentiam tranſeuntes impreſſo terræ oſculo exhibeant. Porro Imperator, cum ſolemniter quoſdam eſt auditurus, ſublimi in ſolio ſedet, eoſque jubet ſtratis inferius tapetibus inſidere, quanquam ubique fere tapetes ſint aut tegetes ad ſeſſionem parati.

Sedendi ratio.

Matrimonia liberrime ineuntur, indefinito numero uxorum, quas leviſſimis ſæpe de cauſſis repudiant. Viri mulieribus dotem conſtituunt, libero à reciproca donatione hoc ſexu. Imperator quaternas ſibi matrimonio jungit uxores, quatuor vicinorum Regum filias; ſed ex his unam peculiariter thori ſociam eligit, quam ſi ſterilitati obnoxiam intelligat, aliam è tribus reliquis huic contubernio deſignat. Ceterum ſumma mulieribus agendi libertas eſt, ut ipſimet Abiſſini nos docent; adeo ut Aula Imperatoria etiam leviſſimarum genere muliercularum, quarum libidinem nulla pœna coërcet, abundet. Verum hoc tempore, quo damnati ſunt veteres Imperatoris errores, credibile eſt, eſſe eum ab iſta uxorum multitudine alienum, etſi litteris id Æthiopicis neutiquam expreſſum ſit; quæ meminere duntaxat, morem Abiſſinorum Regibus ſervari, ut binis ſucceſſive ſororibus jungantur, nec religioſum iis haberi, ſi ſecundis nuptiis uxoris ſuæ, ex qua liberos ſuſceperunt, ſororem ducant. *Conjugia.*

Sectantur Abiſſini ſtudia litterarum, præcipue Sacrarum, ac tanta quidem diſcendi ſedulitate, ut paucas admodum è fœminis nobilioribus invenias, quæ non firma cuſtodiant memoria S. Pauli Epiſtolas, Davidis Pſalmos, atque alia hujuſmodi volumina. Porro ſacrarum paginarum doctrina non in Collegiis, ſed aut domi, aut in Templis informantur, Nobilibus liberos ſuos hoc fine ad monaſteria mittentibus. Non hic Petri Lombardi ſententiæ, aut Thomæ Aquinatis Theologica enodantur volumina, incolis ſimpliciore Theologia contentis, Religioſæque profeſſionis hominibus ſacrarum rerum prorſus imperitis. Abiſſini referunt, non per omnem Abaſſiam litteras altioreſque ſcientias diſcendi commoditatem adeſſe, ſed in urbibus Axum & Embia duntaxat Philoſophiæ Mathematiceſque magiſtros haberi, in Medicina cognitionem tantum ſimplicium tradi, relictis reliquis artis Medicæ partibus implicitis: Hiſtoricos tamen crebro illis ac magno numero in manibus eſſe. Godignus ait, aliquos in Abaſſia Medicos reperiri, ſed qui cauteriis plerumque febres curent, morboſque alios. Sanutius Abiſſinos Medicinæ ignaros tradit, ut qui cucurbitulas ſolum humanis applicare corporibus noverint, aut certa quadam ex herba præparato juſculo purgare alvum. *Scientiæ.*

In Alphabeto Abiſſinorum quadraginta ſeptem litterarum elementa numerantur, quæ ſane jucunda res eſt. *Elementa literarum.*

Lingua eorum à Chaldaica Hebraicaque participat. Chaldaicam autem linguam, cum Divinis operantur, uſurpant, qua & exarata Biblia tenent, reliquis linguis diffidentes omnino. Ceterum, Sanutio ſi fides eſt, perdifficilis Abiſſinorum eſt lingua, ut quam vix ulla regularum directio facilem reddat cupientibus addiſcere. Verum eſt, quod lingua hæc, quam Indicam Poſtelus appellat, haut univerſo pateat Imperio; cum in *Lingua.*

Angotæ

Angotæ regno jam à Tigraina differre lingua incipiat, à Dofarſo præſertim. Alvarus perhibet, quod licet peculiarem linguam Abiſſini non habeant, nec peculiari queant alphabeto gloriari, in ſacris tamen rebus Tangica lingua utantur, quæ veteris Chaldaicæ dialectus eſt quædam; & ſine ulla dubitatione lingua eadem eſt, quam Tigiam Sanutius nuncupat.

Sepeliendi modus.

De funeribus quod eſt, defuncto Imperatore atrati ſunt aulici omnes, atrataque tentoria; ac loca omnia luctu reſonant planctuque eorum, qui elatis vocibus mortuum ad vitam revocare fruſtra nituntur. Cadaver Imperatorium ſub tabernaculo è veſte Attalica, conopeis ex aureo textili ornato defertur. Reliquorum corpora multo thure fumificantur,ac lota veſte lintea teguntur, cognatis capite, non barba raſis, pullatiſque lugent mortuos dierum quadragenûm ſpatio. A nonnullis accepimus, crucis ſignum funeri præferri, ac dum terræ mandatur cadaver S. Ioannis recitari Euangelium, diſtribuique certis quibuſdam diebus inter pauperes eleemoſynam pro animabus defunctorum. Sed Codignus ſatis ad rei veritatem inſtructus, à ſacrificiis in mortuorum refrigerium abhorrere Abiſſinos perhibet; quod nemini mirum videri debet, cum Purgatorii altera in vita torturam è rerum univerſitate ſubmoveat.

Moneta.

Probatiſſimi quique è recentiroibus ſcriptores,quorum curioſis relationibus allecti hucuſque diffundimur, omnem omnino Abiſſinis monetam abnuunt, ac ſecundum auri argentique pondus exerceri apud eos commercia. Quod autem metalla iſta non ſignent, cauſam dat Iovius, ne ſcilicet adulterentur. Extranei tamen in Abaſſia nummi, qui ſunt aurei, ſignatique quibuſdam literis Arabicis, valorem curſumque obtinent. Hoc genus nummorum *Pardaos* & *ſerafs* vocabulis appellant, & bonitate, & pondere cedunt Venetorum centuſſibus. Qui carent hoc genere pecuniæ, aurum atque argentum in particulas quaſdam minores tribuunt, quibus & militibus ſolvuntur ſtipendia, & rerum omnium precium rependitur. Sed Thevetus, aut reliquis magis expertus, aut ad figmenta proclivior, nummos ait eſſe Abiſſinis duplicis generis, aureos atque argenteos; alteros orbiculari, quadrata figura alteros; nullis aliis notis, præterquam ternario Chaldaicarum litterarum numero ſignatos, quorum aliquot in Palæſtina à ſe quidpiam emente fuiſſe acceptos,commemorat.

Reditus ſive Tributa.

Præcipua redituum ſeu cenſus annui pars à Præfectis ac Regibus,ſeu ſubjectis,ſeu tributariis, Abiſſinorum, Imperatori obtingit. Alii equos, aurum, ſericum, Attalicumque pannum, textilia goſſypina, fruges, atque argentum quotannis definito pendunt numero, menſura ac pondere; alii mulos, boves, vaccas, & id genus alia pretii vilioris loco annui tributi transmittunt.Supremis hiſce Magiſtratibus facultas eſt exigendi à ſubjectis quæcunque ad Imperatoriam Majeſtatem pertinent regalia.

Præter tributa, magnos Imperator fructus annuos percipit ab agrorum ſuorum multitudine, quos mancipiis, quorum mutuis matrimoniis numerus quotidie augeſcit, colendos exercendoſque tradidit. Iſtam vero abundantiam frugum, diviſio earum inter egenos Nobiles, Sacerdoteſque ac Monachos ſic minuit, ut perexiguam partem ad Aulæ ſuæ commodum adhibeat. Prædictis tributis Iovius addit ſalis foſſilis, merciumque exoticarum, ut aromatum, mancipiorum, rerumque aliarum vectigal: aitque ſubditorum agreſtiores ſeu ferociores, qui ſilvis accolunt, tributi nomine ſuo Imperatori pendere præſcriptum leonum, tigrium ac ceterarum ferarum numerum, quas ad levandam interdum molem curarum vivariis incluſas, repetita venatione perſequatur. Remotiores harum belluarum pellibus tantum tranſmiſſis, queis Abiſſini profecturi ad bellum induuntur, officio ſuo faciunt ſatis: idem etiam Marmolius notavit.

Tigraini, Abiſſinis referentibus, modico tributo gravantur, atque Axum urbs plurimis gaudet privilegiis, quod cum bellum adverſus Turcam geritur, omnis moles oppidanis incumbat. Hiſce relationibus Boteri addenda narratio eſt, quæ trium generum pendi tributa perhibet Abiſſinorum Imperatori; primo namque loco ſunt reditus ex proprio patrimonio percepti; tum certa quædam pro ſingulis ædificiis pendenda quotannis ſummula, ac metallorum omnium decima, quæ ab aliis quam Imperatoris operariis effodiuntur; deinde quidquid à ſubjectis ei Principibus tribuitur,redituſque urbis unius ſingulorum. Atque hæc ipſa Boterus ex Ioannis Balthaſari Abiſſini hiſtoria Æthiopica excerpſit, in qua is de ſtatutis Regiis Ioannis Sancti loquitur, memorans, Imperatorem Abiſſinorum in ſingulos annos milliones auri ternos in monte Amara recondere.

Fodinæ metallorum.

Porro, ut jam ſupra meminimus, ſcatet Abiſſinorum Imperium metallis auri, argenti, cuprique, qui theſaurus terræ viſceribus prope abſconditus latet, quod effodiendi ſeu eruendi (quanquam contrarium aſſerant Abiſſini) purgandique metalli artem aut ignorent, aut his ſe tradere laboribus ob ignaviam nolint, modico auro excepto, quo ad commercii facilitatem utuntur, non percuſſo ſive ſignato, ſed in lamellas duntaxat ſeu fruſtula quædam diviſo.

Nec ſtanno carent,ſulphureque,cujus materiæ montes integri viſuntur. Tigrai regnum ferri, cupri, plumbi, ſulphuris, argenti atque auri venas habet prædivites, ac par laus debetur aurifodinis Goyamæ; æſtimant aurum regni Damut, aurum omni alio, quod in Abiſſinorum regionibus effoditur, longe carius, quod incolæ eruendi ejus, ac purificandi artem percalleant. Ceterum præcipuæ, ipſis atteſtantibus Abiſſinis, aurifodinæ habentur in regnis Innaria ſive Narea, Damut, Goyamæ, Tigrai,& Ceva. Superioribus annis inter Tigrai & Dembia recentes argenti venæ fuerunt repertæ.

Merces.

Nundinis quoque ſuis ſeu foris Abiſſini interſunt, in quibus Sacerdotes, Monachi ac Monniales creberrima ac maxima commercia exercent. Tota vero ratio commercii in permutatione conſiſtit, quæ uno, alterove verbo peragitur; ſin autem æqualitas deſit, aut frumento id quod deeſt, aut ſale compenſatur. Atque hoc modo panes, pecora, volatilia, ac quidquid præterea ad vitæ

ſpectat

ſpectat neceſſitatem, emitur, venditurque. Sed nihil ſale, thure, pipere, ac myrrha, quam eodem quo aurum precio habent, facilius divenditur, aut emitur frequentius. Iarricus præcipuum ſalis ait eſſe commercium, qui juxta mare inventus, à fluminibus egeritur, ea duritie, ut ſecuri ſit tribuendus in partes. Quadratos Abiſſini lapides ex eo conficiunt latitudine ſemipedali, qui monetæ loco in Æthiopia ſunt; emitur quippe nonnunquam denis hiſce, aut quindenis mancipium. Mirum in modum ſcatet non ſolum auri metallo Narea regnum, ſed etiam zibetho, ebore, aliiſque anxie à mercatoribus quæſitis divitiis. Nullum autem in vaſtiſſimo illo Imperio Abiſſinorum regnum hoc ipſo magis à mercatoribus frequentatur.

Vires, armaque.

Armis Abiſſini utuntur frameis anguſto & brevi ferro, gladiiſque, ſed rarioribus loricis prælongis, anguſtis atque ad ſuſtinendam vim nimis infirmis. Arcus & ſagittæ frequens apud eos eſt uſus, ſed alis ea contrario apud nos more caret, galeæ item, ſed non niſi ex quo cum Luſitanis habuere commercium. Nec ſcuta quidem, ac tormenta bellica ab exteris grandi pecunia accepta, bombardaſque à ſuorum numero armorum rejiciunt.

Peditum arma ſunt fundæ atque amenta, queis lapides & tela ejaculantur. Verum equitatus, in quo Imperii robur nervuſque conſiſtit, lorica ad coxendicem uſque pertingente, caſſide aperta, clypeo rotundo, acinace, ſeu framea armatur. Queis galea deeſt, his capita rubris iſtis villoſiſque galeris teguntur, quibus olim Mammaluci, ſive Circaſſi in Ægypto uſi fuere. Armatos quoque Abiſſini, turritoſque elephantes in præliis adhibent. Porro ad animandum militem jam ad pugnam iturum, tubarum, tympanorum ex ære, Caïro acceptorum, aliorumque è ligno, pellibus utrimque inſtructorum audiuntur clangores. Agaorum gens, quæ (uti meminerunt litteræ anni 1620) breviore ſtatura eſt, minoreque corporis mole, ſed animum fortem habet atque excelſum, ancili parma, vel pelta corio bovino obtecta inſignis magnitudinis, haſta breviore ſeu dimidiata, pharetraque humeris impoſita utuntur.

Exercitus hujus Imperii tam numeroſi exiſtunt, ut inexputabilem militum numerum, aut ſaltem incredibilem memoratu Iovius exiſtimet. Alii majore eum definientes fiducia, centum myriades armatorum tribuunt, elephantes quingentos, & innumerabilem quaſi multitudinem ac equorum camelorum.

Verum in hoc diſſentit Godignus, referens, quondam hoc potentia valuiſſe Imperium; at nunc in ſui conſervatione contra vicinos rebelleſque ſubditos laborare non parum. Impugnant autem Godigni ſententiam litteræ annorum 1617, 1618, & 1622, quarum è relationibus conſtat, novis quotidie Abiſſinorum Imperium incrementis augeſcere, Imperatoriſque formidari potentiam quibuſvis res novas tentantibus. Conſtat etiam ex promulgata hiſtoria Æthiopica, Davidem Imperatorem repetitis ſæpe præliis Regem Congo debellaſſe, regnoque Adel poſteris quoque deploratam intuliſſe vaſtitatem. Barnagaſſe regnum ſuiſmet viribus peditum poteſt ducenta millia, equitumque vicena in campum educere: Præfectus Cervil-Xumetæ quindenis valet millibus haſtatis, Præfectuſque Arras Aderao Barnagaſſo Proregi parens equitum millibus totidem.

Munimenta (ſi quæ Luſitani ad noſtram muniendi normam inſtructa loca tenent, excipias) perpauca univerſo in Imperio ſunt, refugium duntaxat eductis è media paſſim planitie rupibus præbentibus, quæ Abiſſinorum arces ſunt ac propugnacula. Imperatori ordinaria quædam tutela inde præbetur, quod ſub tentoriis degentem, quina aut ſena tentoriorum millia adſiduo ſequantur.

Imperatoris nomen, ac titulus.

Abaſſiæ regioni univerſæ unicus Imperator regnat, Mauris dictus *Aſiclabaſſi*, Arabicis *Sultan Articlabaſſi*, & Abiſſinis Acegué, ſeu Acegus, Godigno autore, quod vocabulum Imperatorem ſignificat, & *Negus*, hoc eſt, Rex; quorum poſtremum uſitatius ſubditis eſt, ut Abiſſini nos docent. Aulici quoque ceterique ſubjecti eundem *Belulgian* nomine indigetant, gemmam precii incomparabilis ſignificante. Europæis communiter Abiſſinorum rex Presbyter Ioannes, ſeu Prete Gianni, Iovio teſte, appellatur. Verum id nominis recepto quodam errore autoritatem invenit; Luſitani etenim ex voluminibus Marci Pauli didicere, præpotentem quendam Regem Chriſtiano addictum nomini apud Indos verſus Cathai regnum eſſe, quem Europæi Presbyterum Ioannem vocitent corrupte loco Ionæ Ioannem appellantes, presbyterum vero, quod Archiepiſcoporum more Chriſti ſignum ante ſe juberet deferri. Libellus de Regibus Æthiopiæ, ex Abiſſinorum lingua in Latinum transfuſus idioma, notat quoque, nobis corrupto more Presbyterum Ioannem dici, quem *Belulgian* Abiſſini appellant, & ſolio inſidentem Davidico *Haſe*, hoc eſt, Electum, ſeu Sponſum nuncupant; coronatum, Negus; raſum vertice, unctumque manibus Patriarchæ, Maſih, ſeu Vnctum indigetant; (quanquam à ſuis *Ionanam* in honorem Ionæ Prophetæ hi reges appellarentur, ad eum modum, quo Perſarum reges *Sophi*, Mauroci reges *Serifi* dicuntur, ac veteres Ægypti reges Pharaones fuerunt appellati) eo argumento perſuaſi credidere, cum ex Abiſſinis Imperatorem eorum Chriſtianum eſſe intelligerent, hunc non alium eſſe, quam illum Presbyterum Ioannem, olim ſeptuaginta duûm regnorum dominum. Verum hi Presbyteri Ioannes poſtquam continuata ſucceſſionis ſerie diuturnum tenuere apud Indos imperium, extincti fuere à Cinge Tartarorum Chamo, qui Davidem Regum iſtorum poſtremum devicit. Nihilominus Petrus Covillanus, ad Abiſſinorum Imperatorem ab Ioanne ejus appellationis II, Portugalliæ rege miſſus, primus ei id nomen tribuit, quod deinde per omnem Occidentem, allata de Abiſſini potentia Imperii fama increbuit; donec Indiam ab Æthiopia, Aſiamque differre ab Africa noſtris eſſet navigationibus exploratum. Marmolius advertit, Abiſſinos Regem ſuum vocare *Beguc Ian*, hoc eſt, Pretioſum Ioannem, & Chaldeos *Ian Enconé*, hoc eſt, Iohannem Pretioſum atque Excelſum. Sunt porro

porro Abiſſinorum Imperatoris hi fere tituli : Supremus meorum regnorum , à Deo unice dilectus , columna fidei , ortus ex ſtirpe Iuda , filius David , filius Salomon , filius columnæ Sion , filius ex Semine Iacob , filius manus Mariæ , filius Nahu ſecundum carnem , filius Sanctorum Petri & Pauli ſecundum gratiam. Imperator Superioris ac Magnæ Æthiopiæ,& ampliſſimorum Regnorum, juriſdictionum & terrarum , Rex Xoæ , Caffates , Fatigar , Angotæ , Baru , Baliganzæ , Adoæ , Vanguæ , Goijamæ , ubi Nili fontes ſunt , Amaræ , Bagamedri , Ambeæ , Vanguci,Tigremahon, Sabiuſque(quæ Patria eſt Reginæ Sabæ ;) Barnagaſſi , & Dominus uſque in Nubiam , quæ in Ægyptum extenditur , novuſque regionis Adel Dominus.

Regimen politicum.

Iam vero ingentes iſti tractus terrarum , quos recenſuimus , uni Imperatori parent ; niſi quod in Tigrai regno (quod Barnagaſſo regnum ſuo ambitu complectitur) maritima Barnagaſſi loca ſint in poteſtate Turcarum. Præſunt huic regno duo ; alter Prorex Tigrai dictus , plerumque Regia ſtirpe oriundus , alter Barnagaſſus , hoc eſt , Rex maris , ut Ananias notavit ; cui tamen abſolutius Turcæ dominantur. Poſterior quidem pluribus in rebus à Proregis arbitrio dependet. Sedes ejus ordinaria eſt in urbe Barua , ſeu Debaroa regionis capite , ubi ſummo pollet imperio , ac maxima à ſuis exteriſque in veneratione habetur. Subeſt ei Alicaxi , hoc eſt , Auditor , ſeu Palatii Magiſter , qui litigantium controverſias decidit , ac jus cuique ſuum æquabiliter communicat ; at ſi majoris momenti res ſit , de qua agitur , ad Barnagaſſum relatio fit, qui eam ſuo judicio definit. Obtinet tamen , ut Malagana , hoc eſt , Imperatoris Notarius utriuſque decretis aſſiſtat , à quibus ad ipſum Imperatorem provocare cuilibet fas eſt.

In Tigrai regno Tribunalia octodecim habentur , quibus ſingulis ſuus eſt Præſes. Prorex , Tigremahon vocatus , Regio ferme titulo decoratur , alitque numeroſam cohortem , qua in re multis partibus Barnagaſſo ſplendidior eſt.

Dancali regnum minime eſt (ut Boterus inquit) Abiſſinis infenſum , ſed tributarium. Ancoguertæ regnum non eſt Abiſſinorum juriſdictioni ſubjectum ; at Dahali regnum iiſdem ſtipendiarium eſt. Oeciæ regno Abiſſinus imperat, Rozanagano ejuſdem ditione excluſo. Roxani cum Gomanis , Zethiſque , idololatris licet , Abiſſinorum legibus parent. Nareæ regnum , quanquam ſuis Regibus , Abiſſinæ mutationis (quæ aliis in Regibus contingit) expertibus , decorum ſit , eſt tamen in ditione Imperatoris. Agnoſcunt eundem dominum Ario, Fatigar , Goijama , & Goroma, in viginti novem Præfecturas ſeu Tribunalia diſtincta. Eodem pertinent regna Damut , Sua , & Faſcolo ; itemque Angota , cui Prorex regnat, *Angotegaz* dictus, vocabulum Arabicum potius quam Abiſſinicum , ut quod Caput ſeu Ducem Angotæ ſignificet.Dobas regio Angotæ comprehenſa regno , ac in vicenas & quatuor Præfecturas diviſa , partim militat impetatori , partim tributum perſolvit. Ex his Præfectis terrarum , ſive Gubernatoribus , ſi quiſpiam rebellionis eſt reus,is ultro ad Imperatorem proficiſcitur , præſentemque cum videt , lapidem capiti impoſitum manu utraque tenet , hoc ipſo ſignificans veniam à ſe commiſſi ſceleris flagitari; deindeque ampliſſimorum largitatione munerum ſuam intentionem proſequitur. Ejuſdem juris ſunt regna Boa , Amara & Lecca , quemadmodum etiam Bagamedri & Ambea. Addunt Abiſſini huic Imperio Cafat & Ceva , quæ etiam à Iovio hic recenſentur , Adeam , & quædam præterea regna. Regnum Adel iiſdem vaſtata atque egena incolis regio perhibetur ; & tamen Iarricus Codignuſque affirmant , incolas cum Abiſſinis adſiduo conflictari,quanquam David Imp. eoſdem penitus exhauſerit,Adelque ſe Regem dixerit.

Provinciæ ſubjectæ.

De quatuordecim Provinciis , quarum ſuperius numerum inivimus , Provinciiſque Xuncho, & Dubana quod eſt , eæ ſunt extra ditionem Imperatoris;atque Aris Duci ſuo paret; ſed Arim & Arbo Abiſſinorum territorium ſpectant.

Sceva

Scevani,in quorum regione Paulus Iovius Monarchæ huic primariam ſedem conſtituit, ea prudentia juſtitiaque ſuam gubernant Rempublicam, ut Regem ſuum maxime venerari videantur , utpote cujus nomine decreta atque ſententias inſigniant. Ceterum Venetorum more regunt , potentiam ſuam ſub nomine Ducis velantium.

Iuſtitiæ adminiſtratio.

Iudices ſeveros habent; nam ſi qui vel minimum à Fide ſeu Religionis obſervantia recedant , lapidibus Iudicum ſententia obruuntur à populo ; at Religionis deſertores blaſphemanteſque,excitatis publico in loco flammis vivi exuruntur. Latrones, ſeu homicidas occiſi traduntur cognatis,ut de his vindictam pro arbitrio ſumant. Ex quibus complures avaritia magis quam vindicta commoti , eos pro mancipiis mercatoribus divendunt ; at alii horrendis in eoſdem ſuppliciis ſæviunt. Furibus prædonibuſque oculis eruunt,lictorem ſingulis addentes,quo duce peragrando regiones vitam inſtrumentali aut vocali muſica toleret. Sodomiæ crimen,frequens Mahometanis, extremo punitur ſupplicio : at minora ſcelera ſubjecta ſunt cognitioni Interpretum legis ſcriptæ; quibuſdam enim carcer eſt pœna , nonnulli virgis cæduntur , alii mulctantur exilio ; rariſſimi vero pecunia , aut largitionibus ſcelus impunitum ferunt.

Adulterium notorium ſequitur divortium.

Agaos , Zalabacæ atque Ancaxæ populos Imperatori Abiſſinorum ſubeſſe intelligimus. Galli, ut quidam referunt , Regi ſuo parent, qui Abiſſinis nonnunquam , quandoque etiam Agais bellum inferre non dubitat.

Coragii nequaquam ſubſunt Presbytero Ioanni ; at ex adverſo crudeliſſime ſæviunt in Chriſtianos , quos parere huic Imperatori noverunt. Adea regnum ditionis Abiſſinorum eſt , quibus inſigni proceritate vaccas tributi loco pendit. Abiſſini hoc regnum tributariis adnumerant.

Veri Dei cultus initium in Æthiopia.

Quibus perſuaſum eſt Reginam Saba , quam ab Auſtro legimus ad excipiendos, ſermones Salomonis fuiſſe profectam , huic regioni imperaſſe , ſedemque ſuam habuiſſe in Meroe inſula , (quamquam alii in Arabia Sabæi ſint , quorum thura Poëtis celebrantur) iidem credunt eam à Salomone veri cognitionem Numinis hauſiſſe ; adeo ut abjurata idololatria , cum populo ſuo ſe ad mandata Legis Moſaicæ adſtrinxerit. Quibuſdam

buſdam Regina hæc Nicaule, aliis Makede vocitatur, ſed poſterius nomen uſitatius Hiſtoricis eſt; ex quo tempore in Europam migrarunt Abiſſini, aut Luſitani frequentarunt Abaſſiam. Sed poſt glorioſam paſſionem Domini, ac Redemptoris noſtri IESV CHRISTI, cum Candaces reginæ Æthiopum Eunuchus Hieroſolyma, quo pio iverat conſilio, redux, Gazam Palæſtinæ oppidum verſus iter dirigeret, S. Philippus divino admonitus inſtinctu, hominem ad Chriſti fidem convertit, baptizavitque, qui nonnullis Indich appellatus. Candacen deinde cum magna Æthiopum parte baptizatam, felici ſucceſſu ad Chriſti ovile traduxit. Cum autem non longo tempore interjecto quædam Orbis terrarum diviſio inter Apoſtolos perageretur, regio hæc S. Matthæo obvenit, cujus indefeſſo labore Chriſtiana fides in hoc tractu in ampliſſimas ſeſe diffudit propagines. Credibile eſt item, Sanctos Thomam ac Bartholomæum, in remotiora loca miſſos, transiſſe Æthiopiam, incolaſque vera Chriſti imbuiſſe doctrina.

Regimen ſacrum; Abuna, ſeu Patriarcha. Qui ſacris præeſt, *Abuna* gentis vocabulo dicitur, hoc eſt, *Pater*, appellaturque etiam *Macus*.

Officium ejus. Præcipuæ dignitatis iſtius partes in ſacris conferendis ordinibus conſiſtunt, quæ illi facultas cum nemine communis eſt. De Eccleſiaſticis autem beneficiis ſolus Imperator diſponit, à cujus nutu quoque cetera omnia dependent. In mortui Abunæ ſeu Patriarchæ bona jure ſuo Imperator ſuccedit. Spectat quoque ad Patriarchæ officium pertinaces excommunicationis ferire ſententia; quæ id atrocitatis in ſe habet, ut ea damnati fame atque inedia mori cogantur.

Majeſtas ejuſdem. Majeſtas Abunæ ex modo ſedendi colligitur; in tentorio quippe ſuo lecto cuidam magnifice inſidet, precioſo panno conſtrato, ac conopeis inſtructo; qui ſedendi mos omnibus Abaſſiæ Magnatibus ſervatur. Porro tenuiſſimo textili ex goſſypio albo, ab Indis, quibus *cacha* appellatur, allato, concinnatoque Apoſtolici pallii in modum, ac contra pectus infibulato induitur.

Epiſcopi. Epiſcopos, quos plurimi narrant apud Abiſſinos haberi, abnuit eiſdem Godignus; quanquam alii referant, duodecim Abunæ Canonicos aſſiſtere velut Aſſeſſores totidem ac Conſiliarios, è quibus deinde ſeligat Epiſcopali dignitate donandos.

Sacerdotes. Presbyteris, ſi Clerici duntaxat ſint, uxorem licet habere, qua in matrimonium ducta, triennio exacto primum ſacerdotii honore dignantur. Cœci, contrario Catholicis more, & quibus corporis membra haud integra ſunt, ſacerdotii participes eſſe noſcuntur, illegitimo thoro natis tantum hoc Ordine excluſis. Primo matrimonio uxoris obitu diſrupto, non eſt ſacerdotibus permiſſum ſine peculiari Albunæ indulto ad ſecundas nuptias tranſire; ſecus facientes à ſacrificii Miſſæ celebratione arcentur.

Monachi. Monachorum, quos plurimos habet Abaſſia, alii D. Antonii regulam, alii inſtitutum S. Macarii, quidam etiam Baſilii, vitæ devotæ dirigendæ præcepta ſequuntur, ſinguliſque ſua ſunt diſpertita cubicula. Res illi ad vitam neceſſarias, ſedulorum more œconomorum ſibi procurant, donandi recipiendique libertate retenta.

Atque hi monachi pluribus in locis monialibus cohabitant, quas ſine ulla ſuſpicione aliorum viſitant liberrime. Quibuſdam ex his ſuæ ancillæ ſunt, quas fere uxorum loco habent. Obedientiæ bonum quam tuta res ſit homini religioſo, prorſus ignorant, nocte dieque exeuntes quo lubet, frequentanteſque fora, ac pro ſua libidine veſtiti.

Moniales. Moniales clauſtra non habent, ſed in agris domos quaſdam tenent, obedientes viciniori Monachorum cœnobio, à quibus ſacrum habitum accipiunt; aliæ autem, ut narrat Godignus, domos incolunt Monachorum adnexas cœnobiis. Ceterum pari cum Monachis numero contendunt. Quædam ex his pie ſancteque vitam inſtituunt; aliæ contra agitationem præferentes quieti, ut cæleſtibus orbibus ſimiliores videantur, ſolito nonnunquam Veneris fructu donantur.

Templa. Templa ſufficienti numero ſunt Abiſſinis, ex quibus præcipuum illud eſt, quod *Delia Libanos* dicitur, ſeu Mons Libanus, in regno Xoa conſpicuum, in quo olim Imperatorum ſolebant cadavera ſepeliri. Incolæ hujus regni Chriſtiano ſunt nomine, ac Chriſtianis operibus inclyti. Alterum *Marcoza* Mariam, hoc eſt, Electus Mariæ, appellatum, in Goyamæ regno viſitur. Tertium Dima vocatum, hoc eſt, Templum Deiparæ Virginis, in Goroma eſt. Monachi adædificatum huic templo cœnobium incolentes, extinctos lue peſtilentiæ, quæ gravis ſæpe per hoc regnum incumbit, ſepulturæ demandant. Quartum templum in Amaræ regno, *Macana Gelacen*, hoc eſt, Trinitatis dicitur. Quintum *Laboca* vocant, hoc eſt, Montem aureum, S. Michaëli Archangelo in regno Goyamæ dicatum. Sextum S. Agapeto ſacrum, in Ambeæ eſt regno. Septimum Salvatori noſtro conſecratum, in Bagamedri regno conditum eſt, in quo regno quoque octavum cernitur Virginis Matris dicatum honori. Eodem in regno quondam octo circiter loca habuerunt templa centum ac quinquaginta.

Imagines. In parietibus templorum pictæ cernuntur effigies Salvatoris noſtri, & Deiparæ Virginis. Divique Georgii imago equeſtris in ſingulis templis conſpicitur. Statuis carent templa, nec Crucifixi habent imaginem, quod incolæ in iſta paſſione expictum Ieſum Chriſtum videre indignos ſe judicent. Godignus pro certo exiſtimat effigies Salvatoris, Deiparæ, omniumque Sanctorum atro ab Abiſſinis colore depingi, nequam vero hominum, ac malignorum Spirituum imagines albo colore lucere; Hac ratione in Cœna Domini Iudas albus, & reliqui Apoſtoli nigri apparent; in Paſſione vero Anna, Caiphas, ceterique grata ſunt albedine ſpecioſi, & Chriſtum nigricantem videre eſt. Michaël etiam nigro exprimitur colore, ac ſubjacens ei Diabolus albo.

Campanæ. Templorum campanæ è gracili longioreque lapide conſtant, actis tranſverſim funibus ſuſpenſæ ſonitumque reddentes, qualis diſrupti æris campani proculaudientibus videri ſolet. Pulſatis quoque virga pelvibus ex ære, aut aurichalco campanarum ſonitus imitantur.

Crux. Magnæ venerationis apud Abiſſinos Crucis eſt ſignum, quod etſi ad remotum conſpectum neque in montibus, neque publicis in viis ſtatuant,

tuant, id ipſam tamen ex aurea catena, aut funiculo ſerico collo appendunt, magnatibus eodem ſuorum capita equorum collaque inſignientibus.

Devotio. Sancti Euangelii verba eo devotionis amplectuntur affectu, ut in ſchedis deſcripta ex collo ſuſpendant; ingruentibus autem malis omnes in Divina bonitate ac miſericordia confidunt; quemadmodum anno 1618 horribili illo, ac multorum prodromo malorum cometa lucente compertum eſt, quo tempore Edicto publico Imperator vetuit, ne vinum ſpatio quatridui ſumerent incolæ, agerentque, ad obtinendam miſericordiam tanto certius, pœnitentiam.

Preces. Litanias ſuas duplici è choro, altero virorum, fœminarum altero decantant; feſtis autem diebus, præter ſolitum adjungi ſacrificiis cantum, templa reſonant accommodatis ad feſta cantionibus, præſertim Miſſæ ſacrificio ad finem perducto, & voces canentium ad tympanorum aliorumque inſtrumentorum muſicorum modos temperantur.

Iidem Abiſſini haud exiguo in precio habent Pſalmos Davidis, quod Imperatorum eorum Davidica Salomonicaque de ſtirpe ſe prodiiſſe glorientur, mediante filio, quem Regina Saba Salomone patre progenuit.

Errores. Omnem illam devotionis laudem, Eutychis, Dioſcoridiſque errores, ac quædam ſuperſtitiones Iudaicæ cum Chriſtianiſmo confuſæ non parum obſcurant. Duos iſtos hæreticos Abiſſini divino quodam cultu venerantur. Chalcedonenſis decreta concilii, quo damnata eorum ſententia eſt, reſpuentes, amplectenteſque confeſſionem Patriarchæ Alexandrini, cujus, quoad Patriarchæ receptionem ſui, juriſdictioni ſuppoſiti ſunt, quanquam neque in profanis, neque in ſacris rebus quicquam inconſulto Imperatore decernatur, qui in his rite conſultandis ſuorum ſacerdotum, ac eorum, qui Monaſteriis præſident, ſententias auſcultat.

Pleriſque ferme erroribus Græcorum adhærent, illiſque veſtigiis inſiſtunt, quæ ſchiſmaticorum Orientalium ignorantia, atque Alexandrina, Cairanaque monſtrarunt Eccleſiæ. Porro Circumciſionis obſoletum myſterium à Iudæis retinent, Sabbathi diem cum iiſdem celebrant, modumque jurandi, repudiandique uxores, & certis quibuſdam cibis, tanquam immundis abſtinendi retinent. Introductæ autem fuerunt ſuperſtitiones iſtæ jam à quadringentis annis ab Imperatore Zamo Iacobo, qui à Romana ſe disjunxit Eccleſia, ſapientiæ ſuæ fiducia fretus, nefandoque errore Legem Moyſis cum nova Chriſti lege confudit, allegans utramque divinum eſſe decretum.

Matrimonia. Pluribus Abiſſini junguntur uxoribus, quanquam Goëzius aſſerat, quod Cela Chriſtos Imperatoris frater omnes omnino ſæculares unica contentos eſſe uxore voluerit.

Ritus contrahendi ſeu copulandi iſti ſunt: Sponſus præ foribus ædium ſuarum ſedet, ſedentemque terni ſacerdotes vicibus ternis circumeunt, Alleluja canentes, ac capillorum è capite ſponſi reſegmen mellito intingentes vino, ſponſæ capiti imponunt eo prorſus loco, quo id ſponſus amiſit, ſimiliterque ſponſæ reſegmen in ſponſi capite ponunt, idque luſtrali aqua conſpergunt. Quo peracto feſti ſolemnitas capit initium, domumque circa veſperum ſponſus & ſponſa ducuntur, qua tricenos intra dies non exeunt; egrediens autem ex ædibus ſponſa, nigro faciem velo obtegit, nec id ante exactum ſemeſtre ſpatium tollit, niſi forte prægnantem ſe noverit. Nonnulli ante primariam Templi portam copulantur, ſervatis ritibus quos diximus, ſed fumificatione thuris adjuncta. Monet autem ſedulo recens copulatos ſacerdos, carnem unam eos eſſe, ſeu duos carne in una, atque utrumque, ſacra primum communione porrecta, benedictione impertit. Pactis dotalibus ſemper inſeritur, ut qui divortii cauſam dederit, alteri ſolvat conventam auri ſummam, aut certum animalium numerum, aut res alias pactis matrimonialibus incluſas. Verum Sanutius notat quod, etſi communiter liceat uni plures habere uxores, pro facultatum cujuſque ratione, nec polygamia publice prohibita ſit, multarum viri nuptiarum uxorumque ab ingreſſu Eccleſiæ, ſacraque communione arceantur.

DALACA *inſula.* Explicato Abiſſini continente Imperii, ordo poſtulat, ut adjacentes eidem inſulas luſtremus. *Nomen.* Primo igitur nobis ſe offert illa, quæ nonnullis *Dalaca*, aliis *Dalacia*, *Delaque*, *Delaqua lacari*, *Dalec*, Tabuliſque Geographicis *Delalaca* appellatur. *Situs.* Sitam ea ſub Mazua ſortitur, qua aliquanto Auſtralior eſt, ut Tabulæ nos docent; at Sanutio autore, Dalaca è diametro Mazuæ oppoſita eſt, remotaque à Continente Æthiopiæ, ſeu littore Habex montibuſque Muzuæ, ſeptenis circiter leucis. *Ambitus.* Ambitus ejus milliaria complectitur octoginta ſecundum Sanutium, & ſecundum Corſalium leucas vicenas. Marmolius eam à Mazua, tricenarum intercapedine leucarum ſubmovet, largiturque ei oppidum unicum cognomine, cetera loca vicorum numero recenſens.

Cæli ſolique qualitas. Temperatus hic ſaluberque aër eſt, ac dulcium copia aquarum, quarum magna per Abaſſiam eſt raritas; quamobrem hanc non pauci *Aqua.* ſeceſſum ſuum delegere. Solum ejus depreſſum eſt ac ſterile, amœnum tamen à collibus vallibuſque, quas numeroſa infelicium arborum ſeries conveſtit: *Fructus.* Thevetus tamen cetera confeſſus, in arborum ignobilitate recenſita à nobis abit, malis citreis aureiſque valles ejus colleſque obumbrans, inſulæque huic odorem tempore verno tribuens incomparabilem. *Frumentum.* Frumenti perparum hic naſcitur; unde Æthiopico è littore, cum melle, milio butyroque advehitur. Hunc autem defectum præpinguia ſupplent prata, in quibus boum ac camelorum armenta, caprarumque greges magno numero paſcuntur. *Animalia.* Terreſtrium copiæ animalium accedit marinorum abundantia piſcium circum vicinas inſulas ca- *Piſces.* ptorum. *Margaritæ.* Inſulani margaritarum piſcatu ditantur, quas vicinum mare progignit.

Inſulanorum diſpoſitio corporis. Inſulani toto corpore nigricant, naſoque ſunt ſimo. Indoles illis ad iram calliditatemque propendens. Porro Turcis vehementer infenſi, iracunde belluarum in morem murmurant potius, quam humanitus loquantur. Immites ad hæc atque injurioſi ſunt in mercatores extraneos, rapinis

nis addicti fide carentes, quam tamen promiſſam Chriſtianis Iudæiſque frequentius ſervant, quam Turcis, quos (ut ajunt) cane pejus & angue oderunt. *Lingua.* Lingua eorum nimia brevitate ipſa Turcica, Perſica, Indicaque obſcurior, parum ab illa differt, qua Continentis incolæ utuntur. *Cultus ratio.* Nudi incedunt lumborum tenus, reliquam corporis partem goſſypino panno tegentes. Locupletioribus chlamys Maurico confecta more, aureoque filo concinne diſtincta ex humeris defluit.

Mulieres. Summa mulieribus externæ honeſtatis eſt cura, totum quippe corpus argumento pudoris, facie excepta, obvelant.

Opes. Merces. In eorum commercio aurum eſt, ex Æthiopia acceptum; uniones autem, quorum Inſulæ Rex dominus eſt, ingens eidem vectigal largiuntur.

Vires. Numero quoque valent Inſulani, ac corporis robore agilitateque; quæ res illis, ad reſiſtendum Turcarum Arabumque, à quibus infeſtantur adſidue, excurſionibus, apprime ſunt neceſſariæ.

Regimen. Inſulæ huic ſuus eſt Rex, cujus juriſdictionem complures inſulæ vicinæ agnoſcunt.

BEBEL MANDEL. *Inſula.* Hinc à Septentrione in Meridiem curſu directo, *Bebel Mandel* Inſula occurrit, olim Inſula Diodori vocitata. Sita eſt ea in medio Maris Rubri freto, quod in duas quaſi fauces ſeu aditus diſtinguit, ut quæ pari trium milliarium intervallo ab Arabiæ, Æthiopiæque verſus Scila promontorium Continentibus diſtet: adeo ut Ægypti reges olim aditum hunc tranſverſim acta utrimque catena ferrea occluſerint. Pigafettus nihilominus fauces Occiduas ad 25. milliarium latitudinem extendit, iiſdem profunditatem largitur inſignem, oppoſitas quinûm anguſtia milliarium coarctans, & ſcopulis brevibuſque reddens difficiles. Nos tamen cum reliquis autoribus, qui hanc Orbis partem deſcripſerunt exactius, Inſulam hanc Africæ accenſemus. Solum ejus à dexteris navigantium Arabico è ſinu vicenûm altitudine paſſuum attollitur, at ex oppoſita Inſulæ parte id celſiſſimam in rupem aſſurgit; quamobrem Zeilam verſus navigaturi, relicto hoc exitu, curſum flectunt ad dexteram: quibus autem Aden verſus inſtitutum eſt iter, ſiniſtrorſum velificant. Ex hac inſula ſpatio duorum itinerum, & medii, commode ad Aden Arabiæ oppidum proficiſceris.

Grave quondam bellum Abiſſinos inter Arabeſque regni Aden, de hujus inſulæ dominio interceſſit, quam modo Chriſtiani, paulo poſt Mauri repetita poſſeſſione tenuere: donec Luſitani univerſa ejus diruerent ædificia, deſertamque relinquerent. Ex eo tempore in hanc uſque diem nullis incolis eſt frequens, quod Abiſſinorum Imperator nullum ex ea commodum expectet; cum non ſit littoris oppoſiti dominus, nec Luſitanicæ claſſis metu hic domicilia figere Mauri audeant, ipſaque ſterilitate ſua habitatoribus ſit futura noverca.

ARABIA TROGLODYTICA. *Nomen.* Troglodytica, quam Ptolemæus Arabum Ægyptiorum Ichthyophagorum regionem dixit, alii Eremborum, ſeu Molgorum & Bolgorum, & Glananimorum, de quibus Sacrarum pagi-narum loquuntur monimenta, & Therothorum, à venandi velocitate dictorum, ut & Ichthyophagorum, queis ab eſu piſcium id nominis quæſitum, ſedem appellavere, hodie, Caſtaldo teſte, *Sirſia*, at proprius à recentioribus Arabia Nova vocitatur.

Limites. Sanutius aſſerit regionem Troglodyticam à Choſſir oppido uſque ad lacum objacentem à dexteris oppido Suaquem, *Batraſan* nominari, à Suez oppido autem, extremo Arabici ſinus receſſui appoſito, uſque ad Choſſir oppidum Ægypto includi, Ptolemæus Troglodyticam à Suez oppido uſque ad montem Elephantis mari Rubro prætendit, qui Ruſcellio promontorium Guardafa intelligitur: at is potius mons Felle eſt, ſi ejus elevationem Poli attendas. Hac ratione Troglodytica proprie dicta, regnorum Barnagaſſi Adelque creſceret littoribus. Verum plerique hodie cum Magino Troglodyticam pro illo terrarum tractu accipiunt, qui Nilo marique Rubro interjacens, à montibus terminum nanciſcitur. Ab Occidente nullus in eam amnis influit ob clauſtra duritiem ſuam ante opponentia. Ceterum alii eandem protendunt Bravam & Magadexum uſque, amnemque Quilmance Meridiem verſus, initium ejus ducentes à Suez oppido; alii minus lato ſpatio, ſed æque longo Troglodyticam apud Promontorium Guardafu limitant; alii rurſum Mazuam ei limitem ſtatuunt, quam urbem quoque includunt.

Loca. Celebriora ejus loca, ſi à Septentrione in Auſtrum tendens, Suez (quod Maginus huic regioni, Belonius vero Inferiori largitur Ægypto) transeas, ſunt *Portus*, ſeu ſecundum Sanutium, *Turris Pharaonis*, quo loco Iſraëlitas perhibent ſicco pede tranſiſſe mare Rubrum: nonnemo tamen aſſerit, hoc miraculum contigiſſe in loco, qui *Chorncodol* dicitur. Sequuntur *ſeptem putei*, duodenis à Suez milliaribus, quo loco ruinæ quædam puteorum ac ciſternarum viſuntur, in quibus Nili aquas ſervabant. Chorondol autem, ſeu Ghorondel ſexagenis à Suez milliaribus. Atque iſta quatuor loca Sanutius in Ægypto locat, qui in hoc à probatorum ſententia ſcriptorum diſcrepat. Occurrit deinde in littore Sinus Arabici *Alcoſſer*, ſeu *Chaſair*, aut Choſſir, percommodus navium ſtationi portus, quem Sanutius quoque contra alios, cum ſolo Anania excepto, Ægypto attribuit, dicens objacere eum Chanæ Ægypti oppido, unde per Deſertum huc iter eſt. Accipitur communiter pro Ptolemæi Berenice, quod ejuſdem elevationis Poli ſit. Maginus etiam ad Troglodyticam refert portum & inſulam *Suaquem*, quæ ad Canſilam ſpectat. Oppidum pro Melæ Ptolemaide communiter interpretantur, quæ Straboni ac Ptolemæo Theron cognominatur; dubitatur adhuc, an Plinii Suacha, aut ejuſdem Epitheras ſit: at Godigno ea *Aſpis* eſſe videtur. Situm tenet ad brachium quoddam maris Rubri, ſeu potius Sinum in Abiſſinei confinio Imperii, & fere in aditu Ægypti, modico à Nubienſibus ſpatio, qui intercedentibus tantum Bellois populis ſeparantur. Ægyptii, ſeu qui ex Ægypto in Abiſſinorum terram profectionem adornant, hoc loco, relicto mari, terreſtre iter ingrediuntur, tergum Septentrioni, frontemque ſemper

ſemper vertentes in Auſtrum. Portus hic commodiſſimus eſt. Inſula hæc, ſecundum Thevetum, quindecim aut ſedecim leucas implet ambitu ſuo, porrigiturque ab Oriente in Occaſum; at Roſacius eam peranguſto ſpatio includit, quod totum ferme ab oppido ejus, ædificia ſtructuræ commendet elegantia, occupari teſtatur. Portus ejus ſecundum Maginum Sebaſticum Ptolemæi os eſt. Marmolio *Zuaquin* dicitur, & in relationibus Ieſuitarum *Suachen* exprimitur.

Soli qualitas. Regio hæc ob ſiccam ſterilitatem parum colitur; & niſi exercendi commercii occaſionem Sinus præberet Arabicus, credibile eſt, totam deſertam fore. Apud Alcoſſer oppidum tamen occluſa verſus alias partes montem juga ſeſe aperiunt, ad importandum ex Abiſſinorum terra, quæ vitæ neceſſitas exigit. A Diodoro narratur, ob immoderatum circa meridiem calorem incolas nudis pedibus diu terræ inſiſtere non poſſe, ac per idem tempus ſic condenſari aërem, ut alter alterius conſpectui non pateat. Abeunti à Suacten Mazuam verſus, ſilvis loca omnia obumbrata cernuntur. Choſſiranum portum piſcium captura nobilitat.

Mores. Præter indigenas, qui egeni ſunt, agreſtes ac barbari, Arabes quoſdam, Turcaſque Troglodytica habet, queis adjacentia mari Rubro loca habitantur commercii cauſſa. Sunt iidem indigenæ rapinis latrociniiſque infames. Batrazantii nigro in corpore excelſos animos gerunt. Lumborum tenus illi, ſeu ad cingulum uſque nudi incedunt, inferiorem corporis partem panno tegentes goſſypino. Nobiliores, ſeu opulentiores Maurico more defluente ex humeris pallio ope iuntur. Fœminæ eodem modo teguntur.

Opes. Choſſiranum ad portum extructæ ſunt Cellæ, tegetibus coopertæ, in quibus Cairo advectæ merces tamdiu conduntur, dum tranſvehendi eas Mecham occaſio ſit.

Ceterum incolæ hujus Arabiæ adſiduo Abiſſinos bello laceſſunt, quoſque ex his capiunt, Arabibus maris Rubri accolis divendunt, quibus mancipia hæc Sanutio teſte, ob fidem diligentiamque in precio ſunt. Arabes Zidinii omne genus aromatum, gemmarumque, ſuccinum item ſubalbidum, moſchumque ex Indiis allatum, Suezium advehunt, atque inde Camelis impoſitum Cairum aſportant: at hodie infrequens ab his mercatoribus negotiatio.

Religio. Incolæ aut Mahometicæ ſunt ſuperſtitioni addicti, aut ex hac mixti Arabicæ, Turcicæque. Inveniuntur tamen, circum Suez oppidum præcipue, nonnulli Arabes Chriſtiani, partim circumciſi, dictique Iacobitæ, partim non circumciſi, ac vulgariter Melaquitæ nuncupati: at dipares hæ ſectæ nunquam conjugiis miſcentur. Duplicem quadrageſimam agunt, alteram ineunte anno, cum nobis Quadrageſima eſt, alteram. Ex poſterioribus plures ſolitariam ſanctamque vitam degunt, priores autem mercaturam exercent, in qua veritatis fideique amantes eſſe noſcuntur. Ceterum Suaquem olim locus erat, quo Æthiopes Chriſtiani Ieroſolymas ituri, conſcendebant in navem.

MAZVA *Inſula.* Eſt etiam juxta littus Abaxicum *Mazua* inſula, ditionis Turcicæ, quam anno 1557 Turcæ ceperunt. Hanc quidam Arriani *Orinam* interpretantur, dubitantibus aliis, num Ptolemæi Orneon ſit. Alii eandem *Mazuam* appellant, *Maſuam* alii, & *Manzuam*; at probatiſſimi autores Mazuæ nomine acquieſcunt. *Nomen.* Eſt ea Barnagaſſi veteris portio: at legitimo domino ſuo adempta, *Situs.* ſitumque tenet in veterum Troglo-ditarum regione. Diſtat porro à Continente ſecundum Thevetum leuca dimidia, aut ſecundum quendam alium ſcriptorem emiſſione ſagittæ: at teſte viatore quodam fide digniſſimo leuca ferme integra, è regione portus Erocco. Formam ſortitur hemicycli in modum. Litteræ ex Æthiopia ſcriptæ anno 1625, Maſſicæ eam, & Viru nominibus indigitant. Eædem litteræ Turcici munimenti meminerunt *Dafalo* appellati, Maſuamque inter & Doncalam interjacentis, quod Abiſſini vi diripuere.

Perdifficilis ad hanc inſulam appulſus eſt navigantibus Auſtro impetuoſius ſæviente. Ob paſcuorum fœcunditatem, aſinorum in ea mulorumque copia eſt. *Cœli Soique qualitas.*

Inſulanis bellicoſus eſt animus, qui quandam voluptatem percipiunt, cum ſe ad prælium ducendos eſſe intelligunt. Mulieres nimium videntur ad rem Veneream proclives, craſſiore goſſypio, ſericove veſtitæ. Ex frequentiore navium appulſu in portum inſulanorum haud tenuia ſumunt incrementa divitiæ, timorque, quem à *Opes.* Turcico nomine, cui paret, vicini ſibi populi injiciunt, quoddam ejus munimentum exiſtit. Huic accedit quod oppoſitum littus ejuſdem ditionis Turcicæ ſit. *Incolarum mores.*

Major pars inſulanorum damnatam Mahometis ſectam amplectitur. Quo tempore inſula hæc Abiſſinorum paruit imperio, magnifica in ea templa fuere, frequentata Maurorum numero majore quam Chriſtianorum. *Religio.*

PORTVS ARQVICO. Portus Erocco etiam *Arquico* dicitur, accipiturque pro veterum *Aduli*. Fuit is olim quoque *Nomen.* Barnagaſſi membrum, inque littore Habex vicenis circiter Biſeno à monte, ſeu monte Viſionis, milliaribus; Mazuæ inſulæ oppoſitus. Ve- *Situs.* rum jam à multo tempore Turcarum præſidio tenetur.

Inde verſus D. Michaelem cognomento Iſeo *Soli qualitas.* ad bis mille paſſus procedenti amnis conſpicitur, ſicco nonnunquam alveo, nonnunquam vero repleto; neque tamen hinc ſterile ſoli ingenium, præſertim cum cœlum urit vehementius, ad fertilitatem inclinat. Nihilominus tamen utramque fluminis ripam varia arborum genera, ut ſalices, zizyphi, aliæque denſe conveſtiunt. Iter huc partim planitie ſua latitudineque expeditum eſt, partim propter obvias rupes aſperum, partim etiam ob errantes in ſilvis feras periculoſum. Occurrunt item flumina aliquot torrenteſque ſicco interdum alveo. In arborum autem, quæ hoc in tractu viſuntur, numero Tamarindi ſunt, quarum ex fructu certum quoddam vini genus exprimunt.

Torrentes hic celeriter magnis incrementis *Aqua.* augeſcunt, vicinis è rupibus impetuoſe delapſi; at ut primum planitiem attigere aquæ, ſiccantur, priuſquam ad mare Rubrum perveniant.

Circum hos montes elephantorum, leonum, tigrium, cervorum aliarumque belluarum turbæ vagantur. Summa montium ſe partim in arva diffundunt variarum frugum feracia, partim non ingratos capris vacciſque, quæ præſtantes hic ſunt, paſtus præbent. Atque hæc omnia quinque tantum leucarum tractu ſe offerunt.

Incolarum mores, & corporis diſpoſitio.

Qui portum Erocco, ac vicina loca incolunt, nigerrimi ſunt, ac prorſus nudi incedunt, verendis duntaxat pelle contectis. Fœminæ ceterà nudæ, eaſdem corporis partes obvelant, quas alienis patere oculis humano animo ingenitus pudor vetat. Caput tamen calantica exornant diadematis ſpecie, crineſque candelarum inſtar oblongos in circulos torquent. *Cultus ratio.*

Quondam hunc locum Chriſtianum nomen implevit, Sanutio teſte; at nunc Turcarum ac Mahometanorum ſuperſtitionibus is reſonat. *Religio.*

NIGRI-

NIGRITARVM REGIO.

Nomen. VEteribus à Septentrione in Meridiem, à Libyæ ſcilicet deſertis ultra Nigrum amnem porrecti populi, dicti fuere *Æthiopes*, *Nigritæ*, & *Melanes*, hoc eſt Nigri. Nomen eis à corporis colore, terræque indole quæſitum videtur; Deſerta quidpe, per quæ ab Atlanticis jugis ad Nigrum flumen conceditur, atro pulvere ſcatent, rupeſque nonnullæ, quæ hinc inde aſſurgunt, velut aduſtæ ſuſpicienti apparent. Verum major Geographorum pars tenet, nomen huic tractui terrarum à Nigro amne, qui perfluit, inditum fuiſſe jam olim; quanquam neque aliorum ſuſpicio careat probabilitate. Spectant huc etiam Æthiopes *Agangines* Ptolemæi, Daradeſque, Aphricerontes, ſeu Gamphaſantes, Perorſi, Matitæ, Ptoëmphanes, Nubii, Atlantes, Garamantes, pluresque aliæ gentes antiquæ. Hodie omne hoc ſpatium Nigritarum regio appellatur. Marmolius autem Nigritarum regionem Inferiori Æthiopiæ accenſet, aitque eam Arabibus vocari *Beled la Abid*, & *Beled Geneva*; Afris autem *Geneva*, *Zinch* & *Neuba*.

Limites. Claudit Nigritas ab Ortu Nilus amnis; ab Occaſu Oceanus Atlanticus; à Septentrione Libyæ deſerta; & à Meridie Abiſſinorum Imperium, Oceanus Æthiopicus, & antiqui limites regni Congo.

Provinciæ. Regiones, in quas dividitur, ſunt *Gualata*, *Guinea*, ſeu *Geneva*, *Agadez*, *Cano*, *Senega*, *Caſſena*, *Tombut*, *Gaoga*, *Melli*, *Serra Lionna*, *Zegzeg*, *Zanfara*, *Guangara*, *Bito*, *Borno*, *Temiam*, *Dauma*, *Medra*, *Gorhan*, *Benin*, *Biafra*, *Nubia*, *Senega* cum *Ialofis*, *Mandinga*, *Littuſque Guineæ*, cum *Melleguetta* regione, ac quibuſdam præterea.

Loca in Septentrionem magis vergentia ſunt Gualata, Agadez, Cano, Borno, Caſſena, Gaoga, & Nubia; Auſtraliora vero, littus Guineæ, Benin, Biafra, Medra, præcipueque regio circum amnem Gabom, promontoriumque Lope Conſalves. Orientaliora loca ſunt Gaoga, Nubia, Biafra & Medra, ac viciniora ab Occidua plaga loca ſunt Gualata, Senega, Gambea & Serra Lionna. Reliquum terrarum his provinciis incluſum eſt.

Longitudo. Longitudo ſumma regionis eſt leucarum 1120.

Latitudo. Latitudo à Septentrione in Auſtrum computata, leucarum eſt 540.

Amnes. Amnes in ea plurimi; at nobiliſſimus omnium

Niger. eſt *Niger*, Ptolemæo Nigir dictus, caputque re-

Nomen ejus. gionis *Nigire*; aliis autem Niger appellatur, qui *Aſtapum* incolis vocari perhibent; quamquam id nominis plerique Nilo circa Meroën inſulam attribuant.

Nonnulli affirmant, amnem illum, quem veteres Nigrum appellavere, unum eundemque eſſe cum Plinii Aſana, ſeu Aſanaga Solini. Hodierno tempore Arabibus *Hued-Nijar* dicitur, ac quorundam ſuſpicio eſt, Nigrum re ipſa non differre à Gambra amne, aliis eundem cum Luſitanorum *Rio grande* confundentibus. Singulorum autem aſſertionibus ratio adeſſe videtur, eo quod eximiis quibuſque Geographis Gambra, & Zenega amnes, quædam Nigri brachia ſint. Leoni amnis hic unico *Nigri* vocabulo nuncupatur.

Origo, curſuſque. Leo, utpote domeſticarum rerum maxime gnarus, fontes ejus in Orientali parte deſerti Seu locat, evocatque primum ingenti ex lacu; inde in Occidentem producit, donec Oceano mergatur Atlantico. Addit idem autor, Coſmographos Africanorum tradere, Nigrum latentis ſub terra Nili ramum eſſe, qui denuo è latebris prorumpens, ingentem lacum cognominem efficiat. Nec ab hac ſententia quidam ævo noſtro haud contemnendi Geographi abhorrent, qui eoſdem Nigro, quos Nilo, fontes ſtatuunt, his perſuaſi argumentis, quod utrique amni ejuſdem generis ſint piſces; uterque hippopotamos ac crocodilos producat; ſub idem uterque anni tempus fœcundus terris innatet. Veteres eandem utriuſque naturam prodidere, addentes, tam Nigrum ferre arundines, papyrumque, quam Nilum. Et ſane non caret opinio hæc fundamento. Ad recentiores autem Geographos quod attinet, referunt illi fontes ejus ad Nigrum lacum, in confinio regnorum Medræ Vanguæque vaſto ſe ſpatio explicantem; ſtatuuntque eundem inter Abiſſinorum Imperium ac Nigritarum regionem terminum. Porro Niger Biafram à Nubia interfluens & divellens, poſt terris ſe abdit tricenarum ſpatio leucarum, iterumque conſurgens, in Bornenſem ſive Borneum ſe lacum diffundit, qui in quatuor regnorum confinibus ſpectatur. Inde ad curſum ſe inſtruens, poſtquam ingentem tractum peregit, Sigiſmanum ſive Guardanum in lacum ſe format, quo ab Auſtro regna Mandinga, Guger & Gago alluuntur; à Septentrionibus autem, regna Cano atque Agadez. Neque hic Nigro aqua hæret, ſed ad fluminis rediens ingenium, vaſto iterum ſpatio in Occaſum dextero alveo ſeu Septentrionali Tombut regnum, lævo autem ſive Auſtrali Melli regnum radens, progreditur; donec rurſum in lacum deſinat. Sed & hinc emergit, quatuor in ramos, totidemque deinde nomina diſſectus. Primus *S. Ioannis* nomine inclytus, à Sanutio pro antiquo flumine Cretes navigationis Hannoniæ acceptus, Arguinium in Sinum, qui Oceani Atlantici pars, devolvitur, oſtiis ejus portum *Toſia* percommodum molientibus. Alter ramus directo in Occaſum curſu profluens, *Senegæ* nomen invenit. Tertius itidem in Occaſum procurrens *Gambra* dicitur. Quartus à ſe ipſo ſub exitum è lacu diviſus, altero

Septentrio.

Occidens

Orientis

Meridies

Sub linea Æquinoctiali.

OCEANVS ÆTHIOPICVS.

ZANHAGA.

ZVENZIGA REGN.

LAMTA REGN.

BERDOA REGNVM.

GARAMANTES.

AGADES.

BORNO.

CANO REGN.

GVANGARA REGN.

CASSENA REGN.

ZANFARA REGN.

Desertum Zanfara.

Desertum Azahad

Desertum Zeu

NVBIA REGNVM.

GORHANJ.

Gualata Regnum.

Fulli Populi.

Arguyn Regio.

Azanagi.

Caragoli populi

Canvia Regn.

Tombotu Reg.

GENEHOA REGIO.

Cantory Regn.

Mandinga.

Caragolis

Melli.

Malegette

Malegente

GVINEA

Qua quaas

Gourt Cust

BENIN.

BIAFARA REGNVM.

MEDRA.

Ambiam cantiva.

Tigremahon.

Bagamidri.

Tigrai.

Vangue.

Ambian

BRAMAS.

Anzicana.

Monsoles.

Pombo de Ocango

Loango Regn.

CONGO REGN.

Amboulle.

ANGOLA REGN.

GOIAME.

Agag.

Milliaria Germanica Communia.

0 5 10

NIGRITARVM REGIO.

Amstelædami Ioannes Blaeu Excud.

alveo *S. Dominici* nomine ſignatur; altero verſus lineam Æquinoctialem deſcendente, appellatur *Rio grande*, ſeu flumen ingens, qui inter inſulas Bijagos, excitatis primum *Guinala Bigubaque* brachiis, in Oceanum exit Atlanticum.

Rio grande.

Amni huic, ſi ab Oſtiis incipias, ultra quingentorum milliarium ſpatium prætextam invenies quaſi continuatam quandam ſeriem oppidorum; Nigritarum quippe regna præcipua utrique ejuſdem ripæ adjacent. Tradunt, juxta ſinum, quem oſtium amnis hujus, *Rio Grande* appellati, efficit, mare incredibili quodam impetu quaternis horis augeſcere, decreſcere vero octonis. Cum autem rectioribus Sol radiis imminet, tantis auctibus augetur, ut nobiliores quæque regiones Nigritarum navigabiles exiſtant; tunc etenim campos omnes valleſque aquæ obſident, à mari ad quadraginta uſque milliaria turbidæ, rubenteſque. Vrretus Rio grande auriferum amnem laudat, eidemque præſtantes rubinos largitur, ſapphiros, ſmaragdos, topazioſque. Sed mihi verbales tantum divitiæ iſtæ videntur.

Senega.

Senega, pro *Darade* Ptolemæo acceptus, qui Daradum gentis quoque in hoc tractu meminit, à quibuſdam *Canaga*, ab aliis *Zanaga*, appellatur. Cadamoſtus eum cum Veterum Nigro confundit, eoque Nigritarum limitat regionem. Verum Leo, fide dignior Cadamoſto autor, aſſerit, Nigrum amnem Nigritarum regionem mediam ſecare, profluereque è deſerto Seu, & Pilotus Luſitanus, à quo inſtituta verſus inſulam D. Thomæ Luſitanica navigatio deſcripta, Nigri oſtium locat undecim circiter gradibus elevationis Poli verſus Septentrionem, quod idem cum oſtio amnis Rio grande dicti eſt, à Canagæ oſtio trecentis milliaribus remoto. Atque hinc aperte ſatis colligitur, Nigrum flumen diſtinguendum eſſe à Zenega. Huic argumento alia accedit ratio, quod, ſi Niger adſitas utrimque regiones fœcundat, terrarum vero tractus, qui à Septentrione Canago adjacet, ſuæ ſterilitati relinquitur, ſtultiſſimum ſit credere Canagam ſterilem amnem eſſe eundem cum Nigro amne fœcundo. Varia ſortitur is nomina pro populorum, quos alluit, diverſitate. Ialofis ſiquidem qua Oceanum ſubit, *Dengueh* appellatur; Tucornoliis ſuperiora loca tenentibus, *Majo*; Caragoliis, *Colle*; Baganenſibus, magis in Orientem remotis, quos etiam ſalutat, *Zimbala*; qui vero per Tombuti regnum diſperſi ſunt populi, his *Iza* dicitur. Et quanquam ad plura alia loca alveus ejus pertingat, nomina tamen ab aliis ei populis indita ignorantur. Hoc conſtat, quod Luſitanis *Canaga* ſeu *Zenega* dicatur, à nomine dynaſtæ cujuſdam, cui ſub ingreſſum in hanc terram primum innotuere, aliud ejus nomen neſcientes; Iarricus autem Zanagam hunc amnem appellat.

Origo, curſuſque.

Origo ejus, Ioanne Barroſio teſte, Orientalis eſt, ex lacubus Chelonidiis, quorum major hodie Gaoganus lacus appellatur, quod regni hujus ſit portio; alter Nuba, ſeu lacus amnis Giras. Ceterum longiſſimo alveo, parumque ſinuoſo protenditur, donec ſexagenis à Gambra amne, à Promontorio Viridi autem ex eodem latere tricenis circiter leucis in Oceanum ſeſe exoneret. Etſi autem ex tam longinquis oris profluat, minus tamen Hambra amne aquis abundat, nec mare tam alte in Senegam quam in Hambram inſurgit. Inſulas molitur Senega quamplurimas, quarum pleræque incolis ob ſterilitatem ſoli deſertæ, ſerpentum ferarumque multitudine ſunt horridæ. Pluribus item in locis aſper eſt, ac navigiorum vix patiens, ob occurſantes ſcopulos; idque tractu ſexcentorum milliarium, ab oſtio ſcilicet ejus, quod Colle dicitur; præcipitia namque, ſeu cataractæ, quales in Nilo eſſe diximus, hinc inde ſunt obviæ.

Accolæ loca hæc *Huaba* vocant, inprimiſque locum hunc Burto, hoc eſt, Arcum, eo quod interdum aquæ, vi ventorum, arcus in modum, in altum tollantur. Amnes in eum plures, iique ſat lato alveo influunt, præcipue unus à Meridie profluens, cujus aquas rubere nonnihil perhibent, tracto à terra colore, quam perfluit; cum Canaga amnis aquas vehat albas liquidaſque, ex quo Auſtrale hoc flumen recepit.

Qualitas utriuſque.

Aquæ utriuſque contraria eſſe imbutæ qualitate feruntur; ſi enim potis hujus aquis, alterius ſuperfundas, ad vomitum vi quadam compelleris; ſeparatæ autem, ſeu intercedente tempore aliquo potæ, hoc carent effectu: quemadmodum etiam, poſtquam communi alveo hauriuntur. Gignit Senega varia genera piſcium, atque aquatilium, veluti hippopotamos, crocodilos, & ſerpentes, parvis armatos alis, minus tamen monſtruoſos. Aquæ ejus perfœcundæ ſunt animalium terreſtrium generatrices.

Amnis Barbacinorum.

Amnis *Barbacinorum*, in latitudinem circiter emiſſione ſagittæ extenditur, perexigua tamen profunditate. Nomen id ei inditum fuit jam inde ab antiquiſſimis temporibus à populis vicinis.

Ceterum è montibus quibuſdam mediterraneis profluens, Oceano demergitur nonaginta circiter à Promontorio Viridi milliaribus.

Gambra amnis.

Gæmbra, ſeu *Gambea* flumen inter Senegam ac Rio grande amnes, eſt medium, à Meridie Ialoforum genti alveum ſuum terminum aſſignans. Ptolemeus Gambram notare videtur nomine *Stachir*, quod alioquin oſtii ejus eſt nomen. Europæis *Gambea* dicitur, eo quod Nigritæ illum per omne illud ſpatium, quo ab oſtio ſuo uſque ad locum auri Cantorani, Redemptionis alias dictum, ſe porrigit, *Gambu* nuncupent. Fontes habet eoſdem, quos Niger Ptolemæi, ex Libyco lacu; alii autem, non ſine ratione, communem ei cum Zanaga tribuunt originem, quanquam in diverſa à ſe abeuntes, alter ab altero mare ſubeat, intercapedine nonaginta circiter milliarium relicta, promontorioque Viridi in medio. Oſtium ejus in latitudinem patet leucis quinque, exiſtitque adverſis aquis navigabilis ad centum & ſexaginta leucarum ſpatium, ulterius navigiorum patiens futurus, niſi rupes tranſverſim ſe explicans, medio obſtaret in flumine, accolis *Arcus* Seneganorum vocitata exemplo, è qua ingenti cum fragore impetuque aquæ labuntur. Amnis hic tam copioſus violentuſque mare ingreditur, ut tricenis ab oſtio ejus leucis dulcium aquarum ſapor noſcatur. Inſulæ in eo paſſim eminent, parvæ, & vix ultra unam alteramve leucam ambitus diffuſæ, ſed amœniſſimæ, regionibus utrimque adſitis eximie fertilibus. Flexuoſus ejus eſt maxima

xima ex parte alveus, præcipue à Redemptionis loco uſque ad Oceanum, quem ſubit, Occiduum. Ditior eſt aquis ipſo Senega, quia mox à fontibus ſuis amnes recipit complures. Latitudo alvei vadique æquitas moderatum fluminis curſum efficiunt, quo minus aſcendentibus obſiſtat navigiis. Medio fere inter oſtium locumque Redemptionis itinere navigantibus conſpicitur Inſula Elephantorum, ob illorum in ea multitudinem ſic nominata. Alit autem piſces fere eoſdem quos Senega, eandemque animalibus, qui magna circum ripas ejus copia, Europæis incognita vagantur, fœcunditatem ingenerat. Gambeæ Senegæque interjacens regio, longo tractu protrahitur in mare, in Promontorium Viride ſenſim arctata. Spatium terrarum duos hoſce amnes inter Orientem verſus porrectum, leucas implet 150, appellaturque Ialoforum regio.

Amnis S. Dominici, alias *Iarim* dictus, in celebrioribus Guineæ fluminibus computatur. In ripis ejus frequens eſt mancipiorum commercium; ipſe autem piſcibus abundat, regioneſque alluit rerum neceſſariarum copia inſtructas. Ceterum is brachium ſeu ramus eſſe videtur amnis *Rio Grande* dicti, qui non procul ab oſtio ejus præcipuo in mare ſeu Sinum devolvitur, *Eſteiro de Catrina* appellatum. *Amnis S. Dominici.*

Ingens eſt reliquorum fluminum numerus, quæ hoc ordine ſcriptores recenſent: *Caſamanca*, ex Arriatorum Faluporumque regione profectus; Flumen *S. Claræ*; *Rio das oſtras*, ſeu flumen oſtrearum, quod ramus quidam proxime præcedentis eſſe videtur; *Rio de S. Petro*, ſeu S. Petri, & *Rio de S. Anna*, quorum uterque in Oceanum influit, exiguo ab invicem intervallo, alter cis, alter ultra Promontorium Rubrum. Sequuntur amnes Serræ Lionnæ; *Rio des Genoëſes*; fluminaque SS. *Vincentii*, *Clementis*, *Andreæ*; atque *das Barbas*; *das Laguitas*; Majo; Mancu, qui in Auſtrali parte apud Aziem Luſitanorum munimentum mari miſcetur; tum *Volta*, *Lago*, *Benin*, *Real*, *S. Dominici*, amneſque *de los Camarones* appellati, *Angra*, *Gabomque*, omnes in Guinæ regione, qui in Auſtralem exeunt. *Amnes alii.*

Eſt autem regio Nigritarum magnis caloribus expoſita; quibus tamen quandam temperiem amnium conciliat frequentia. Exulat hac regione ob aëris ſalubritatem peſtilentia, & ſi in hæc ſe loca tranſportet variolis infectus, illico ſanatur. Imbres in locis neque proſunt, neque obſunt, eo quod Niger ceterique amnes rigando ſolo ſufficiant; montanis tamen in locis magna eorum utilitas, imo neceſſitas eſt; initiumque pluviarum eſt ab exeunte Iulio menſe, ſed tenuium. Omne ſolum Nigri ripis adjacens mire fœcundum ab aquis ejus exiſtit; quamobrem frumenti hic facile parabilis annona eſt: at fructuum citerior Nigri ripa prope ignara eſt, exceptis illis, quos *Goro* appellant, natis in magnis arboribus caſtaneis ſimilibus, ſed aliquanto amaris. Naſcuntur hîc etiam culæcurbit, fructuſque ſimiles, ac cepæ præcipue. In Auſtralioribus tamen locis, de quibus ſuo loco dicemus, & fructus adſunt, & frumentum. Nulli in ripis Nigri montes aſſurgunt, at crebri utrimque lacus, quos egreſſus alveo ſuo amnis effecit. Hos ingentes ſilvæ circumſtant, elephantorum aliarumque ferarum receptacula. Habet eadem hæc regio armenta gregeſque numeroſos. *Cœli Solique qualitas.* *Aër.* *Aqua.* *Terræ indoles.*

Nigritæ, ut initio deſcriptionis monuimus, corpore toto nigri ſunt, dentibus exceptis, qui hærent eis per omne vitæ tempus, niſi forte vi evellantur; membra quoque omnia ad validitatem, & robur diſpoſita. Leo fideles aſſerit Nigritas, miteſque in exteros, delicatos ac voluptatibus brutaliter addictos, ſtupidoſque; eoſdem ſimplices eſſe perhibet, ac gnavos, doctorum hominum piorumque cultores, ac reliquis Africæ populis feliciores. *Incolarum diſpoſitio corporis.* *Indoles.*

Varium incolis idioma eſt; aliud quidpe *Sungai* appellatur, Gualatæ, Tombuto, Guineæ, Melli & Gago regnis commune; aliud *Guber*, quod in regnis Cano, Caſſena Zegzeg, Guangara, & Guber uſurpatur; aliud item, quo utuntur incolæ regni Borno, quod ſimile illi eſt, quo Goagani utuntur. Nubienſibus peculiaris eſt lingua, cui Arabica Chaldaicaque, & ex parte Ægyptiaca admiſta eſt. *Lingua.*

Auri nativi copia divites incolas efficit, allicitque mercatores externos. *Opes.*

Ex Nigritis plurimi ſunt, qui ſine lege ac Rege, aut ullo alio magiſtratu agreſtem potius, quam humanæ convenientem rationi vitam traducant. Alii Regibus ſuis obtemperant, quorum clariſſimi ſunt Tombuti Rex, cujus juriſdictionem pars Nigritarum haud exigua agnoſcit; Rex Gaogi, qui poſt Tombuti Regem ſpatium terrarum ampliſſimum poſſidet; tum Rex Borno, cui reliquis duobus minus terrarum eſt. Rex Gualatæ unico regno ſuo gaudet, quemadmodum etiam Rex Serræ Lionnæ. Ialofi in plures ſunt Principatus diviſi, littuſque Guineæ in regna complura, quorum præcipua ſunt Melli & Benin. At ſingulorum qualitates particularis paulo poſt ſecutura deſcriptio aperiet. *Regimen.*

Olim Nigritis pleriſque cultus quidam Deus fuit, quem *Guibimum* appellabant, hoc eſt Cœli dominum. Atque hunc naturali inſtinctu, nullo ductore, Doctore aut Propheta colendum ſuſcepere. Verum Iudaicam deinde amplexi legem, diu eandem retinuerunt conſtanter; donec regnis quibuſdam ad veram Chriſti fidem converſis, felicem paterentur mutationem. Hanc autem Mahometanorum in hanc regionem anno 861 adventus ferme diſſipavit, quo tempore Nigritarum regna Libya conterminæ, pleraque veram exuentia Religionem, nefandæ ſe Sectæ tradiderunt; adeo ut tum Gaogæ populis, pauciſque præterea interiora tenentibus exceptis, quibus Chriſtiana religio Ægyptiorum more colitur, valde fuerit Chriſtianorum numerus imminutus. Reliqui Oceani accolæ, omnes idololatræ ſunt, ut ex fidis Luſitanorum relationibus percepimus, partim ſolem adorantes orientem, partim ignem, partim etiam res alias, quibus divinitatis vim putant ineſſe. *Religio.*

Sed nunc particularia loca nos vocant, in quibus deſcribendis lubet à Septentrione Meridiem progredi.

GVALATA.

Ordior itaque à *Gualata* ſeu *Geneta*, cujus incolæ *Benajis* appellantur, quæque regni titulo decora, nomen accepit à capite ſuo, ac loca *Nomen.*

tria, nullis cincta mœnibus, sed amplitudine sua censenda complectitur. Distant eadem ab Oceano Occiduo centenis circiter milliaribus; à Promontorio Nun versus Austrum trecentis circiter; à Tombuto autem Septentrionem versus quingentis; totumque hoc regnum Senegæ seu Nigro amni prætenditur. Sanutius *Hoden*, qui locus procul à mari in interiora regni hujus recedit, statuit senis à promontorio Albo itineribus. Ceterum locus hic nullis mœnibus circumdatur, præbetque duntaxat Cohortibus sive Caravanis è Tombuto aliisque Nigritarum regionibus in Barbariam tendentibus hospitium.

Loca. *Hoden.*

Regnum hoc vix ullius frumenti est ferax, præterquam milii, & cujusdam, quod rotundum albumque ciceri persimile est, sed Europæ nostræ incognitum; nec tamen hæc ipsa magna copia producit. Fatendum est quidem, abundare hordeo agrum Hodensem, dactylisque.

Soli qualitas. *Fruges fructusque.*

Circum Gualatam mira pecoris est raritas; at Hodensi in agro cameli frequentes visuntur, & capræ vaccæque numero tolerabili, sed longe nostratibus minores. Habet idem ager leonum, leopardorum & struthionum copiam, quorum ova percommodus sunt cibus.

Animalia.

Incolæ nigerrimi sunt; quibus id solum laudi datur, quod benevolos se erga exteros exhibeant. Ceterum moribus agrestibus sunt, ac ab omni urbanitate alieni; reliqua studia eorum cum vicinorum, qui Libyæ deserta tenent, occupationibus concordant.

Incolarum dispositio corporis. *Indoles.*

Gualatanis frugalitatem soli ipsius ingenium sterile imposuit; at Hodenses multo victitant lautius, hordeaceo pane scilicet, dactylis, & lacte camelino, seu ex aliis animalibus expresso; vinum quippe hic deest, quod etiamsi adesset, lege tamen vetitum est id bibere.

Victus ratio.

Apud Gualatanos sexus uterque faciem plerumque obvelat: at apud Hodenses muliebris sexus sine indusiis incedit, caput fascia redimitus, viris pedes nudatis, partemque corporis linteamine, Maurico de more, tegentibus.

Cultus ratio.

Gualatani idiomate Sungai utuntur.

Lingua.

Ceterum qui ex Hodensibus Arabicæ originis sunt, stabile domicilium odere, per vicina deserta errantes.

Libyæ populis hanc regionem tenentibus, Barbaricorum mercatorum hic semper fuit frequentia: at regnante his partibus Heli, Tombutum iidem Gagoque regna, unde majus lucrum sperabant, relicto Gualatæ regno frequentare cœperunt. Quæ res non parum Regis hujus opes afflixit; quamobrem Tombuti is Regi, insigni diminutæ potentiæ suæ argumento, tributum nunc pendere cogitur.

Opes Regis.

Si quid autem valet hoc regnum, id Hodensium debet commercio, qui cetera Nigritarum regna Barbariamque magno numero frequentant, æs atque argentum, merceque alias è Barbariæ regione suorum ope camelorum Tombutum ac alia Nigritarum loca advehentes.

Merces.

Gualatanis adoratur ignis; at Hodenses Mahometica irretivit superstitio, odiumque in Christianos. Iidem Arabicæ originis sunt.

Religio.

GVINEA.

Regnum hoc multis *Guineæ* insignitum vocabulo, diversumque à vasta illa *Guineæ* regione, quæ Meridiem versus ultra Gago Guberque est regna, mercatoribus Afris, Leone teste, *Genehoa*; Arabibus, Marmolio auctore, *Geneva*; incolis autem *Genni* seu *Genii* appellatur.

Nomen.

Continuatur id à Septentrionibus Gualatæ regno, intercedente Deserto, leucis 160 porrecto; ab Oriente, regno Tombut; à Meridie autem Melli regione.

Limites.

Prætenditur eodem Nigro amni ultra spatium leucarum octoginta, altera parte ejus Occiduo terminata Oceano, in quem se Niger exonerat.

Amplitudo.

Oppidis arcibusque caret hoc regnum, vico duntaxat habitatum amplissimo, in quo Regis ejusque cohortis, ac ministrorum sacerdotumque est sedes. Ædificia habet hic vicus ex luto superinducta creta, & stramine constructa, quem singulis annis, Iulio videlicet, Augusto & Septembri mensibus, Niger alveo egressus insulæ in modum circumdat; ac tunc solent mercatores Tombutarii merces suas navigiis advehere.

Loca.

Abundat Genehoa oriza, hordeo, gossypio, pecore, piscibusque; caret autem arboribus fructiferis, adeo ut nulli adeo hîc fructus cernantur, dactylis exceptis, ex Gualatæ Numidiæque regionibus advectis.

Soli qualitas.

Incolis non inconcinnus est habitus, ex gossypio cæruleo aut nigro, è quo & capiti tegumentum seu ornamentum conciliant. At Sacerdotes Doctoresque alba veste utuntur.

Cultus ratio.

Moneta hic aurea est, & ferrea; sed nullius rei signata effigie. Ferrea servit ad res minoris precii, ut lac, panem, mel, & his similes emendas. Incolæ ex gossipinis textilibus suis mercatoribus Barbariæ divenditis ingens quotannis lucrum capiunt, quibus pannos in Europa contextos, æs, aurichalcum, arma, ac id genus res alias, queis Guineæ regio caret, permutant.

Opes.

Regnum Agadez Orientalius est Gualatæ regno, finibus quoque suis in Septentrionem extensum. id nomen accepit à capite suo, quod à paucis sæculis primum in Desertorum Libyæ confinio est conditum. Vrbs hæc fere ex omnibus Nigritarum urbibus, una Gualata excepta, quam proxime ad Alborum urbes accedit. Mœnibus ea cingitur, Palatium Regis habens in medio, ædificiaque, qualia in Barbariæ sunt urbibus.

AGADEZ. *Vrbes.*

Magna hic vaccarum caprarumque abundantia est, inque Desertis manna copiosè colligitur.

Animalia.

Incolæ urbis Agadez plerique mercaturam factitant, nimirum indigenæ, advenis aut opificia tractantibus, aut arma pro Rege. Reliqua regio in Austrum procurrens incolas habet vaccis capriſque pascendis addictos, qui in mapaliis sive tentoriis transportabilibus degunt, ædificiis quas frondes tegetesve operiunt.

Incolarum studia.

Ingens ad Regem vectigal redit à mercibus domi natis, exoticisque: at ipse Regi Tombut centum ac quinquaginta centussium millia tributi nomine singulis annis persolvit. Quibus mercatura est curæ, hi ad unum omnes mancipiis instructi sunt, quo tutius iter Cano inter Bornoque regna infame prædonibus evadant.

Opes.

Incolæ Mahometani sunt, quemadmodum & illi, qui Deserta tenent.

Religio.

Quo-

BORNO. *Nomen.*

Quorundam opinio eſt incolis regni Borno obſideri veterum regionem Atlantum, quod mores horum ab antiquis expreſſi cum moribus iſtorum à Leone depictis conveniant. Alii autem volunt, hunc tractum terrarum Garamantas olim tenuiſſe, caputque eorum Garama hodieque conſiſtere. Et fortaſſe utriſque danda eſt venia, quod veroſimile ſit hos & illos hic conſediſſe. Nam vallis Garamantica, in qua Giræ amnis fontes Ptolemæus ſtatuit, aut in hoc regno locanda eſt, aut removenda non procul. Adhæc mores Atlantum à Bornenſium moribus haud diſcrepant. Ceterum ſatis intelligo contraria nobis moliri Sanutium, dum Garamantas parat Caſſenæ tribuere, aut tractui vicino. Verum in iſta antiquitatis controverſia mediam nos viam tenebimus, utramque gentem uni regno donantes. Leoni regnum hoc, ut & Marmolio, appellatur Borno, quorum hoc Burnii etiam vocari aſſerit.

Limites.

Vaſta regio hæc includitur ab Occidente Guanguara regno, ac quibuſdam Deſertis, porrecta verſus Orientem milliarium quingentorum ſpatio, remotaque à Nigri fontibus, quos in deſerto Seu eſſe conſtat, milliaribus centum ac quinquaginta. Ceterum à Meridie terminatur deſerto Seth; à Septentrionibus vero Deſertis à Barcana regione in Meridiem porrectis. Vrretus porro ab Oriente Gaogam Nubiamque terminos aſſignat; à Meridie Biafram Æthiopiamque; ab Occidente Libyam Interiorem, ſeu Serræ Deſertum; à Septentrione Bardoam.

Loca.

In campis frequentia ſunt, Leone teſte, caſtella vicique, Regis militumque ejus deſtinata ſeceſſui; neque tamen idem auctor Garamæ, aut cujuſquam alterius oppidi meminit. Verum Huez Borno oppidum locat in regno cognomine.

Soli qualitas.

Terra partim in planitiem diffunditur, partim in montes colleſque evehitur. Quæ plana locorum ſunt, eximia fertilitate donata ſunt, montanis tamen non omnino ſterilibus. Campi frumentum copioſe producunt, montes autem milium ferunt, & quaſdam præterea fruges, à quibus aliena eſt Europa noſtra.

Fruges.

Animalia.

Iiſdem in montibus numeroſi viſuntur greges caprarum boumque.

Incolarum ſtudia.

Campi incolas habent honeſtis ſtudiis ſive occupationibus addictos, advenas etiam tam Alborum quam Nigrorum de numero, mercaturam factitantes, uti & Regem, ejuſque cohortem ſeu milites. Qui montana tenent, paſcendis vaccis capriſque attendunt.

Veſtiendi ratio.

Montani hi nudi incedunt, partem duntaxat corporis bracca tegentes pellicea: at hyemali tempore totos ſe pellibus induunt, è quibus etiam lectus eorum compoſitus eſt. Mulierum liberorumque communio Garamantum veterum ſectatores, ac more belluarum viventes inſinuat.

Fœminæ.

Nomen.

Nullis ab invicem nominibus propriis diſtinguuntur, antiquorum Atlantum exemplo; ſed ſi quis eorum ſtatura procerior ſit, hunc longi vocabulo inſigniunt; ſi brevior, minutum, ſeu parvum nuncupant, ſi luſcus, luſcum, ſi alia quapiam nota inſignis, hanc ipſam vocando, aut memorando pronunciant.

Opes.

Decimam duntaxat fructuum pendunt incolæ Regi ſuo, qui aliis præterea reditibus ſive tributis non gaudet, ſi prædas excipias, quas ab hoſtibus ſuis ultra Deſertum Seth infinito prope numero incolentibus, nunquam reportat.

Religio.

Incolæ nulla adeo religione ducuntur; nec enim Mahometani ſunt, nec Chriſtiani, nec Iudæi, ſed pecudibus hac in cauſa ſimillimi.

CANO. *Situs.*

Latiſſime quoque patet Cano regnum, Nigri amnis alveo dextero, ex parte, prætextum, diſſitumque ab Agadez oppido leucis circiter centum & ſexaginta. Caput regionis Cano itidem appellatur, mura circumdatum cretacea, interpoſitis paſſim rectis tranſverſiſque lignis; quo genere ſtructuræ etiam incluſa conſtant ædificia. Cetera ejus loca oppidis minora, aut caſtellorum ſortiuntur nomen, aut vicorum.

Loca.

Soli qualitas.

Aqua.

Scatet regio hæc multis in locis dulcium limpiditate aquarum, in montanis præſertim, quæ à frequentibus ſilvis paſſim obſidentur, quas inter mali limoniæ aureæque, ſilveſtres licet, ſpecioſis gratisque palato fructibus ſuis memorabiles exiſtunt. Ferax eſt etiam frumenti atque orizæ, goſſypiique, alitque vaccarum & caprarum numerum.

Fruges fructuſque.

Incolarum mores.

Qui in caſtellis viciſque degunt, aut pecora paſcunt, aut agros exercent: at qui Cano urbis incolæ ſunt, mercaturæ, aut artibus diſcendis operam navant.

Opes.

Habet eadem urbs mercatores locupletes, fuitque olim Rex Cano ea potentia, ut Zegzeg & Caſſenæ Reges vectigales reddiderit; at hæc tria regna deinde Regi Tombut ſtipendiaria ceſſere, ex quibus Cano tertiam redituum ſuorum partem contribuit.

CASSENA. *Situs.*

Caſſena regnum Orientale eſt Cano regno: Leo regioni huic vicos duntaxat largitur, in quibus peſſime materiata ædificia ſint, eaque ad ſummum vix ultra trecenta.

Loca.

Soli qualitas.

Crebri hic montes locaque inſigni aſperitate; nec tamen ſolum regionis milium negat, aut hordeum.

Mores incolarum.

Incolæ toto corpore vehementer nigricant, naſo ſupra modum craſſo, craſſiſque labris deformes. Deſides iidem, atque inde egeni.

Opes.

GAOGA. *Nomen.*

Regnum *Gaoga*, ſeu Goaga, ut Marmolio placet, eundem obſidere tractum videtur, in quo celeberrimi quique Geographi paludes Chelonides locavere.

Limites.

Terminatur id ab Occaſu Borno regione; ab Ortu Nubia; à Meridie Deſerto, quod ad Nili ſinum quendam ab Arabico averſum mari accedit; à Septentrionibus autem Deſertis Sertæ. Ceterum ab Oriente procurrens in Occidentem, longitudine milliarium 500 Ægypto quaſi prætenditur, par ferme ſpatium implens latitudine ſua.

Dimenſio.

Soli qualitas.

Mores incolarum.

Incolis boum oviumque felix proventus eſt. Carent iidem & literis & moribus, omnique adeo politico regimine, ac ingenii vigore, præcipue montani, quos æſtivis temporibus pellis particula duntaxat verenda contegere perhibent. Domus eorum ex frondibus conſtant, ad minimos quoſque flatus ventorum ſubjectæ incendio. Pecoris, quo abundant, præcipua illis cura eſt.

Religio.

Sunt quidem Gaogani Chriſtianæ profeſſionis, ſed Ægyptiorum ad normam.

NVBIA. *Nomen.*

Nubiæ regnum quondam *Nuborum, Nubiorum* ſeu *Nubien-*

Nubienſium regio fuit appellata, quos juxta Nilum conſtat ſediſſe; quamquam Ptolemæus, cui populi hi Arabægyptii, ut & Melæ dicuntur, alios quoſdam Nubios juxta Sem ſeu Avalitanum Sinum locaverit. *Miborum* quidam Poëta Latinus meminit, quod nomen in Nubos vertit Ortelius. Procopio *Nobates* dicuntur, Iornandæ *Nobades*, & Brocardo Monacho *Nubienſes*. Hodie autores omnes regionem hanc uno *Nubiæ* vocabulo appellant, Afris *Neuba*, & quibuſdam Ægyptus Minor vocitata.

Limites. Nubienſes Geographi terminos Nubiæ prodidere ab Oriente regionem Kanem, ac Taguitarum patriam, cujus caput eſt Tagua. Sed hi limites brevitate ſua nimis obſcuri nobis eſſe videntur; aliter ergo ineunda eſt ratio. Clauditur Nubia ab Occaſu Gaogæ Deſertis, ſic tamen, ut nomen ejus ad utramque Nili ripam quoque pertingat, qui, ſi Nubienſibus Geographis eſt fides, Nubiam mediam interſecat. Ab Oriente partim Bagamedriæ gentes quædam, Belloes dictæ, aſſiſtunt, partim etiam Dafilæ Canfilæque regiones Barngaſſo ſubjectæ; à Meridie adjacet Gorhan Deſertum; à Septentrione autem Ægyptus, in quo Haythonius etiam nobiſcum convenit.

Amplitudo. Ad longitudinem Nubiæ Nilo amni prætenſam quod attinet, eſt ea itineris bimeſtris, & amplius.

Loca. Veteribus Nubiæ caput fuit *Tenupſis*, Nilo appoſita; at è recentioribus quibuſdam *Condari* conſtituitur metropolis, qui Tabulis Turcicis ſuam confirmant ſententiam; aliis vero magis peritis primaria Nubiæ urbs eſt *Dangala*, in qua dena ædificiorum male excreta lignoque materiatorum millia recenſent. Poſteriores nullius vaſtiſſimo hoc in regno oppidi præterea meminere, ſed caſtellorum aut vicorum duntaxat in Nili ripis. Marmolio regni caput *Cervac* nuncupatur.

Verum incolæ ceteris omnibus peritiores rerum domeſticarum, Nubæ ſeu Nubiæ regionem, ab urbe *Nuabia* capite nomen fuiſſe mutuatam affirmant, ſtatuuntque comprehenſarum Nubia regionum metropoles *Cuſa*, *Ghalva*, *Dancala*, *Talac*, & *Sula*. Cuſa urbs, lineæ ſubjecta Æquinoctiali, à Nubia regni capite ſenis diſtans itineribus, haud procul abeſt à Nilo. Ghalva ſedet in Nili ripa, ſub Dancala urbe itidem oppoſita Nilo, ſed quinûm intercapedine itinerum; adeo ut Ghalvanis facilis in Ægyptum profectio ſit.

Ghalva autem & Ialac oppida ſex dierum iter terreſtre disjungit, quod ſecundo Nilo longe breviore tempore peragitur. Monendum hoc loco duxi lectorem, quod Talaca ab urbe in Ægyptum navigaturi, ubi Gianadium ad montem pervenerunt, ob occurſantes hoc loco ſcopulos ſive cataractas, terrâ iter cogantur ingredi, ſuaſque è navibus merces camelorum dorſis imponere. Haythonius Nubiam inter atque Ægyptum locat Dertum Arane, duodecim dierum itinere porrectum.

Soli qualitas. *Fruges.* Et hujus regionis parti haud exiguæ ſtatis anni temporibus Nilus fœcundus innatat; unde iſta variarum frugum copia exiſtit. Abundat porro Nubia pecoribus arundinibuſque ſaccharíferis. Sacchari autem excoquendi purgandique artem cum Nubienſes ignorent, id nigrum adſciſcit colorem, ſaporemque ingratum. *Animalia.* Gignit Nubia venenum tam efficax, ut ſi granum unicum in denas diſſectum particulas totidem porrigatur hominibus guſtandum, certo certius omnibus horæ quadrante elapſo mortem ſit allaturum; ſin autem ſinguli grana ſingula accipiant, momento temporis diſrumpunt. *Venenum.* Aurum hic & purum, & copioſum, Zibethi item, eboriſque ob elephantorum multitudinem, copia. *Metalla.*

Metropolitani plerique mercaturæ ſtudia ſectantur; qui vero vicatim habitant, agros ſuos colunt. *Incolarum ſtudia.* Ceterum utrique bellicoſi ſunt, ac picis inſtar toto corpore nigricant, ob immoderatos Solis ardores.

Peculiaris Nubienſibus eſt lingua; ſacra autem ſua celebrant Tangico, de quo ſupra meminimus, idiomate; quod etiam Bugienſes faciunt. *Lingua.*

Ad vagabundorum, qui ſe Ægypti Minoris, hoc eſt, Nubiæ gentem dicunt, linguam quod attinet, illi pro regionum, in quibus ſedent, diverſitate, ſuum diverſificant idioma. Verum alii putant, hos iſtorum eſſe reliquias Nubiorum, qui ab Ægypti Sultanis expulſi, mendicorum habitu Palæſtinam, Syriam, Anatoliamque penetrantes, Helleſponto trajecto, per Thraciam ac circum-Danubianas regiones ſe diſſipaverunt. Conſequenter iidem narrant autores, quod qui hac ex gente in Europa viſuntur, vetus majorum ſuorum inſtitutum prædandi, errandique Nomadum ſeu Numidarum de more, non ſolum retineant, ſed linguam etiam antiquam. Ad probandam vero conjecturam hanc ſuam adducunt, diverſum his erronibus à reliquis omnibus gentibus idioma eſſe, quos nos Ægyptios aut Sarracenos, uſitatius autem Bohemos dicimus, Germani *Ziegeiner*, ſeu *Heiden* appellant, hoc eſt, Gentiles & Idololatras, Belgæ *Heidens*, & Itali *Zingart*, ſed *Cingari*, quod nomen proxime ad Leonis zinganes accedit, qui eos in Nubienſium locat confinio, eademque indole donat, quæ prorſus per Europam errantibus ineſt. Ceterum Hiſpanis Gitanos, hoc eſt, Ægyptii vocantur.

Auri, Zibethi, ligni, Hiſpanis Sandalos dicti, eboriſque dives copia prædivites incolas efcit. *Opes.*

Omni huic regioni rex unus imperat. Quod vero ad Religionem pertinet, Templa adhuc ultra centum ac quinquaginta invenias, in quorum parietibus Crucifixi, Deiparæ, Sanctorumque expictæ in parietibus viſantur effigies, ſed vetuſtate attritæ, ac pene obliteratæ. Ceterum incolæ, ut quidam referunt, nec Chriſtianorum inſtitutum ſequuntur, nec Turcarum, nec Maurorum, nec Iudæorum; perhibent autem fuiſſe eos quondam Chriſtianos. Ex adverſo Haythonius aſſerit, eſſe adhuc Chriſtianos; additque Brocardus, Baptiſmum hic peragi candente ferro in aliqua corporis parte Crucis ſigno Abiſſinorum more impreſſo. His & aliorum quorundam accedit autoritas, affirmantium Nubienſes hodieque Chriſtianum profiteri nomen, ſed Templis integris carere, ruinis duntaxat extantibus: nullos hîc eſſe Epiſcopos, nullumque hîc Divinum celebrari officium. *Religio.*

Tombut

TOMBVT. *Nomen.*

Tombut, ſeu *Tongubutu* regnum ab oppido quodam ſuo nominis appellationem accepit, condito à Menhe Suleimano Rege anno Hegyræ 610, hoc eſt, anno Gratiæ 1250. Oppidum hoc à quodam Nigri ramo abeſt milliaribus circiter duodecim, à Darha vero, ſeu Segelmeſſa regione 900, ſive trecentis leucis. Ædificia ejuſdem creta conſtant lignoque, tectis mapaliorum in modum ex ſtramine ſuperimpoſitis. *Situs. Loca.*

Eſt tamen hic magnificum Templum, opus architecti cujuſdam Granatenſis ex Hiſpania, è lapide ac calce eleganter exſtructum, cum ampliſſimo Palatio Regis ſede. Ceterum hoc oppidum crebris ſolet incendiis atteri. Iarricus longe omnium accuratiſſimus in relationibus ſuis, regnum hoc *Tongubutu* nuncupat, quod nomen etiam Sanutius poſt Tombut vocabulum ponit; poſteaquam enim regnum ipſum Tombut appellavit, caput ejus Tomgubut vocat, quam nominum differentiam fruſtra affectat; cum manifeſtum ſit nomen metropolis & ipſi regno eſſe commune. Eſt eodem in regno Cabra oppidum, duodecim circiter à Tombut oppido milliaribus. Adſidet id Nigro amni, quo ſecundo mercatores navigant, in Melli Guineamque regiones ituri. Ædificia hujus oppidi ejuſdem ſtructuræ ſunt, cujus Tombutana. *Cabra.*

Soli qualitas. Aqua. Frumentum. Sal.

In urbe Tombut crebri ſunt putei dulcibus aquis referti. Frumentum hæc regio, atque animalia gignit feliciſſimo proventu, à quibus iſta lactis ac butyri eſt copia: at ſalis ibidem difficillima annona eſt; quem Tegaza advehant neceſſe eſt, Tombuto quingentis milliaribus disjuncta. Equi hic minuto ſunt corpore, qui aut deambulationi per urbem ſerviunt, aut mercatorum itinera portando reddunt expeditiora. At præſtantes equos Barbaria mittit, quorum numerum, ut primum advenere, annotari Rex jubet, &, ſi duodenario ſit major, optimum pro ſe eligit, ſolvitque precium juſtum. *Equi.*

Incolarum mores.

Sunt incolæ plerique hilari ingenio, deditoque voluptatibus, præcipue qui in urbibus habitant. Hi igitur duabus ante Solis occaſum horis uſque ad horam noctis primam per urbis vicos muſicis inſtrumentis ludentes ſaltanteſque inambulant, dum mancipia eorum, quæ utriuſque ſexus plurima tenent, domeſtica curant negotia.

Merces.

Tombutanos Cabranoſque mercatura locupletat; grandem quippe pecuniam ex Xilinis textilibus ſuis redimunt, quam denuo in emendis pannis Europæis ex Barbaria advectis, ſale item libriſque, qui magno hic in precio ſunt, ex parte conſumunt. Sed hos ſumptus multis partibus iterum frequens mercatorum adventus inſtaurat; non enim Feſſani ſolum Maurocanique Tombutum frequentant, ſed Cairani etiam numero non parvo, quod Mandingæ populi huc tantum auri apportent, ut reportent ſæpe domum ob mercium defectum, quibus id permutatum venerant.

Religio.

Incolæ horum locorum Mahometani ſunt, multique inter nefandæ legis interpretes ſacerdoteſque; nec aliam ob cauſam, quam ad illuſtrandam hanc ſectam, tot ex Barbariæ regione huc advehuntur volumina.

GAGO. *Nomen. Limites.*

Regno *Gago* nomen à capite ſuo quæſitum eſt. Terminos id habet ab Oriente Guber regnum, trecentis circiter milliaribus hinc diſſitum, ob intercedentem vaſtiſſimam ſolitudinem; caput autem ſeu metropolis regni Gago diſtat quadringentis Tombuto verſus Meridiem, ſeu potius Orientem Brumalem milliaribus.

Gago urbs.

Gago oppidum nullis mœnibus circumcingitur, domoſque habet pleraſque ineleganti ſtructura, ac male materiatas, reliquis pro cultu iſtorum locorum ſat magnificis, inſtructiſque, quas inter primatum tenent Palatium Regis, domuſque concubinarum, (quarum numeroſam Rex alit catervam) & mancipiorum eunuchorumque, quibus lubricæ hujus mercis demandata cuſtodia eſt, habitationi comparata. Cetera regni loca vici ſunt, in quibus plebs infima, aut ruſtica gens degit. *Loca.*

Soli qualitas. Fruges, fructuſque.

Abunde huic regioni de frumento, oriza, ac pecoribus proviſum eſt: at vino eadem caret, & fructibus pleriſque, ſi melones, cucumeres, cucurbitaſque excipias, quibus æque bonis non facile ſiç alia terra abundat. *Aqua.* Urbs Gago probe dulcium puteis aquarum inſtructa eſt. *Aurum.* Auri item in hoc regno magna copia effoditur. Atque hinc, Moqueto teſte, Maurocani id petunt. *Incolarum mores.* Incolæ omnino rudes ſunt, adeo ut intra centenûm ſpatium milliarium vix unus, aut alter ſit, qui vel legere noverit.

Cultus ratio.

Oppidani tamen multo reliquis ſunt cultiores. Qui vicos tenent, partim excolendo agro ſtudent, partim etiam pecori paſcendo; horumque veſtis hyberna eſt ex pelle animalis cujuſdam: at per æſtatem corpore pedibuſque nudi incedunt, coopertis duntaxat pellicula verendis, ac interdum applicitur plantis ſolea camelino ex corio.

Opes.

Rex Gago magnos è regno ſuo reditus percipit, cum ob auri domeſtici copiam, tum ob fertilitatem ſoli, ſtupiditatemque incolarum, quos ſic impoſitis gravat tributis, ut ægre vitam tolerent.

GVBER.

Guber regnum Gagoano à regno trecentis verſus Ortum milliaribus diſtat, interpoſito hæc inter regna deſerto, nullis, aut certe exiguis aquis riguo, & à Nigro amne quadragenis circiter milliaribus remoto. *Situs.* Situm Guber ſortitur duos inter montes præcelſos, frequentibus idem caſtellis ac vicis diſtinctum; *Loca.* quorum præcipuus, quondam Regum ſedes, univerſo regno nomen impoſuit, è ſenis circiter millibus ædificiorum compoſitus.

Soli qualitas.

Augeſcente Nigro flumine haud tenuibus incrementis, campos omnes prædictis locis vicinos aquæ obſident; nec tamen ideo ſationem incolæ negligunt, ſed ſementem aquis commendant, ut eam ad terram tranſmittant. *Frumentum.* Ingens hic milii, orizæ, & aliarum copia frugum, quas neſcit Italia gignere. *Animalia.* Ovibus item, bobuſque abundant incolæ, ſed minus proceris.

Incolarum ſtudia.

Sunt Guberani moribus ſat cultis, interque eos textor, & ſolearius eſt pluris. Rex Tombut, qui vectigales Guberanos fecit, tam gravia iiſdem tributa imponit, ut qui ſub regibus ſuis divites erant, nunc egeni eſſe videantur.

BITO. *Confines.*

Bito regnum terminos habet ab Occidente Guber regnum; à Septentrione Cano & Zegzeg

regna; ab Oriente autem Tenoam regnum. Nobis de hoc regno nihil aliud conſtat, quam quod
Opes. divitiis affluant incolæ, quibus ſuus eſt Princeps. Ceterum gens hæc omnino agreſtibus moribus eſſe fertur.

TEMIAM. *Nomen. Limites.* *Temiam* regnum, quod nomen apud Ananiam *Iemiam* legitur, Typographi fortaſſis incuria, includitur ab Occaſu Bito regno; à Septentrione Guangara; ab Ortu Sert & Seu Deſertis; & à
Loca. Meridie Nigro flumine. Locus in eo memorabilis eſt, ſecundum Huëz *Temican.* Incolæ ſunt Anthropophagi, ſeu humanis carnibus veſcuntur. Iiſdem præacuti ſunt dentes, quales canibus. Plura hoc loco referre nequimus.

ZANFARA. *Limites. Soli qualitas.* *Zanfara*, ſeu *Ianfara* regnum, Zegzeg regnum limitem Occiduum tenet. Solum ejus fertile eſt frumenti, orizæ, milii goſſypiique.

Incolarum diſpoſitio corporis. Incolarum corpora procera ſunt, ac inſigni nigritie affecta. Facies illis nimia latitudine deformis, labraque ea craſſitudine, Anania teſte, quæ humanò eſt digito.

Mores. Vt corpore, ita & moribus ingenioque non procul à pecudum abſunt natura.

Regimen. Tombuti Regibus parent, ex quo Izchia Rex ſublato Principe eorum veneni vi, regionem hanc ſuæ ditioni conjunxit.

GVANGARA. *Nomen.* *Guangara*, ſeu *Gangara* regnum clauditur Zanfara regno, qua hoc verſus Ortum hibernum porrigitur, terminatum à Meridie regionibus
Limites. quibuſdam, auri metallo ſcatentibus. Nullis hic oppidis, ſed vicis habitatur, quos humiles caſæ occupant, primario excepto, qui & major eſt
Loca. reliquis, & elegantior.

Opes. Præcipuus Regis cenſus annuus à vectigalibus & mercibus eſt. Incolæ opibus valent, quod longe lateque negotientur, auriferamque habent ab Auſtro regionem, ad quam tam inexpeditum atque aſperum anguſtumque iter eſt, ut ſublatæ è dorſis animalium merces mancipiorum capitibus imponantur, reſque neceſſariæ in excavatis ficciſque deferantur cucurbitis. Singula vero mancipia centeno licet pondere gravata, dena poſſunt die uno milliaria conficere.

GORHAN. *Limites.* Claudit Gorhan regnum ab Oriente Nilus; ab Occidente Medra regnum; à Septentrione Gaoga regnum; à Meridie vero montibus quibuſdam, ſmaragdorum copia memorabilibus, quique Iudæorum regioni dant terminum.

Incolarum mores. Miſerrimam incola gens vitam degit, obmultiplicia, quæ in loco deſerto tolerat in commo-
Lingua. da. Linguam ejus extraneus nullus intelligit, utpote belluarum murmuri ſimillimam.

Opes. Eſt tamen eadem gens dives, nec mundi rerum omnino ignara.

Regimen. Paret regi ſuo, qui juſte imperat, quod proprium regum officium eſt.

MEDRA. *Limites.* *Medra*, regnum in Nigritarum latiſſime patente regione, continuatur ab Ortu regno Gorhan; ab Occaſu Dauma regno; à Meridie regione Iudæorum; à Septentrione autem Borno.

Incolarum mores. Regimen. Incolæ divites ſunt, & Gorhanorum exemplo Principi ſuo obtemperant.

DAVMA. *Limites.* *Dauma*, itidem in regione Nigritarum regnum, finibus Medra ab Oriente connectitur; à Septentrione Deſerto Seth; ab Occidente Seu deſerto; & à Meridie Iudæorum regione.

Daumanis & ipſis divitibus ditiſſimus eſt Prin- *Opes.*
ceps.

Ominoſum incolis videtur ſi forte Princeps ſeu *Regimen.*
Rex eorum terram contingat; quo caſu imperandi tamdiu poteſtatem ejus ſuſpendunt, donec ab hac labe intercedentibus ſollemni ritu ſacrificiis purgatus eſſe videatur.

Deſertum *Seth*, Nigritarum regionis portio fini- SETH
bus clauditur à Septentrione Borno regno; à *Deſertum.*
qua Sol oritur, regno Medra; qua idem occidit, regione quadam aurifera; & à Meridie Dauma regno.

Deſertum Seu terminatur à Septentrionibus re- SEV
gione Aurifera; ab Oriente Dauma regno; à *Deſertum.*
Meridie montibus quibuſdam incognitis; & ab Oriente Beni regno. In hoc ipſo Deſerto Nili fontes Leo conſtituit.

Regio Iudæorum, Sanutio *Terra di Giudei* ap- IVDÆO-
pellata, in recentioribus Patrum Societatis Ieſu RVM
Relationibus regnum *Semen* Italice indigetatur, *Regio.*
loco *Ximench*, ſeu *Ximen*; Itali namque (quorum *Nomen.*
lingua primum Relationes hæ publicatæ ſunt nobis) literam X abjiciunt, ejuſque loco ponunt S, & hunc ſcribendi modum quoque ſecuta eſt Tranſlatio Gallica.

Spectat hæc terra ad Nigritarum regionem, *Limites.*
montibus fere tota incluſa. Terminos autem habet ab Oriente partem horum montium, ac Deſerta quædam, montes item incognitos, qui Nilum verſus atque Abiſſinorum Imperium ſeu juga explicant; à Meridie lineam Æquinoctialem, quo loco montes quidam viſuntur verſus Congo regnum protenſi; ab Occidente, montes atque Deſerta incognita, verſus Benin regnum porrecta; à Septentrione vero montes regnis Dauma Medraque obverſos.

Luſtratis hucuſque mediterraneis Nigritarum regionibus, cupido nunc eſt atque cura, revocato curſu, maritimas petere regiones, Gualata regno pro carceribus relicto.

Antequam longius abiremus, operæ precium GVINEÆ
facturos nos eſſe duximus, ſi veluti compendio *Littus, & Regio.*
quodam evolverentur ea, quæ Guineæ nomen involvit; ut his ita præcognitis ad particularium cognitionem deſcriptionum paratior lectoris animus accederet. Dividunt autem Luſitani Gui- *Dimenſio.*
neam in partes duas, *Superiorem* ac *Inferiorem*; *Superiorem* vocantes illud ſpatium terrarum, quod Senegam amnem inter, cujus in Oceanum Atlanticum eſt exitus, ac Congo regnum interjacet; *Inferiorem* vero illi tractui aſſignantes, qui intra Congo & Angola regna eſt, Inferiori Æthiopiæ vicina. Sed nunc longiſſimi littoris ineunda dimenſio eſt.

Computantur igitur, ſinuoſum littus dimen- *Loca.*
ſione ſemper ſequente, à Senega amne primum uſque ad promontorium Viride quadraginta quinque leucæ, ſecundum Gallicam dimetiendi rationem acceptæ, qua viginti quinque leucæ gradum unum in ſphæra globoque terræ conſtituunt; tum promontorio prædicto, ac Geloforum regno Barbezinum littus cum *Barbecinorum* ſeu *Berbecinorum* regione continuatur, in qua ſunt regna *Alè*, & *Brocalo*, quorum illud ad Gambram flumen, Luſitanis *Rio de Gambia* dictum, accedit, circum quod Cadamoſtus Sanutiuſque *Gambea* ſeu

Gambra

Gambra regnum ſtatuunt, explicante ſe etiam in utraque fluminis hujus ripa Mandinga regno; cui à Meridie jungitur *Bena* ſive Suſorum regnum. Intercedunt autem inter promontorium Viride & Gambram amnem leucæ viginti quinque. Iuxta oſtium Gambræ in angulum ſe terra coarctat, quem S. Mariæ promontorium vocant, à quo ad S. Dominici flumen uſque, Portugallis Rio de *S. Domingos*, & Hiſpanis *Domingo* dictum, leucæ numerantur tricenæ; habiturque intercedens ſpatium ab *Arrearis* Falupiſque duobus diſtinctis Nigritarum populis. Ex hac regione Cazamanca amnis exit in mare, in cujus ripis à Septentrione *Iahundi*, & à Meridie Benbunii ſedent, confines ab Oriente regnis *Caſangas* ſeu *Caſamances*, quorum vicini ſunt *Burami*, loca amni S. Dominici prætenſa incolentes, ad cujus ramum quendam Munimentum S. Philippi à Luſitanis eſt conditum. Præter S. Dominici amnem, inſulæ quædam hoc loco non magnæ, ſed frequentes incolis viſuntur; Buramos item, populi, quibus ſuus eſt Rex; ultraque has Meridiem verſus, plures aliæ occurrunt, à quadam Nigritarum gente *Bijagos* dicta, habitatæ. Omnes has inſulas amœnitas fertilitatis ſocia commendat, utpote quas copia irrigat, & multarum viriditas arborum conveſtit.

Inter jam dictas inſulas *Rio Grande*, ſeu flumen ingens, decurrit in mare, cujus Boreali ramo, *Guinala* dicto, ac cognomini regno contermino deſcenditur in Portum, nominis cum ipſo ejuſdem, qui præcipuus in hoc tractu eſt, adædificato vico ac Munimento inſignis. Omnis hæc regio à Nigritis incolitur Beafaris dictis. Altero amnis Rio grande ramo, qui ſupra ramum Guinala viſitur, ad portus *Biguba*, & *Bolola* navigatur, quorum hic ſedes eorum eſt, qui Luſitanis *Taugos Maos*, ſeu *Lanzados* dicuntur. Verum Bigubano portui vicus adjacet, in præcipuis, quos in Guinea poſſident Luſitani, computatus; ipſa vero regio appellatur Regnum Biguba, Beafaris quoque poſſeſſum.

Ceterum, etſi Iarricus à promontorio S. Mariæ uſque ad amnem S. Dominici triginta leucas dinumeret, minori tamen leucarum numero hoc ſpatium locorum gnari definiunt. Quod reliquum Guineæ eſt, paulo poſt deſcriptioni addita Tabula oſtendet.

GELOFORVM *Regio. Nomen.* Cuidam regio hæc Gelofa, incolæque Gelofi appellantur; at aliis terra ipſa Regnum Senegæ ſeu Ialoforum dicitur.

Situs. Situm tenet hoc regnum, quod longo in mediterranea ſpatio producitur, inter duo Nigri brachia, Senegæ & Gambeæ, ſecundum Ptolemæum vero, Daradis & Stachiridis nominibus mare ſubeuntia. In ripis iſtorum loca incolis frequentia plurima viſuntur, & ſane major, quam à Ptolemæo relatus ſit, numerus eorundem. Ceterum Geographi hoc regnum in Septentrionali Guineæ confinio locant.

Loca.

Limites. Terminatur porro ab Oriente regione Tuchuſor, quam Sanutius Ialofos Nigros appellare videtur; ab Occaſu Oceano; à Septentrione Senega amne; & à Meridie Gambea regno, aut, Iarrico autore, regione Berbecinorum, qui tamen à Marmolio inter Gelofos recenſentur.

Dimenſio. Longitudo regionis ab Occaſu in Ortum computatur leucarum centum ac viginti quinque, & littus ejus, Sanutio teſte, protenditur ſpatio miliarium 200, ſeu leucarum 66.

Sub Geloforum nomine plures comprehenduntur populi, quorum à parte Senegæ amnis, clariores ſunt *Barbacini*, Iarrico *Berbecini* dicti, *Tucorones*, *Caralogi*, & *Bagani*: à parte vero Gambeæ fluminis, notiores ſunt *Fulli* (quos Iarricus, ſi recte memini, *Fullos Gaſallos* Luſitanice appellat.) *Maniingani*, quorum metropolis eſt *Songo*, promontorio Palmarum è diametro obverſum, ac 240 leucis in interiora recedens; ac *Moſſi* gens præpotens, Nigritas inter & Moſſalam regionem ſedens.

Ceterum regni, quod Iarrico Senegæ aut Ialoforum ſignatur cognomine, caput eſt *Tubacatum*, Regis ſedes; in littore vero celebria loca ſunt *Callo*, *Angra d'Almadias*, hoc eſt, minorum receptaculum navigiorum, & *das Palmas*, ſive Palmarum, mari ſingula appoſita. In hoc item regno Portus ſeu Sinus *Bezeguchianus*, ſeu *Bezigucanus* locatur, in quo inſula appellationis ejuſdem, licet à quibuſdam Palma vocetur; tum Borſalo, locus in littore; poſt *Dallia*, locus à promontorio Viridi leucis tantum octonis remotus.

Gambea amnis. Porro adverſo Gambea amne Cantorum verſus abitur, unde aurum Luſitani quærunt, octoginta recto ejus alveo, ſinuoſo verò centum & octoginta leucis in mediterranea aſcendentes, ac reliquam itineris partem majorem terra conficientes. Ceterum Gambea amnis Nigritis *Gambu* dictus, in Mani-Ingæ Provincia Deſertis oritur.

Cœli, & Soli qualitas. Magni hic maximam anni partem calores moleſti ſunt incolis; Ianuario namque menſe Sol acrius urit, quam apud nos menſe Aprili aut Majo.

Aqua. Scatet præterea regio dulcium lacubus aquarum, non magno tamen ambitu diffuſis, fontibuſque prope innumeris. Solum ipſum in planitiem diffuſum natura fœcundum eſt, & ad quævis copioſe ferenda idoneum, præcipue qua id prædictis amnibus duobus accedit, quibus hiberno tempore penitus rigatum, æſtivi caloris vi paſſim ſic hiat, ut cavernam ex caverna texere videatur.

Fruges. Siccæ terræ frumenti, quod *Mahiz* appellant, ſemina committunt, tegentes ea duntaxat modica arena, nec ullam præterea culturam adhibentes, qua re mirifice ad herbeſcendum eliciuntur. Sin autem madefacta molliſque reddita ab innatantibus fluminibus terra, dein ſolaribus nimium dureſcat radiis, commiſſorum terræ ſeminum impeditur profectus. Fruſtra autem hic aliquis noſtras ſeret frumentum, niſi id forte facturus ſit apud Carægolos in campis, queis vicina Deſerta ſunt, ubi copia quidem exigua, ſed ipſo Hiſpanico majus frumentum perfectiuſque colligitur; nec ſiligo hic aut zea facile proficit; ſed fabæ hic ac phaſeoli inuſitata alibi magnitudine naſcuntur; atque apud promontorium Viride orizæ abundantia viſitur, & cujuſdam frumenti, quod *Manigeta* incolis dictum, acri piperis inſtar ſapore eſt. De milio quod eſt, id duplicis hic generis eſt, alterum magnitudine ſeu craſſitudine ciceris, minutius alterum. Sementem incolæ faciunt

Iulio

Iulio menſe, meſſis vero in Septembri incipit, circa quod tempus pluviæ inchoant, ac flumina intumeſcunt.

Fructus. Uvis ac vino noſtratibus carent; at hunc defectum vino palmeo ſupplent, abundantque dactylis, malis aureis citreiſque, oleo gratiſſimi odoris, ac ſaporis ſimillimi oleis noſtris, quo veluti croceo colore cibi imbuuntur. Adſunt præterea nobilium arborum genera varia, herbæque, & paſcua pecoribus alendis benigna.

Animalia. Pratorum igitur fœcunditas cauſat iſtam boum, vaccarum, caprarumque copiam; at boves hic & vaccæ, quemadmodum etiam in reliqua Nigritarum regione, longe minori ſunt proceritate ac mole corporis, quam apud nos. Accedunt ad domeſtica animalia cameli, muli parvi, aſinique; in ferarum autem numero ſunt leones, leopardi, lynces, lupi, hinnuli, lepores, elephanteſque ſilveſtres, catervatim per denſa ſilvarum errantes, ſimiæ grandiores, hiſtrices hiſpidæ, & ſerpentes ea magnitudine, ut integram facile capram una vice degulent.

Aves. Ex volatilium turba pſittaci crebri primò ſe offerunt, quos tamen incolæ oderunt, quod fructibus vehementer noceant.

Ceterum pſittaci hîc duplices ſunt, majores, & minores, quorum illi collum cinereæ, reliquum corpus aut virides, aut flavæ conveſtiunt plumæ. Gallinarum etiam, anſerum plumis, differentium à noſtratibus, columbarum, ardearum, aliarumque minorum avium greges hic numeroſi cernuntur.

Piſces. In piſcibus frequentiores ſunt cyprini, cancri, atque alii varii generis, præcipue certis quibuſdam anni temporibus.

Mores incolarum. Diſpoſitio corporis. Incolarum corpora admodum niger color imbuit; at eadem rurſus membrorum honeſtat proportio, & à triplici aut etiam quadruplice per diem lotione profecta mundities; iidem tamen ad prandium ſeu cœnam mores nimis agreſtes adferunt. Cum loquuntur, pavonum, aut Gallorum Numidicorum in morem, exporrecto collo ſe quaſi in ſermonem præcipitant.

Studia. Sunt porro ad veneficia, laſciviam, rapinas, fraudes & mendacia vehementer proclives, & ſupra fidem guloſi, ut non humano manducare more, ſed belluarum inſtar, appoſitos devorare cibos videantur. Mulieres domeſticorum pertæſi amorum, externæ ſe libidini jungunt avidiſſime. Hinc zelus ille maritorum, & modica, quam extraneis adhibent, fides. Hoc laudis habent, quod domeſticarum rerum ſat periti ſint, iidemque affabiles, miteſque in exteros, quibus ſæpe gratuita offerunt hoſpitia.

Veſtiendi ratio. Veſtibus ſub iſto cœli ardore, queis corpora tegant, non indigent; quamobrem pellicula caprina, aut linteo velamine, præcipue promontorii Viridis accolæ, verenda tantum abſcondunt. Opulentiores tamen, quibus major honeſtatis eſt cura, ex goſſypio domi nato, ac muliebri labore neto, contextis operiuntur induſiis.

GAMBEA, ſeu GAMBRA. Sanutius, ab Ludovico Cadamoſto, ex Veneta Moſtorum familia oriundo edoctus, Ialoforum regno ſubjungit *Gambra* ſeu *Gambea* regnum, non ſatis aperte innuens ſeparatúmne regnum ſit, an Guineæ regno comprehenſum.

Verum hoc in bivio Sanutius, veritus, hac regione omiſſa, ut lectorem imperfecte inſtruxiſſe videatur, ſeparatim eam deſcribit, ſeparatoſque eidem terminos aſſignat.

Situs. Itaque minutum hoc regnum Senegæ regni finibus verſus Septentrionem, ac Gambræ flumini accedit. Refert Cadamoſtus, obſervaſſe ſe, alterum Iulii menſis diem horarum hic duodecim & mediæ fuiſſe.

Cœli ſolique qualitas. Perpetuis ferme terra hæc caloribus aduritur, ſub hyemale tempus duntaxat remittentibus; quippe à capite Iulii menſis uſque ad exeuntem Octobrem ſingulis prope diebus, idque ſub meridiem, imbres hic cadunt. Tunc autem inter Ortum Æquinoctialem Ortumque Solſtitialem, aut inter illum Ortumque hibernum adſiduæ nebulæ cum fulgure & tonitru aſſurgunt, quos mox pluviæ excipiunt; & hoc ipſum incolis tempus ſerendi eſt. Ceterum aqua iſta pluvia à calido, quem permeat, aëre, decidua calefacit. *Aqua.*

Arbores. Littus, ſeu qua mari vicina regio eſt, depreſſius ſive humiliore ſitu, craſſitudine immani arboribus veſtitur, diſpari ſane altitudine; cum quædam ex iis ſeptendecim craſſitudine paſſus contineant, altitudine vero vicenis ſolum aſſurgant.

Fruges. Ferax eſt Gambra milii, leguminum, atque orizæ, quæ abundantius hic quam Senegæ in regno naſcitur; dactylis item, ſed minutis illaudatiſque.

Animalia. Ex animalibus minores majoreſque ſimiæ, utræque generis varii occurrunt, vili divendi ſolitæ; elephantes etiam, ſed feri ſive ſilveſtres, quos cum edomare Gambrani neſciant, inter venandum eoſdem interimunt.

Incolarum mores. Barbaro olim ac crudeli ingenio incolæ fuerunt; at ex quo cum Chriſtianis egere, humaniorem naturam induerunt. *Victus ratio.* Victitant illi milio, leguminibus, lacte, ac carnibus, à canina etiam non abhorrentes; quod tamen de reliquis Nigritarum populis nulli hucuſque autores, qui quidem lecti ſunt nobis, memoriæ prodidere.

Cultus ratio. Induſiis goſſypinis coloris albi corpus, albiſque galeris, ſupereminente in medio penna ſeu criſta, caput maſculinus ſexus operit. Fœminis ſimilia virilibus induſia ſunt; at ex his adoleſcentulæ pectus, brachia collumque ſolent acu pungere ad Phrygii operis normam prope, ac deinde acus veſtigia candente igne æternitatis deſtinatione adurere, ut judicio ſuo tanto ſpecioſiores appareant.

Ialoforum ſecundum littus ſeu ordinem littoralem, verſuſque Meridiem vicinos *Berbecinos* perhibent, quos cum Cadamoſto Sanutius Barbecinos appellat, locans eos è regione trium inſularum cognominum.

ALE' & BROCALLO. *Nomen. Situs.* Pertingit autem Berbecinorum nomen duo ad regna, *Alé*, & *Brocallo* dicta. Præcipui ſeu celebriores appulſu navium portus ſunt *Alé* & Doxala; & Brocallo regnum multis partibus amplitudine ſuperat alterum; ſpectat enim ad Gambeam flumen uſque. *Loca.* Sedent in ripa Gambeæ vici complures, magnitudine ſua atque elegantia cenſendi.

Ceterum

Soli qualitas. Ceterum ambiens Gambeam tractus fertiliſſimus eſt; inſulas vero, quas amnis hic excitavit, arborum in iis copia ac cervorum cervarumque ac aliarum venatio ferarum, cum avium frequentia, inprimis reddunt amœnas.

Barbecinorum inſulas in mari, quas Luſitani *Ilheos de Barbacene* nuncupant, quod attinet, ultra promontorium Viride, ac prope Ialofos ſpectabiles, carent incolis; arborum tamen grata perpetuaque viriditas, ac frequentes Europæ noſtræ aves incognitæ eaſdem commendant. Porro inſulis hiſce mare vicinum piſces alit prægrandes ac laudati ſaporis, præſertim illos qui Gallis Dorades, & Hiſpanis Doradillos dicuntur, quindeno interdum pondere; quibuſlibet piſcandi libertate relicta.

Incolarum mores. Incolæ in Nigritarum nigriorum ſunt numero, ſed membris rite ad decorem formatis, ingenio autem, Sanutio teſte, crudeli ac ſævo. Quas regnum Alé virgines habet, hæ cutem per omne corpus in varias animalium curant incîdi figuras, quibus plagis deinde Tangorum Maorum more herbidum ſuccum quendam indunt, cujus vi perpetuæ apparent, ratæ hoc ſe modo formoſiores videri.

Eandem ob cauſam his venuſtatis affectatricibus labra, præſertim inferius, ſpinis perforant, veſtigiiſque ſubito bacilla ſeu virgulas inſerunt, ut hoc veluti pondere à ſuperiori divaricetur, craſſiuſque ad majorem ſcilicet elegantiam cum tempore evadat.

ARRIARI & FALVPI. Qui inter promontorium S. Mariæ amnemque D. Dominici terrarum eſt tractus, tricenis circiter leucis porrectis, hunc *Arriari Falupique*, barbaræ gentes obſident, apud quas Caſamanſa flumen profluit.

Incolarum mores. Populi hi feris atque agreſtibus ſunt moribus, aut piſcationi, aut paſcendo pecori, aut agro colendo addicti. Cum Luſitanis tamen his ipſis commercium eſt. *Opes.*

CASANGAS. *Nomen. Limites.* Caſangarum regio, quæ & *Caſamanſa* dicitur, Ra amnem circumſidet, qui Iarrico Caſamanca dictus, Benhunos à Meridie accolas habet, Caſangis ab Oriente confines, quorum vaſta regio eſt: Regia autem ſeu Regis ſedes leucis ab oſtio fluminis decem conſpicitur. Ceterum leucis ultra Gambeam vicenis Ra flumen occurrit, quod Caſamanſam regionem perlabitur, navigiorum longo tractu patiens, ac ripa utraque frequens incolis. *Amnes.*

Hinc ad oſtium amnis S. Dominici eſt iter, circum quod varii Nigritarum populi late incolunt; tum ſe offert flumen *de las Iſletas* Hiſpanis dictum, quod Papaijorum regionem interſecat, quæ gens mihi una eademque cum Iarrici Buramis eſſe videtur. Fluminis hujus oſtio duæ Papaijorum inſulæ adjacent. Inde altum petenti viſuntur inſulæ *Bigiohos*, quæ Iarrici *Bijagos* ſunt, & ſingulæ quidem ſuos dominos habent, ſed ſtipendiariæ ſunt Inſulæ Pulchræ Regi, quam Luſitani *Ilha Formoſa*, & Hiſpani *Iſla Hermoſa*, ſeu *Iſla de Po* vocant, quod Ferdinandus Po eam primus detexerit. *Bigiohos, ſeu Bijagos.*

Iſla de Po. Papaijorum autem regionem excipiunt Biafari, à quibus Biafara regio obſidetur, per quam *Rio Grande* amnis decurrit in mare, ſexaginta ſex

à promontorio Viridi verſus Auſtrum milliaribus. Vlterius procedens *Donalui* flumen conſpicies, incolis *Cocolis* dictum, quod per Maluorum regionem aquas ſuas devolvit. Inde Nunno Triſtan amnis tuis ſe oculis ingeret, quem duarum intercapedine leucarum ſequitur *Tabito*, ſeu amnis *des Vagas* dictus, qui poſtquam Vagarum regionem perfluit, Oceano miſcetur. Hic jam Capæa regio ſe aperit, quam bini amnes *Caluz* & *Caceres* interluunt, quorum beneficio Canariarum incolæ inſularum cum Nigritis commercia exercent. Longius abeunti Marivus flumen, & *Serra-Lionna* mons viſitur; tum Suero amnis promontorium das Palmas promontoriumque de 3. Puntas, juxta Axem interfluens. Quo loco ſui Luſitanis ſunt negotiatores auro emendo. Ceterum Luſitani, qui ſuperioribus temporibus mercaturæ factitandæ cauſa Calamanſam amnem frequentabant, nunc cum Caſangis rami cujuſdam, qui è S. Dominici amne profluit, beneficio id præſtant, quod is inferius nonnihil auſtrum verſus hoc in regnum deſcendat. Atque hic idem ille ramus eſt, cui Munimentum S. Philippi nomine inſignitum, Luſitani appoſuere. *Donalui. Malnci. Vagæ. Cape. Caluz. Caleres. Marivus. Serra-Lionna. Suero. Munimentum Philippicum.*

Eſt porro Caſangarum regio fluminum copia rigua, quæ fertilitatis ejuſdem eſt cauſa. Creberrima Luſitani cum gente hac commercia exercent, quæ in mancipiorum injuſte ſæpe venditorum emptione præcipue conſiſtunt; multis enim ex ſubditis ſuis Rex nefandis legibus perpetuam ſervitutem imponit. *Soli qualitas. Merces.*

Idolum quoddam, *China* dictum, Caſangæ divino cultu venerantur, quod nihil eſt aliud, quam quædam baculorum pulte ex farre triticeo, orizæ miliique conglutinata, ſeries, terræ infixa, ac vaccino caprinoque (id genus namque animalia ei immolant) ſanguine conſperſa. *Religio. Idololatræ.*

Burami S. Dominici amnis accolæ, Caſagis confines ſunt, eorumque nomen uſque ad Rio Grande amnis oſtium, quod magis in Auſtrum vergit, & ad ulteriora adhuc loca pertinet. Vicus hujus gentis præcipuus, octonis diſtat à portu S. Dominici, ſive Iarino milliaribus, atque hoc ipſo in portu horum populorum Rex primus habitat. Quondam Luſitani hic Nigritis erant confuſi, qui deinde, in exſtructo paulo inferius Munimento confederunt. Præter hunc S. Dominici amnem inſulæ quædam parvæ præterea occurrunt, Buramis quoque habitatæ. Ædificia Buramorum ex luto conſtant, frondibus arborum contecta. BVRANI & BYAGI. *Situs. Loca.*

Inſulæ omnes prorſus amœnæ ſunt fertileſque, ut quas grata viriditas arborum obumbret, & crebra flumina humectent. S. Dominici amnis piſcibus abundans, per frugiferum undique ſolum delabitur. *Soli qualitas.*

Utriuſque ſexus incolæ delimatos dentes habent; fœminæ autem, ut ſobrietati aſſueſcant, bene mane os aqua replent, eamque retinent donec laboribus tempus fallant ad prandium uſque, & ne forte ejiciant, & à cibo & à ſermone abſtinent. *Incolarum mores.*

Plures ipſis ſunt Reges, ſed ejus, qui S. Dominici, ſeu Iarinum tenet, veluti Præfecti quidam. Burami inſulani, ſeu qui in inſulis habitant, peculiaribus Regibus obtemperant. *Regimen.*

Veri Dei cognitione carentes idola colunt, *Religio.*

quo à cultu facile eſſent avocandi ; nam & eorum Rex ipſe interdum ſub Miſſæ tempus ad Luſitanorum veniens Munimentum , libenter huic ſacrificio adſtat, & cum ſubjectis ſuis ad offertorium accedit ; ſed non ſunt Baptiſmatis aqua abluti.

Inſularum numerus. Vltra Buramorum inſulas Auſtrum verſus plures aliæ *Bijagorum* inſulæ ſpectantur. Hæ, ſeptendecim numero , Regibus Guinalæ & Beſeguini ſubjectis regionibus objacent.

Soli qualitas. Sunt autem Bijagorum inſulæ pari amœnitate ac fertilitate beatæ ; nam & crebra eas flumina perſtrepunt , & viridantium arborum multitudo longis ordinibus conveſtit , palmarum etiam, vinum , oleum ac alia humanis uſibus ſuppeditantium. *Fruges fructuſque.* Vt in pauca rem conferam, omne ſemen acceptum multiplici fœnore reſtituunt , ac ſine ulla quaſi cultura incolarum commoditatibus conſulunt. *Ferrum.* Magna in iis reperitur oriza, *Cera.* ferri, ceræ, ac *Ebur.* eboris copia. Creſcit hic quoque piper oblongum , Luſitanis *Pimienta de cola* appellatum, quæ merx eſt paſſim accepta , Turcis etiam Sarraceniſque. *Succinum ſubalbidum.* Non raro ſuccinum ſubalbidum ipſa littora offerunt ; ſed quia barbara gens hujus muneris ignorat præſtantiam , idem ab avaris Oceani fluctibus ad ſinum retrahitur.

Animalia. Mores. Varia apud eos terreſtrium animalium genera degunt ; & ad piſces quod attinet, nec ullus hic defectus eorum apparet.

GVINALA & BEAFARI. *Nomen.* Guinala regnum, Nigritis Beafaris poſſeſſum, à Guinala Rio grande amnis ramo, circum quem late ſe explicat, appellationem nominis ſui accepit. *Limites.* Terminatur à Meridie Bijagis ; ab Oriente autem Naluziorum gente bellicoſa ; à qua tamen minor huic regno quam à Bijagis eſt metus.

Loca. Parent Regi Guinalæ ſeptem regna , præter quæ ſena alia quondam poſſedit , nunc à Bijagis uſurpata.

Clariſſimus hujus regionis locus eſt *Guinala* portus, juxta quem Luſitani S. Crucis portum tenent.

Soli qualitas. Regio hæc ad conſervandam humanis corporibus ſanitatem aptiſſima eſt ; nam & aperta omnis eſt, ſolida alimenta ſuppeditans.

Incolarum mores. Incolæ rapaces ſunt ; adeo ut mutuis in ſe rapinis graſſantes, alter alterum Luſitanis pro mancipio divendat. Mortuo quodam Nobili , ſeu equeſtris ordinis viro , illico uxores ejus , famulique neci traduntur.

Religio. Baculorum conglutinatam congeriem *China* , ut paulo ante monuimus dictam (quod vocabulum Deum ſignificat) Caſangarum exemplo adorant. Plurimi tamen ex Beafaris hiſce prædicationibus Carmelitarum excalceatorum ad Chriſti fidem converſi ſunt.

BIGVBA, & BEAFARES. *Situs. Loca.* Alio quodam Rio grande amnis ramo , qui ſupra Guinala ramum eſt , Bigubanum ad portum tenditur, itemque ad Balolanum ſitu ſuperiorem , qui Tangorum Maorum ſedes eſt ordinaria, cum Bigubano vicus quidam Luſitanis habitatus adjaceat.

Incolarum mores. Beafaris his idem qui Beafaris Guinalis vivendi mos eſt ; at Tangi Mai genere Luſitani ſunt, qui Nigritis ſe miſcuerunt , cum quibus eandem ſectantur barbariem, ac ſi nunquam baptizati fuiſſent ; adeo ut quibuſdam etiam in locis nuditate corporum ſuorum, ac cutis inciſione barbaræ ſe genti accommodent.

Regimen. Et ipſis, uti Guinalanis, peculiaris Rex eſt, quo defuncto , qui maxime ex cognatis ejus potentia valet, regnum obtinet , adeo ut ab obitu Regis inteſtinis omnia tumultibus ardeant , donec victori cedat imperium.

Religio. Idololatræ ſunt , aliorum Beafarorum exemplo. Verum aliqui eorum Chriſtiano nomini adhærent.

BENA & SVSI. *Situs.* *Bena* regnum octo aut novem dierum itinere diſtat à Torra & Serra Lionna regnis , Septentrionalius his ipſis , atque Auſtralius Mandinga regno. *Loca.* Incolæ *Suſorum* de gente ſunt, quos Sucos Tabulæ nuncupant. Caput regni univerſo regno dat nomen.

Soli qualitas. Arbores. Aqua. Tam aſpera hæc regio eſt , ut ubique aut in montes aſſurgat, aut attollatur in colles, viridantibus arboribus obſitos , ſtrepentibus per ima vallium fluminibus.

Ferrum. Serpentes. Terræ montanæ color ſatis innuit , latere ſubtus ferrum noſtrate laudatius. Serpentes hic videas interdum ea craſſitudine, qua coxa humana eſt, tanta autem colorum varietate vivacitateque, ludificante ſpectantium oculos natura , diſtinctos , ut huic ſimile in aliis non facile animalibus reperias. Iſta craſſitudine pulchritudineque viſus eſt quidam aliquando , quem Rex ſuis complectebatur brachiis , eundem manu non aliter ac ſi formoſus infans fuiſſet, demulcens. Incolæ hoc animal ſerpentum regem appellant , nec facile permittunt id à quoquam occidi.

Regimen. Rex paret Imperatori. Hereditaria ſucceſſio. Regi huic ſeptena regna ſunt , & tamen ipſe Congo paret, qui Suſorum omnium quidam Imperator eſt. Sunt autem iſtorum locorum Reges in quibus Luſitani degentes vita excedunt , eorundem heredes.

Religio. Idololatræ. Iidem incolæ ſtatuas quaſdam adorant , Bexerinorum ſchedis utentes ; anno quippe 1606 Rex erat magno Bexerino perfamiliaris, à quo diabolica ope utendi modum diſcebat. Præ ſe ferebat quidem eodem anno Rex ad Chriſti fidem ſuſcipiendam affectum , ſed cum diu inſtantes lactaſſet , pia momento temporis conſilia ad nihilum rediere.

Inſula FARFELLONVM. *Situs.* *Farfellonum* inſula modico diſtat ab inſula promontorii Montis intervallo ; utraque autem Continenti vicina eſt.

Soli qualitas. Abundat ea pomis aliiſque fructibus , præſertim malis limoniis.

Incolarum mores. Abſunt à barbarie Chriſtiani , ut qui gratiſſimo animo benefacta cuſtodiant. Eadem ipſis vivendi ratio quæ ceteris Nigritis ad ſexcentarum ſpatium leucarum remotis ; nec veſtiendi ritu vicinis à populis differunt , toga goſſypina vix ad genua porrecta , induti. *Veſtiendi ratio. Opes.* Omne eorum commercium in oſſibus dentibuſque elephantorum verſatur, quod hoc genere animalium quam maxime abundent, elephantis interdum ultro caſtella eorum vicoſque ſubeuntibus.

Religio. In Religione non tam idola , quam ipſos dæmones vicinorum ſuorum more adorant. Habent præterea cum Iudæis Turciſque Circumciſionis ritum communem, à ceteris Mahometiſmi legibus alieni.

CAPONES. *Situs.* *Caponum* regnum ab Ambſinis 220 leucis diſjunctum

junctum eſt, ſeſquigradu autem Boream verſus ab Æquatore. Porrigitur id tractu verſus Meridiem longiſſimo. Vicinæ eidem inſulæ ſunt Æthiopico in mari diſperſæ, ſed habitatoribus carentes. Regio tota amœna eſt à fluminibus fontibuſque, quèis irrigatur. Præter bubalos aliaque animalia frequentes hic elephantes viſuntur.

Dimenſio.

Soli qualitas. Animalia.

Incolarum mores.

Incolæ toti ſunt ex fraudibus doliſque compoſiti; quamobrem paucis hic fidere, tuta regula eſt; at fidere nulli, tutiſſima. Ad navigationem majoribus utuntur navigiis, *Almadies* ipſis & *Malungos* dictis, ſeptuaginta, aut etiam octoginta hominum capacibus: atque horum ope inſtrumentorum vicinas inſulas frequentant.

Opes.

Opes eorum præcipuæ in ebore conſiſtunt, quod ab elephantum copia hic copioſe habetur. Verum nullus hic monetæ ſive pecuniæ eſt uſus; adeo ut qui ebur eorum affectat, id ipſis vix aliis mercibus quam mancipiis permutent.

Religio.

Religione cum Loanganis, ſeu incolis regni Loanga eadem utuntur.

ANGRA. *Mores incolarum.*

Regio Angra flumini prætexta incolas habet ab omni vicinorum amicitia alienos, modo fœdus cum iiſdem pangentes, mox à fœdere redeuntes ad bellum. Minor eorum eſt, quam qui Gabom amnem accolunt, potentia; nec tamen Rege ſuo carent.

Vires.

Regimen.

ARGVIN. *Nomen.*

Arguin, quod vocabulum inſulam cum munimento ſignificat, à quibus *Argin* appellatur, atque adeo ab ipſis incolis; à Portugallis autem *Ilba d'Arguin*. Vehementer dubitat Sanutius, num ea *Cerne* Ptolemæi ſit. Poſita eſt ultra promontorium Album, in ſinu cognomine quinquagenis circiter à Continente milliaribus recedens, ac ferme obverſa promontorio *de las Garzas*. Moquetus hoc Munimentum Continenti largiri videtur, leucis illud à promontorio Albo locans ſeptenis aut octonis; cui tamen reliqui autores repugnant.

Situs.

Deſerta fuit eo tempore, quo occupatam à ſe Luſitani, exſtructo anno 1441 mandato Regis eorum Munimento, contra incurſiones hoſtium firmarunt, Seiroco Mendejo claſſis præfecto; qui hodieque eandem tenent, viſitati crebro Luſitanicarum navium venientium redeuntiumque ex remotioribus Africæ Aſiæque portubus appulſu. A captæ hujus inſulæ primordio, ſtatutum hic illico appellendi jus, non omnibus, ſed quibus viſum tum fuit id beneficii concedere, ut libere ad exercenda cum Arabibus commercia hunc Sinum frequentent, ceteris ab eo vi armata repulſis. Quibus autem conceſſum id jus eſt, hi ſuos in Inſula Negotiatores ſeu curatores habent, qui cum appulſis ad littus Arabibus pannis ſuis laneis lineiſque, argento, tapetibus, inprimiſque frumento, quo maxime indigere Arabes videntur, mancipia à Nigritis empta, aut capta, aurum item, plumaſque ſtruthionum permutant. Iidem Arabes à Luſitanis emunt equos Barbaros ſeu ex Barbaria adductos, quos in Nigritarum regione deinde Nobilioribus gentis ſuæ divendunt, dena, imo quindena ſæpe pro ſingulis recipientes mancipia. Textilia quoque ſerica Arabes, Maurico confecta more, in Nigritarum regionem vehunt, quæ Tuneto Luſitani accipiunt, Granatenſe quondam regnum, obtinentibus id Mauris, frequentare ſoliti; recipiunt autem permutationis loco aurum & mancipia, quæ Hodenum, primùm dein Arguinum catervatim mittuntur, ubi ab illis, quibus appellendi negotiandique hoc loco jus eſt, venduntur, mittunturque milleni ſingulis ferme annis in Luſitaniam. Sed noſtris temporibus magis quam Europa horum opera ac labore mancipiorum indiget America ad eruenda recens inventa metalla. Ceterum Inſulam hanc ac Munimentum quidam Grammajo teſte Domini ac Præfecti titulo tenet.

Opes.

GVINÉA.

IN Nigritarum regione, quam paulo ante luſtravimus, hanc Africæ partem quadantenus attigimus, ſuperficialiter & in genere, ut ajunt, nonnulla præfati: at nunc univerſum *Guineæ* littus eo prorſus ordine, quo id adjuncta Tabula noſtra delineat, accuratiore quodam ſtudio peragrare eſt animus. Hoc labore rite peracto, Guineæ propriùs ſtrictiuſque acceptæ faciem exhibebimus, mediterraneas ejus regiones primum, tum adjacentes inſulas deſcribendo.

Qua juxta S.Dominici amnis oſtium terra verſus Auſtrum angulariter protruditur in mare, & qua, ad promontorium *Verga* ſcilicet, Hiſpanica promontorii Viridis, ſeu potius Inſularum promontorii Viridis præfectura terminum habet, intercedens loco utrique ſpatium ternæ *Malluſorum* ſeu *Mallucorum*, *Vagarum* & Gozolinorum gentes incolunt; & ab hoc ipſo promontorio Verga regionis *Serra-Lionna* initium eſt, quæ regni titulo ſuis cum montibus decoratur. Nec procul ab oculis eſt promontorium quondam Cabo Ledo dictum, amniſque, Luſitanis *Rio das Gamboas* appellatus, cum ternis Inſulis, *Bravas* dictis, Serræ Lionnæ vicinis, remotis autem à promontorio Ledo leucis ſex; quod, & S. Annæ promontorium Inſula Regnumque *Farellonum* interjacet.

Ceterum à promontorio Ledo ad promontorium S. Annæ uſque denarum intercapedo leucarum eſt, ſequiturque mox regio amni Palmarum oppoſita, & paulo ulterius *Rio das Gallinas*, hoc eſt, Gallinarum flumen, & uſque huc à Serra-Lionna leucæ computantur quadragenæ. Inde ad promontorium Montis leucæ intercedunt octodecim; & hinc ad promontorium *Cabo Meſurado* dictum, interjacens ſpatium occupat leucas duodecim; atque ab hoc loco uſque ad locum, qui *Mata de S. Maria* dicitur, duæ leucæ numerantur, ubi commercium Mellegoti, quod piperis quædam ſpecies eſt, littuſque incipit, leucarum quadraginta ſpatio ſe explicans, comprehendenſque Melli regnum. Porro à Mata de S. Maria uſque ad S. Pauli amnem leucæ computantur ſex; quo in flumine aurum, ſed tenui copia inveniunt. Sequitur S. Pauli mons, aſperis altiſque jugis leucarum ſex, aut ſeptem intervallo porrectus.

Ceterum ab amne S.Pauli,qui Luſitanis dicitur *Rio de S. Paulo*, uſque ad flumen *Rio de Iunco* dictum ſex; & hinc uſque ad *Rio dos Ceſtos* duodecim leucæ interſunt, cui autor deſcriptionis Guineæ, à quo amnis hic *Choſtos* dicitur, *Bitenin* regnum, regno Melli à ſe comprehenſum appoſuit.

Objacet autem amni Choſtes Inſula parva, à Continente duntaxat leucæ quadrante remota, quæ Portugallis *Ilha de Palma* vocatur, & haud procul Inſulæ duæ, parvæ itidem, *Ilheos blancos* dictæ; ab his inſulis vero uſque ad promontorium Formoſum ſeu *Cabo Formoſo* leucas numerant quinque. Hinc ad promontorium *Baixas* abitur; tum ad Genuenſium amnem, *Rio dos Genoveſes*, leucis tribus à promontorio Formoſo; poſt in conſpectu eſt S. Vincentii amnis, exactiſque leucis novem aliud flumen, *Rio dos Eſclavos* appellatum, & hinc paulatim,leucarum quinque ſcilicet emenſo ſpatio, ad promontorium S. Clementis; indeque,confectis leucis duodecim, ad promontorium, ſeu *Cabo das Palmas* acceditur. Prætermiſſo igitur promontorio *das Palmas*,complura ſe flumina offerunt, videlicet *Majo* & *Sueyro da coſta*, denis ab invicem leucis ſejuncta, item *Rio Bobra*, ſeu *Cobra*, poſt quatuor, aut quinque leucarum, tractu littoris ſervato, dimenſionem; cernuntur deinde ad oſtium *Rio Mançum*, amnem quem alii corrupte *Maincu*, neglecto Hiſpanorum ç caudato,nuncupant,duæ parvæ inſulæ;eſt autem inter hoc flumen & Aijem ſeu Axiem, Luſitanorum Munimentum cum Portu,intercapedo duntaxat leucæ unius; & hoc Munimentum in vico Acombene exſtructum, diſtat à promontorio de 3. Puntas intervallo ſane non magno.

Si vero quiſpiam eboris habendi ſit avidus, ei adeunda regio eſt, quæ inter promontorium Palmarum promontoriumque trium Puntorum eſt media; adeo ut Gallis hæc Guineani Littoris pars appelletur *la Coſte de l'Yvoyre*, hoc eſt, littus eboreum, eademque ſignificatione Germanis, **das helffenbeynerne geſtad**; ac Hollandis, *den Oever van't Yvoor oft Tandtkuſt*, hoc eſt, Dentium (ſubintellige elephantinorum;) littus, qui primi videntur hoc littori nomen impoſuiſſe. Frequentiſſimi hoc in littore, ad quod facilius naves, quam ad reliquæ Guineæ oram appellunt, vici ſpectantur, in eoque promontorium Apollonicum, medium inter promontorium *das Palmas* promontoriumque de 3. *Puntas* locum obtinens; mons vero Apollonicus tricenis circiter leucis procurrit. His littoris partibus præternavigatis, littus Aureum, *La Coſta de Mina* occurrit, cujus initium apud promontorium trium Punctorum Hollandi ſtatuêre, ſeparati id à Guinea, quam plura alia continentem regna ad hoc uſque regnum extendunt, titulo regni dignati; cum tamen iidem littus Aureum amne *Ria da Volta* terminent.

Incides igitur primo in Emporium quoddam, Nigritis *Anta* vocitatum, quod vicino littori nomen imponit; nec procul eſt *Iabbe Cama* Munimentum Luſitanorum, & *Agitaſci* Regis cujuſdam ſedes; tum *Terra Peſcina*, juxta quem locum eſt Arx *Mina* ſeu *S. Georgii*, Hollandis hodie poſſeſſa,cum Portu in regno Fottu,ſeu Fœtu;inde *Cabo Corço*,ab Occaſu hiberno Minæ vicinum;juxta quod Arcem Naſſavicam condidere Hollandi, à Moré ſeu Morré, celeberrimo totius littoris in regno Sabu, (quo etiam Arx ipſa ſpectat) non magno intervallo disjunctam: non multo

poſt

poſt ampliſſimus vicus *Kermentin* ſeu *Karmandin*, cum regione ſeu regno cognomine: *Bambia* deinde, *Bergu*, *Ackra* ſeu *Accara* caput cujuſdam regionis, cui Borealis eſt Acanenſium regio, quæ gens apud alios Nigritas quærere aurum ſolet; & *Lebbede*, haud ignobilis locus, cum aliis quibuſdam. Tandem appropinquatur oſtio *Rio da Volta*, quod claudit alveo ſuo hoc littus leucarum circiter nonaginta longitudine, non dimenſo flexuoſo ſinus tractu, porrectum.

Porro à *Rio da Volta* uſque ad Rio de Lago, leucas circiter octoginta quinque recenſent, & huic tractui *Dauma* regnum verſus interiora continuatur: tum à *Rio de Lago* uſque ad *Benin* amnem regnumque nominis ejuſdem, leucæ circiter quadraginta quinque intercedunt; indeque uſque ad Promontorium Formoſum, totidem ferme. Ab hoc autem promontorio uſque ad flumen, cui *Rio Real* nomen eſt, quadraginta leucas conficias oportet; indeque quinquaginta ad flumen ſeu *Rio dos Camarones*, cui *Ambeſina*, & *Camaronum*, Samuelis Brunonis, apponenda regio eſt, quas ultra *Caponum* eſt regnum, longo in Meridiem ſpatio protenſum; tum Ollibatam verſus, promontoriumque *De Lope Conſalves* littus ſe flectit. Sed ad locorum redeamus diſtantias; ab amne igitur Camaronum (poſt quem littus ab Oriente, verſus quam Mundi regionem Biafra terra contigua eſt, in Meridem paulatim ſe ſinuat) uſque ad Angram flumen, leucæ omnino ſeptuagenæ ſunt, & hoc loco Coriſco regni Beni Inſula ſe offert. Ab Angna porro uſque ad *Gabom* ſeu *Gaba*, flumen, ut quibuſdam placet, interjacet ſpatium leucarum quindecim; eſt vero Gabom amnis Lineæ Æquinoctiali vicinus. Iam à Gabom uſque ad promontorium de Lopo Conſalves leucæ interſunt octonæ: ternis hinc leucis amnis quidam in Ortum Æſtivum decurrit, hippopotamos & crocodilos ſuo alveo includens; ac præter hunc alius viſitur; utriuſque autem nomina ſunt *Rio de Pero Dia*, & *Rio de Fernam Vaz*. Porrigitur inde Littus uſque ad S. Catharinæ promontorium, ultraque id ad regni Loango confinium, quod veteris Gongo eſt membrum; adeo ut univerſi littoris hujus tractus, amnium latitudinibus exceptis, leucas 742, aut prope octingentas contineat.

Nomen. Guinéæ regnum, ut plurimi è recentioribus decîdunt, ſtrictius ipſa Guinéa accipitur, ſitumque ſortitur diverſum. Obſidet autem veterum Ganginorum, ſeu Aganginorum Ptolemæi regionem; & nomen fortaſſe mutuatum eſt à regno vicino, jam inde ab antiquiſſimis temporibus cognito, in quo tamen Leo oppidum aut arcem ullam eſſe negat, ſed ingentem vicum duntaxat Regis ſedem, antequam Izchia Tombuti rex eum ad Gago oppidum abduceret, ubi mortuus, Izchiæ regnum ſuum reliquit, quod ex eo tempore Regum Tombutanorum Præfecti pacifice tenent; adeo ut nulla deinde huic regioni dignitas conſtiterit.

Situs. Regnum itaque, quod deſcribere inſtitui, à finibus regni Molli ad amnem Benin uſque per-

Limites. tingit, qui ſuo eſt regno cognominis. Et quanquam regna aliquot ſe tractui huic inſinuent, ſunt tamen tam modica, ut jure merito Guineæ attexantur, cujus littus quingentis leucis Gallicis protenditur. *Dimenſio.*

Nunc in regni hujus celebriora loca inquirendum eſt nobis, præcipue illa, quæ magis Hollandorum frequentantur commerciis. Poſt Aziem Luſitanorum arcem, promontorio trium Punctorum vicinam, & Apollonico à promontorio quinis diſtantem leucis, primum Emporium *Anta* dicitur, quod à promontorio trium Punctorum leucis quinque abeſſe jam ſupra memoratum eſt. Diſtat vero Anta ab amne S. Georgii unica leuca, ac in vicinia ſunt *Iabbe*, & *Cama*, arx Luſitanorum; hinc unica rurſus leuca *Agitaki* eſt, Nigritarum vicus ampliſſimus, qui Luſitanis *Aldea de Torto*, Hollandis Germaniſque *Comendo* ſive *Comando*, quanquam hoc nomine nequaquam intelligatur in montanis conditus locus, qui proprie *Comando* dicitur, Regis ſedes. Septentrionale hujus vici latus amœniſſimus amnis præfluit, & minuſcularum frequentia arborum conveſtit, loco ipſo ad exercenda commercia aptiſſimo; unde non modo incolarum, ſed etiam mercatorum variis ex locis frequentia hic eſt; Antani enim cum ſegnius videant in Portu ſuo rem agi, cum Edemenſibus, Waſſanis, Comandanis, aliorumque incolis locorum neceſſaria coëmptum huc proficiſcuntur. *Loca.* *Anta.* *Iabbe.* *Cadma.* *Agitaki, ſive Comando,*

Longius nonnihil progredienti *Terra Pekina* locus occurrit, in quo tamen nulla commercia ſunt, ob frequentantes eum Luſitanos Arcis Minenſis; ſin autem quibuſdam eos rebus egere contingat, Agitakium, unica leuca motum vicum adverſo amne navigant, emuntque ibi neceſſaria ab Hollandis. Ad *Mina* ſeu *S. Georgii* Arcem quod attinet, diſtat ea dimidiæ leucæ ſpatio tantum à Terra Pekina, ſitum tenens in regno Futu, ſeu Fœtu. *Terra Pekina.* *Mina arx.*

Vlterius abeunti cernitur *Cabo Corçolous*, quibuſdam Luſitanis *Cabo Curço* dictus, cum promontorio appellationis ejuſdem. Quondam celebre hic locus Emporium fuit, quem mercatores deinde ob Luſitanos Minenſes deſtituêre commerciis. Verùm ex quo Moræi, ſeu incolæ vici Moré, anno ſcilicet 1660 bello Luſitanos tentarunt, rediere ad hoc promontorium navigia, inſtauratumque fuit commercium, auri copia præcipue allecti mercatores, quod huc ex Fœtu, Abrenhoa, Mandinga, aliiſque regionibus ſæpe ultra ducentas leucas à mari disjunctis aſportant. *Cabo Corço,*

Obtinet vicus ſitum editiorem, inſigni intus foro rerum venalium inſtructus, ac contra fluctus maris rupe immani defenſus, quam iidem eo quaſſant impetu ſonituque, ut excipi à procul abſentibus poſſit. Hodie locum Hollandi tenent. Vnica adhuc leuca remotius, *More*, toto in littore notiſſimus commercio locus conſpicitur. Incolæ ejus primi fuerunt auſi Luſitanos Minenſes bello laceſſere. Vicus hic editiore in loco poſitus, nihil fere elegantiæ habet, caretque amplitudine fori, & tamen ingens in eo fructuum vinique palmei copia venditur. *More.*

Aliquanto ſupra vicum modo memoratum ſpatio, juxta promontorium Corço, tribus à Minenſi Luſitanorum ab arce leucis, Hollandorum in poteſtate eſt Munimentum quoddam, à Naſſoviorum illuſtri gente cognominatum, in regno *Arx Naſſovica.*

TOMBOTV REGNVM.

MANDINGA.

MELLI.

SOVSOS.

CARAGOLES.

BANGANA.

Sierra Liona.

MALAGVETA.

GVINEA.

Tandi Rust

QVAQVA KVST

Fluvius Niger, frugiferam regionem à deserto ac sterili seiungit quin et ipse sua inundatione provinciam fecundat, haud secus ac Nilus Ægyptum.

Lu Dayes.

ZEGZEG.

CASSENA REGNVM.

Desertum Zanfara.

Dauma.

BENIN.

KVST WAN Iobo BENIN

Rio dos Escravos

Rio forcados

Rio Ramos

Rio de Angoy

Corisco

Rio d. Gabon

Mangoba

Budi

Biafra

Benin

Ardra

Arbo

Adhos

Ocanu

Xabanda

Parigom

Labore

Caceo Angumes

Acanes grandes

Acanes pequenos

Corisseno de Alighame grande

Alborada, alias d'guara

Pitreos

Bacorees

Cabo de Sacrinho

S. Lourenco

Cabo de Lopo Gonçalves

C. de Santa Clara

C. de Catharina

I. de Fernando do gão

I. del Principe

I. Corisco

I. S. Thome

I. Rolas

Innabim

R. Borno

P. de Gariot

R. de San Bento

Chim Corisco

Monamba

Botoba

R. Sesto

I. A. S. Matheo

Linea sub circulo Æquinoctiali

OCEANVS AETHIOPICVS

GVINEA

Milliaria Germanica

Milliaria Hispanica

Amplißmo Doctißmoq; Viro
D. NICOLAO TVLP,
Medecinæ Doctori Reip. Amsterdamensis
Senatori et Scabino, Medico et Anatomico
celeberrimo. Tab. hanc D.D.
Guilielmus Blaeu.

Sabu, non procul à mari eminentiore in loco anno 1612 exſtrui cœptum. Muniunt id propugnacula tria, & luna, ut vocant, dimidiata una, habeturque inexpugnabile. Dolendum Munimento huic dulcium fontem aquarum deeſſe; at hic defectus ab Hollandis octingentorum capace doliorum ciſterna ſarcitur, quam cadentium pluviarum congeries nullo negotio adimplet, aquis annuo tempore ſufficientibus. Ceterum ad duas hinc excurrenti leucas aquæ dulces in promptu ſunt.

Infantin. *Kermentin.* Poſt vicum Moré, leucæ unius intercapedine *Infantim* vicus occurrit, à quo *Kermentim* vicus leucis duabus abeſt, quibuſdam *Kormentin*, aliis *Queromentin*, & Samuëli Brunoni *Caramadui* appellatus, locus quondam toto littore celeberrimus; at nunc momenti exigui. Victus hic ad Regis Foëtu ditionem pertinens, ſublimi è loco eminet, quinis ab Occaſu colliculis vicinis, & ab Oriente Mango monte ſtipatus. Incolæ à mercatoribus quondam frequentati, quod adulteraſſent aurum ſuum, commercii uſum fructumque perdidere, nunc Moræos frequentare coacti, cum neceſſaria deſunt. Inde quaternis leucis *Mango* præcelſus mons viſitur; at emporium *Biambia* eſt, locus unica ab hoc monte leuca diſjunctus. Hinc leucis tribus *Bergu*, vicum, procul conſpicies, montis vertici impoſitum. Quoniam autem rariſſimus hic navium appulſus eſt, incolæ ſecundo flumine *Ackram* vicum, leucis quatuor diſtantem, petunt, qui Brunoni *Accara* dictus, eodem teſte, poſtremus regionis eſt locus, è qua aurum petitur. Leuca unica ab Ackra, deorſum Labbede, non contemnendum oppidum ſe offert, muro ac propugnaculis circumdatum; poſtea leucis duabus ulterius, *Nengo* locus, & hinc leucæ unius ſpatio *Temina*; mox *Chinka* pari diſtantia, ac remotius aliquanto à mari oppidum *Spice*, ab omni tributorum onere immune.

Mango mons. *Biambia.* *Bergu.* *Labbede.* *Nengo.* *Spice.*

Sabou R. Ceterum Sabou regnum ſecundum littus ab Occidente in Orientem producitur leucis ſeptuaginta, in mediterranea vero Sinum Arabicum verſus, ultra trecentas leucas procurrit. Caput *Regna alia.* regni ſedeſque Regis eſt Sabou. Vicini Reges ſunt *Caramandin*, ſeu *Carmantin*, *Foëta*, ſeu *Fottu*, qui infenſiſſimus Hiſpanis eſt, S. Georgii Munimentum ejus in regno tenentibus; Regeſque *Acara*, & *Comando*, priorum in bello ſocii, qui Regem Sabou ad tributi penſionem cogere ſæpe tentarunt. Verum hic Regulis iſtis non modo viribus par eſt, ſed major etiam, præcipue cum *Acanenſes.* Hollandorum adjuvatur potentia. Ab Accara Septentrionem verſus Acanenſium adhuc regio eſt, qui magnum auri pondus ſolent ex Nigritarum regione ad littus advehere.

Cæli ſolique qualitas. Etſi vix unquam frigus incolæ hic ſentiant, eſt tamen quædam temporum mutatio ſive varietas. Nam arbores quædam foliorum virorem perpetuò inſtaurant, aliis eodem ſemel ac iterum viduatis, totidemque vicibus alterne indutis. Solum autem ipſum per æſtatem ſiccum omnino ac ſterile eſt, hyeme in fruges fructuſque fœcundum. Æquinoctium hic fere perpetuum eſt, fructuſque per omne anni tempus continui. Hiberni apud eos menſes ſunt, Aprilis, Majus ac Iunius, quibus ſole verticibus eorum imminente, intolerandus æſtus exiſtit: tempus hoc Luſitani *Travado*, & Nigritæ *Agombrotu* nuncupant. His ipſis menſibus crebræ ſunt pluviæ, crebra cum fulgure tonitrua. Cum autem adſiduis imbribus fœcundum terra liquorem hauſit penitius, agricolæ ſe ad ſementem faciendum accingunt. Iam autem pluvia omnis, quæ Æquinoctiali lineæ propinquis in locis cadit, rubra eſt, atque adeo humanis corporibus veſtibuſque nociva, ut, ſi cui madefactum hac tegmen diu adhæreat, is ſe graviſſimi morbi periculo exponat; veſtiſque imbuta eadem, antequam ſolaribus radiis ſiccetur, ciſtæ cuidam incluſa, illico textum diſſolvat, ac quaſi in pulverem abeat. His de cauſis incolæ vehementer aquam pluviam oderunt, & ne noceat, corpus oleo perfricant.

Morbi. Porro Nigritæ hoc littus tenentes, maximeque illi, qui ad S. Georgii arcem propius accedunt, plurimum ſæpe vexantur à vermibus; cum tamen, ad leucas viginti quinque tantum verſus Septentrionem ab Oceano remoti, hujus ſint mali ignari. Eadem etiam animalcula juxta littus navigantes infeſtant. Verum morbus iſte juxta Moræum præcipue regnat, eoque Accara prorſus caret.

Qui affliguntur hoc malo, nec erecti eſſe poſſunt, nec incedere valent, ac nonnulli à ſeſſione & cubitu abſtinere coguntur. Quidam moribundorum inſtar lecto hærent affixi; alios is furor concitat, ut ligandi ſint, ne forte violentas ſibi aliiſque manus inferant. Quorundam vermium natura, ut dum exitum è corpore parent, horrorem ægrotis incutiant; aliorum, ut eoſdem intolerandis ardoribus crucient. Eſt & aliud vermium genus, qui ex excitatis paſſim in corpore ulceribus erumpunt, cui malo carnoſiores frequentius ſuppoſiti. Verum quorum ſecretiores corporis partes hæc teterrima peſtis invaſit, illi ipſa cum morte confligere videntur. Ceterum quies & calor optimi ſunt iſti malo medici. Tantummodo ſuaviter extrahant vermes neceſſe eſt cum apparent. Quidam longitudine ſuæ ulnam adæquant, breviores alii, alii craſſi, rurſum alii minuti & graciles.

Fruges fructuſque. Certum quoddam frumenti genus hic naſcitur, quod *Mahiz* appellant, è quo ſapidiſſimos panes conficiunt. Nonnulli frumentum hoc aqua probe imbutum, excoquunt deinde cereviſiæ in uſum, quam *Botove* nuncupant. Milium etiam incolæ habent, ſpicis longioribus armatum, quibus grana cannabinis parvitate ſua æqualia, ſed paulò protractiora incluſa ſunt. Eadem regio pluribus in locis orizæ eſt ferax, frumentique cujuſdam ſapore acuto, quod *Mellegetum* vulgo, Nigritæ *Manigettum*, & Hollandi *Granum* appellant, quod eodem quo oriza modo producitur, ſeriturque, quemadmodum triticum ſolet; at minus alte calamos ſuos attollit.

Folia quibus frumentum hoc nucum avellanarum inſtar contegitur, anguſta ſunt ſubtiliaque. Spicæ ejus rubicundo colore conſperſæ, ſpicis Mahizanis perſimiles ſunt; porro ei valvulæ quædam, quibus reſeratis, grana ſingula quodam veluti intervallo diſtincta, pertenuibus involuta corticibus cernuntur, ea fere ſpecie, qua Granatenſia frumenta apparent.

rent. Adſunt & piſa, fabæque varii generis, ex quibus aliquæ ad rubentes purpureoſque phaſeolos noſtros prope accedunt, quæ oleo palmeo percoctæ, & boni nutrimenti ſunt, nec ſaporis ingrati.

Arundines ſacchariferæ hic ſeptenûm, octonûm etiam altitudine pedum aſſurgunt, quibus folia bicubitali longitudine ſunt, minori latitudine Hiſpanicis; medulla autem laudatiſſimi ſaporis. Zingiber præterea non uno in loco naſcitur; item ficus Indicæ, quas in Guinéa *Bonanas* ſeu *Ananas* appellant, & raparum genus quoddam, *Idiames* dictum. *Batares* aliud legumen, ab Iniamis rubro colore ſuo duntaxat diſtinguitur. Vinum incolis perforatæ palmæ ſuppeditant lacti ſimillimum, ac dulce, miriſque modis refrigerans. Matutinis temporibus copioſius illud expromitur. Sunt & aliæ hic palmæ ſine foliis & ramis, protrudentes ipſo è trunco fructum Ananis ſimilem, ac aureo colore oculis gratiſſimum.

Animalia. Abundant incolæ bobus, vaccis, porciſque, *Ebbio* barbarorum vocabulo dictis, qui minuto ſunt corpore, ſed carne probati ſaporis. Canes hic ſunt verſicolores, ac nullo præmiſſo latratu mordentes, quorum carne quia barbara gens veſcitur, ea porcinæ inſtar, aut vervecinæ palam divenditur. Hos ideo *Eſſia*, hoc eſt, oves ſilveſtres ſeu feras appellant; & qui ad equeſtrem ordinem aſpirant, hujus generis canem tenentur Regi primi muneris loco offerre.

Ceterum magni æſtimant incolæ canes noſtrates, quod latrent, latratu ſuo in loquelam eos prorumpere putantes. Felibus item abundant, *Ambajo* vulgariter dictis, qui, quod gliribus, à quibus multum incolis incommodatur, infenſi ſint, magno in precio habentur. Pulchra his felibus ac tenera pellis eſt; Nigritæque non minus horum carnibus quam canum veſcuntur.

Iiſdem capræ ovium ac vervecum ſunt loco. Gallinas gignit hæc regio, quarum ova vix ſunt columbinis majora; columbas autem à Luſitanis primum incolæ porcoſque habuere, quos *Abronama* vocant; anſeres autem, ab Hollandis acceptos, *Apatta* appellant.

Ferre. In ferarum numero ſunt elephantes, leopardi, tigrides, ſimiæ, cercopitheci, lepores, vulpes, cervi, & ſerpentes, qui plerumque longitudine palmas implent viginti, latitudine quinque. Autor deſcriptionis Guineæ refert, narrari ab incolis dracones alatos apud ſe degere elephantis maxime infenſos, quorum longitudo ad denas non raro ulnas excurrat. Adhæc crocodili hic ſunt, qui non in quadrupedes ſolum, ſed etiam in humana corpora laniando devorandoque ſæviunt; lacerti craſſitudine altitudineque humana; Chameleontes item, feleſque Zibethos, qui Luſitanis *Gatos d'Algallia*, Nigritis autem *Kanhan* appellati, præſtantiores eſſe feruntur, quam quos aliæ Orbis regiones gignunt.

Aves. Pſittacos habent coloris prope cærulei admirabili copia; ſed qui Braſilienſibus imperfectius humanas voces imitantur. Nec viridi, rubroque colore aves deſunt, quarum illæ incolis *Aburont*, Hollandis *Paroquitin* dictæ, ſturniſque ſimiles, aureo colore ſpecioſum caput habent; his notatum maculâ nigrâ caput, & cauda nigra eſt, corpore prioribus paulo majores. Videas etiam flavo micantes colore, plumis carduelibus noſtris perſimiles, quas cum inteſtinis plumiſque devorant Nigritæ. Adſunt præterea non multum noſtratibus differentes ab aquilis, Hiſpanica ſeu Luſitanica lingua *Paſtro de Diago* vocitatæ; ſordibus victitantes; quibus accedunt ardeæ, grues, onocrotali, turtures, quorum collum ater circulus ambit, gallopani, gaviæ, bubones, noctuæ, ac veſpertiliones. Nec deſunt apes, cum reliquo muſcarum genere, neque formicæ, aut locuſtæ.

Præcipui horum locorum piſces ſunt *Aurati*, ad ſalmonum accedentes ſaporem, ſic dicti, quod aureo eſſe colore ſub aquis videantur; *Amiæ*, perbrevi craſſitudine, capite acuto, optimo ſapore, ac propemodum exoſſes; & his ſimiles *Albocori*, ſine ſquamis candentes, ſed nonnihil grandiores; teſtudines terreſtres aquaticæque; *Tubarones*, cum immani minutorum piſcium multitudine, qui lato capite, ac ore patente, Luſitanis *Quaquadores* dicuntur; Delphini *Tamnos*, appellati Luſitanis; denique quædam rajarum, halecum, luciorumque, & qui *aloſas* Hiſpanis appellantur, ſpecies. PISCES.

Ceterum gentes hæ ſingulis per ſeptimanam diebus, Martis, quo ferias agunt, excepto, piſcantur. Piſcatores ſicco è ligno, quod palmeo illitum eſt oleo, faces componunt, quarum ad lumen furcâ, quemadmodum in Galliis factitant, piſcibus inſidiantur, aut de nocte aquas accenſo lumine ſubeunt cum ſagena, aut naſſa.

Qui ab his Nigritarum populis ſal conficitur, *Sal.* ob candorem ſuum præſtantiamque laudatur; optimus autem ille eſt, quem Antani & Chinkani præparant.

Aurum, quod hic habetur, ipſius terræ viſcera prodidere; non tamen qua mari ea accedit, etſi Nigritarum aliqui affirment, & ipſo in littore auri venas extare, in loco ſcilicet, quem Foëtu nuncupant, unde hinc effoſſum vulgari vocabulo *Chika Foëtu*, quod aurum Foëtuanum ſignificat, appellatur. Flumina etiam arenoſis in vadis aurum abſcondunt, pluviarum delabentium vi montibus ademptum. Nam plurimi viſuntur aquas ingredi, ope cochlearium quorundam admiſtum arenis aurum in polubrum ingens excerpere. Qui ex fodinis ſeu terræ viſceribus aurum eruunt, ob mortis ex fame ſitique, aut immoderato, quo ſæpe ſuffocantur, calore periculum, effoſſi ponderis dimidium ſibi retinent. *Aurum.*

Incolarum membra proportionatam decentemque formam ſortiuntur, pedibus exceptis, qui reliquorum reſpectu membrorum craſſitie nimia laborant, atque improportionato robore valent. Facies illis globoſe rotunda, ac labra minus cæteris Nigritis exporrecta, minuſque craſſa, ſed naſus prominente cartilagine mutilus, decus ſcilicet hoc à teneris ſibi unguiculis conciliantes. Ceterum nihil in facie eorum eſt, quod dedeceat, ad corporis ea proportionem reſpondente. Aures ipſis minutæ ſunt ac teneræ, oculi albicantes, ſupercilia lata, dentes candore eburneo; adſiduò namque hos purgant, certoque ligno fricant huic rei idoneo. Barba iiſdem modica eſt; tricenarii quippe viſuntur, quorum *Incolarum diſpoſitio corporis.*